MENS VERA AVGVSTINI DE PRÆDESTINATIONE, GRATIA, ET LIBERO ARBITRIO.

CVM LIBRA INTER ARMINIANOS ET CALVINIANOS.

Autore P. F. FRANCISCO A SANCTO AVGVSTINO MACEDO, Franciscano, *Obseruante Prouinciæ Portugalliæ Lusitano Conimbricensi, Magistro Artium, & Theologiæ Professore, Christianißimorum Galliæ Regum Annæ Matre Regentis, & Ludouici XIV. Concionatore & Consiliario, & Serenißimi Lusitaniæ Regis Ioannis IV. Historiographo Latino.*

LONDINI, & venundantur

PARISIIS,
Apud EDMVNDVM COVTEROT, viâ Iacobæâ, sub signo Boni Pastoris.

M. DC. LIV.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. VASCO LVIS

A GAMA

MARCHIONI NISÆ

COMITI VIDIGVEIRÆ,

Orientis Archithalaſſo, Sereniſſimi Regis Luſitaniæ Ioannis IV. à Conſiliis Status, & Belli: Ficagli, & Villæ fratrum Domino, Pacis Iuliæ D. Iacobi Commendatario, & apud Regem Chriſtianiſſimum Extraordinario Legato.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

INSTITVENTI *dicare opus, téque illi* (Marchio Excellentiſſime) *Patronum deſtinanti anceps cogitatio interceſſit, quâ cùm abrupta intentio, tum animus in partes diſtractus. Concepto quippe mente propoſito, cùm argumentum operis expenderem: ad téque accommodandi ſtudio referrem, comperi: partim congruere, partim diſcrepare. Quò factum, vt pars animi altera conſentiret, altera repugna-*

ret. Nam si quæ multæ & præclaræ in te dotes confluxerunt, eas cogitatione comprehenderem, illud videbatur: tam tibi cælum indulsisse, vt in neminem tot virtutum ornamenta contulisset: & quòd gratiosus Superis fores, Diuinæ te Gratiæ plurimum debere; atque adeo in te quadrare argumenta Gratiæ iudicabam. At contrà: si quos in Republica gerenda honores es amplissimos consecutus, eos animo complecterer, occurrebat illud: tam te gnauiter, & strenuè operam nauasse Reipublicæ, vt, cùm de illa benè meritus esses, nihil Rex tibi tuus gratis donasset, sed omnia tu iure exegisses: quare alienum te prorsus à rebus Gratiæ existimabam. Ab Apostolo quippe didiceram: tam cum meritis pugnare Gratiam, vt, si qua sit ex meritis, nulla sit; Ab Augustino audieram, quæ Prima fuisset Prædestinationis Gratia, eam non nisi ex demeritis extitisse. Itaque quantum dotes animi & corporis tuæ, quòd Dei dona essent, ad nuncupandum tibi opus inuitabant, tam me honorum tituli, & ornamenta dignitatis, quòd meritis tuis nixa; à dedicando opere auertebant. Quod res Diuina suadebat, Politica dehortabatur. Fluctuanti opportunè adfuit Aristoteles: docens in rem sæpè ex oppositis solere appositè duci argumenta: atque hac ratio-

ne posse opus Gratiæ tuis aptè meritis responde-re: vt nulla non sis parte gratiosus: cùm præser-tim ea ipsa in Rempub. merita, tuarum fructus virtutum sint, quæ cùm dona sint Dei, ab eius Gratiæ fonte profecta, haud dubiè sunt ad Gra-tiam referenda. Vnde non tam Gratiæ opponun-tur, quàm cum Gratia mirificè conueniunt.

Age verò quæ in te à Superis collata sunt or-namenta, sed propria: vel vni tibi ingenita, vel à te vno edita; non aliena à maioribus accepta, & cum aliis nepotibus communia, intueamur: Dotes in te corporis cum virtutibus animi mi-rum ex similitudine concentum efficiunt. Ele-gantia vultus pulchritudinem animi, nix frontis candorem mentis, roseus rubor genarum inge-nuum pudorem, oculorum splendor lumen inge-nij, pupillarum nitida vis aciem mentis acutam, oris grauitas pondus iudicij, erectus corporis ha-bitus excelsam animi indolem prodit. Nusquam meliùs collocatus animus: nusquam meliùs ani-matum corpus. Par vtriusque in dissimili na-tura dignitas. Nescias an magis corpus animo, an animus corpore glorietur. Apta inter se am-borum colligatio morti negotium facesset: nec ea nodum sine magno nisu dissoluet. Præstans ita-que illa forma ad imperium facta; honoribus

eam ſubornantibus, vt ſibi decus ex imperante accederet, versâ vice prehenſare hominem candidati, circa ipſum glomerari, vndare, feruere, tumultuari. Mirum? ambire hominem, adulari homini dignitates: & ab eo ornamenta ſperare. Acerba ætas virtutes maturas tulit. Cùm alij patrimonia decoquunt, tu dotium fructus concoxiſti. Inerant virtutes animo temporis legibus ſolutæ: anteuerterunt ætatem. Deludi ſpes ſe vidit, cùm meditata flores fructus inopinata collegit. Puduit naturam ſui, cùm curuari ſe ſenſit virtutum vbertate. Succubuit ponderi, diſſiliit; rimas egit, ruinam traxit: ac per ruinas ingreſſa Gratia triumphauit. Non opus eſt aliunde argumenta vocare: iſthic, (vbi nunc ſumus) Pariſiis, multa reſpondent. Eo maiori laude, quòd in vrbe orbis inſtar; in qua omnia prona in luxum, vitiúmque ex luxu, non modò curriculum iniſti, ſed orbem virtutis confeciſti. Ecquis enim te in tanta animorum remiſſione intentior? in tanto rerum tumultu quietior? in tanta varietate certior? in tanto otio occupatior? in tanta mobilitate conſtantior? in tanta turba, & turbine negotiorum pacatior? Eò tibi minus arrogas, quò plura licent. Virtuti amori es, horrori vitio. Viua lex: vbi mortuæ leges ia-

cent. Habitas in vrbe, at ciuis Templorum es: Vmbra conuiuij Eucharistici: nobilis appendix Altarium. Quæ tu sacraria non euocas in lucem inducto auro? Quæ sacella redolere cælum suffitibus non doces? Quas Aras illustribus accensis flammis stellantes non reddis? Quos tholos ingentibus appensis donariis pauimento non committis? Domo cùm egrederis, quà graderis, Pietas insistit. Exciti ad sonitum currus pauperes euolant; sed stipe præuolante eorum vel vocis ad petendum, vel pedum ad accedendum tarditas arguitur. Occupat miseriam charitas, ac ne se prodendo erubescat, obuia eleemosyna efficit, eo magnifica quòd ne pudorem quidem vti mercedem à mendicante exigit. Nemo miser est, qui feruentes circa se charitatis igne currus tui rotas non sentiat. Omnes aliarum virtutum numeros exples, & aggestu cumulum facis. Nulla in gradu, omnes in culmine consistunt. Eminent, & famam, citra fastum tamen, colligunt, & fatigant. Tua virtus & lucet, & vmbram opinionis trahit. Eas, quæ magnanimitatem continent, & generositate constant, ita repræsentas, vt confecto virtutis curriculo in confinio vitij positus videaris: adeò, vt, cùm extra vitium sis, totam virtutem exhaurias: iturus vlteriùs in excessum, nisi vitium esset. Sic splendidus

prope luxum, magnificus prope prodigalitatem, ostendis non facultatem tibi, sed voluntatem vltrà eundi deesse. Jtaque virtutis & vitij Arbiter, quod est ad honestatem & gloriam satis, vindicas: quod ad vitiositatem, & arrogantiam vergit, refutas. His, quæ Dei dona & Gratiæ fructus sunt, virtutibus, ea merita collegisti; vt omnes tibi honorum tituli, omnia dignitatum ornamenta deberentur: quæ te domi clarum, foris gloriosum, omnibus admirandum reddiderunt. Adeo, vt cùm illustrissimum à maioribus tuis Gamicum sanguinem magna cum nominis gloria acceperis: eam tamen dati & accepti vsuram reddideris, vt qui fœnus cum capite conferat, planè comperiat; multo plus esse, quod retribueris, quàm quod acceperis. Quare minus tu dato tibi à maioribus, quàm maiores reddito sibi à te sanguine gloriantur.

Ex his apparet te tum virtutibus cum Gratia consentire, tum ab ea meritis non dissentire. Vno tantùm videris alienus; Scilicet interiore illâ discordiâ, quâ partes animi inter se dissident: illâ pugnâ, quæ ex contentione diuersarum affectionum existit; & quâ quisque secum velut distractis in factiones motibus bellare cogitur. Quæ sanè pœna peccati est: atque adeo

à

à Gratiâ remota & aliena. Cuius tu sanè immunis non es. Quid tamen? si huic, quæ omnibus communis est, cùm sis obnoxius, nouo alio pugnæ genere ad Gratiam accedas. Magnum equidem in te certamen fieri video, quo animi tui partes inter se maximè digladiantur. Nam cùm omnes in te animi & corporis dotes, velut ex compacto, confluxerint, ac ex magnitudine penè pares existant, necesse est, vt inter eas oriatur contentio ex studio eminendi. Itaque dum singulæ primas vendicant, coguntur omnes inter se bellare, ac eò ardentiùs, quò magis ambigua est ex æqualitate victoria. Pugnat in facie cum modestia elegantia: cum pulchritudine venustas: cum decore grauitas. Pugnat in corpore cum robore agilitas, cum habilitate vigor, cum teneritudine firmitas. Pugnat in intellectu acumen cum pondere, vis cum maturitate, perspicacia cum prudentia, ratio cum solertia, ingenium cum iudicio. Pugnat in voluntate cum temperantia magnificentia, clementia cum iustitia, cum magnanimitate modestia, cum moderatione largitas, cum pietate fortitudo. Pugnat in animo cum mollitudine constantia, cum facilitate tenacitas, cum humanitate seueritas, cum candore magnanimitas. Nec est obscura pugna,

sed nobilis, & in summa pace vitiorum felix: quibus, quòd tuus animus vacuus est, virtutes inter se oportet confligere. Atque hoc demùm à Deo singulare munus Gratiæ te accepisse fateamur necesse est, vt cùm in aliis fermè vitia cum virtutibus pugnent, in te (Marchio Excellentissime) *non nisi virtutes cum virtutibus prælientur. Iam verò quòd huiusmodi oracula ex cortina Augustini sint, eo ad te pertinent, quòd cùm ille Sol Theologiæ existat, te omnino debet respicere, cuius maiores Orientem explorarunt; quo nomine Solem sibi magnopere deuinxerunt, quippe cuius nobis defectio, & quasi mors in Occidente positis comperta solùm fuerat, eius in Oriente vis, vitáque, haud dubio splendore gloriæ, Gamarum tuorum operâ innotuit. Igitur cùm argumenta operis virtutibus tuis consentiant, ac omni ex parte opus in te quadret, Authórque sit omnibus nominibus tuus, Patrocinium tuum iure exigimus: atque hoc vno, in rebus Gratiæ iustitiam profitemur. Vale. Hagæ Comitis Kal. April. An.* 1648.

Seruus tibi addictissimus

Frater FRANCISCVS A S. AVGVSTINO MACEDO.

CVM vix hodie sit Lector, quin censor & idem sit: ac nemo sit censor, quin se Catonem putet: monendus mihi es, quæ legis, non mea, sed Augustini esse. Nec illi à te timerem, nisi tu præiudicata afferres. Nam vt mihi caueam illo me munio, quod decennium intra cortinam apud Augustinum fui. Nec ego tecum plura: vbi non mea sed aliena dicturus. A limine Paulum audi. *O Homo tu quis es qui respondeas Deo?* & ab eo Magnum Gregorium. *Respondere Deo non posse conuincitur qui homo nominatur: quia per hoc quod de humo sumptus est iudicia sempiterna discutere dignus non est. Rationem de occulto eius consilio quærere nihil est aliud, quàm contra eius consilium superbire. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat, rationem videt.* Rursum Paulus sonet. *O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* & fulminet Augustinus. *Iudicia Dei, quoniam iusta, & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari.* Pedem in adyta inferenti occurrat scriptura. *Ne transgrediaris terminos patrum tuorum:* cum Salonio. *Antiquos terminos, Veritatis & Fidei quos statuerunt Catholici Doctores. Hoc ergo præcipit, vt nemo aliter veritatem Sacræ Fidei & Euangelicæ doctrinæ suscipiat, quàm à sanctis Patribus est tradita.* Iam ascendenti, scalam Iacob proponat Cassiodo-

Ad Rom. 9.

D. Greg. lib. 9. comment. in Iob c. 8.

D. August. lib. de Corrept. & Gratia c. 8.

Salon ex Biblioth. Veter. Patr.

Cassiod. in Instit.

rus: *Per hanc*, inquit, *ſcalam ad Deum aſcendimus, per expoſitiones probabiles Patrum, vt eorum ſenſibus prouecti ad contemplationem Domini perueniamus.* Hærenti manum porrigat Ticonius monens: *Perperam prius nos velle intelligere & Fidem rationi ſubiicere.* Admiranti ſuggerat Tertullianus: *Viderint quibus nouum eſt quod ſibi vetus eſt: Dominus noſter Chriſtus Veritatem, ſe, non Conſuetudinem cognominauit.* Et: *Malunt neſcire quia iam oderunt, adeo quod neſciunt præiudicant id eſſe, quod ſi ſciant, odiſſe non poterant.* Tacitè obiicienti occurrat Vincentius Lyrinenſis. *Vtuntur etiam ſcripturis Hæretici. Sed quomodo? Mitte te deorſum. Errando præſumptuosè.* Obmurmurantem comprimat Gregorius Nazianzenus: *Dæmon Chriſtum tentans fuit latro Scripturarum.* Mecum fortaſsè expoſtulantem compeſcat Hieronymus: *Delicata doctrina eſt pugnanti ictus dictare de muro.* Propria obtrudentem refutet Auguſtinus: *Sequuntur nonnulli phantaſmata ſua tam præcipites, vt nulla ſit alia materies falſarum opinionum, quàm habere phantaſias, vel phantaſmata pro cognitis. Noli altum ſapere*, mi Lector. Ac tutus intra.

Ticon. de Reg. Sacr. ſcript.

Tertul. de veland. Virg. c. 1.

In Apologet.

Vincent. Lyrin. cont. hæreſ. c. 35. & 37.

D. Greg. Nazianzen. Epiſt. 40.

D. Hieronym. in Apolog. cont Iouin.

D. Auguſt. lib. 6. de Muſica c 11.

DIVO Diuino : AVRELIO Aureolo :
AVGVSTINO Augusto :

Æterni Patris extra Verbum voci : Filij Verbi vltra vocem Calamo : Spiritus sancti intra Cortinam Oraculo.

Sanctissimæ Trinitatis Organo : Christo Domino Deo à iudiciis : Homini à miserationibus.

Incarnatæ Sapientiæ à mysteriis, à consiliis : Seraphino Amore : Cherubino Scientiâ : Angelo Gratiâ.

Dauidicæ Scripturarum Claui : Vtriusque Testamenti vocali vinculo.

Viuæ Euangeliorum Harmoniæ : Fido Ioannis, Paulique Interpreti.

Veritatis Medullæ : Sapientiæ oculo : Fidei Pupillę : Religionis corculo : Ecclesiæ menti : Scientiarum thesauro.

Encyclopædici Orbis Intelligentię motrici : Animæ assistrici.

Vltra Patres Parenti : supra Doctores

ĩ

Aquilæ: Extra omnem ingenij
aleam poſito.
In confinio terræ cœlíque ſito: vultu inter hominem ſuperúmque ambiguo,
tantùm non corpore Cæliti.
Spiritu vltra Cælites niſu ingenij
anhelante.
Theologiæ vertici: Philoſophiæ Apici: Sacræ Doctrinæ lapidi lydio: Ad litteras nato: neminis diſcipulo: Omnium
Doctori: Arbitro diſciplinarum.
Viuo acumini: animatæ ſubtilitati.
Veri indagatori acri: inueſtigatori acuto: aſſertori firmo: propugnatori
ſtrenuo: illuſtratori ſplendidò.
Religionis lumini: Virtutis Columini,
Pietatis ideę, Sanctimoniæ exemplari,
Morum normæ, Rectè viuendi
Regulæ.
Vitiorum Flagello, Hæreſeōn Fulmini,
Errorum Clauæ: Nodorum gladio:
Sanſoni Sacro: Herculi erudito:

Atlanti litterario.
Romanæ Ecclesiæ à Petro Columnæ.
Bolidi difficultatum: Trutinæ opinionum: Pharo controuersiarum: Doctrinæ Abysso perspicuæ: Soli profundo.
Vbi acumine opus, acuto citra futilitatem: vbi pondere, maturo citra tarditatem: vbi breuitate, breui citra obscuritatem:
Vbi copiâ, citra luxuriem copioso: vbi nitore vltra lucem splendido: docto extra errorem: erudito supra admirationem: Sancto præter vitium.
Qui omni doctrinâ plenus: disciplinâ vacuus. Vnus in Superis Pater Æternus, qui à se esset: Vnus inter mortales Augustinus, qui à se sciret.
Qui quòd omnem omnino intelligendi materiem intelligendo consumpserit: Deum voluit comprehendere.
Qui hoc vnum fuit docendus: vnum Deum extra sui ingenij captum esse.

Qui, vti Deus opera à ſe condita recognouit: ita opera à ſe ſcripta retractauit. Deus lucem à tenebris diuiſit: Auguſtinus verũ à falſis ſeparauit.

Deus recognitis operibus cuncta probauit: vt Deum ſe probaret. Auguſtinus retractatis operibus vix inuenit, quod reprobaret: tantùm reperit, quæ ſatis eſſent, vt hominem ſe eſſe oſtenderet.

Deus ab operando tandem aliquando requieuit: Auguſtinus ab ſcribendo nunquam ceſſauit.

Luctantis cum Auguſtini calamo Falcis Mortis is exitus fuit: vt Falx ſcribenti adimeret vitam, Calamus Morti extorqueret æternitatem.

Qui ne Diuinus haberetur ob Diuinam tot libris contentam doctrinam: peccata ſua ſcribere voluit:

Vt libris Confeſſionum editis, quod negabat ingenium credi: nempe infra

Superos esse: errata volun-
tatis suaderent.
Qui prope Deum intellectu cùm esset:
voluntatis defectu infra homines
esse voluit:
Vt velificanti ad gloriæ portum, super-
biæ flatu, ingenio, peccatorum pon-
dus saburra ad salutem esset.
Cuius Calamus, quæ Pater locutus est
nobis in Filio, Spiritus sancti ductu
characteribus exarauit.
Verbum dixit in Superis Pater. Verbum
scripsit apud nos Augustinus. Ab
hoc ita scriptus, vti ab illo dictus.
Cuius scientia eo Sapientiæ Æternæ si-
milis: quod hæc nata, non facta:
Augustini non tradita à præceptori-
bus: sed suapte virtute acquisita.
Cuius tanta Gratia fuit, vt & scientia
Gratia fuerit. An non iure omnis eius
Sapientia ad defensionem Gratiæ
comparata? Gratiæ gratiâ redditâ?

Cuius nemo discipulus esse possit, qui
doctus non sit: nemo discipulus sit,
qui doctor esse non possit.
Nemo qui non sit discipulus, doctus esse
possit.
Cuius voce loquitur Ecclesia: Cuius
Oracula fundunt Concilia:
Cuius doctrinâ crepant Pulpita: cuius
sententias docent Academiæ: Scholæ
amplectuntur: Sectæ admirantur.
Cuius tanta existimatio est: vt, qui Chri-
stianus censeri velit, videri Augu-
stinianus desideret.
Cuius nempè Authoritas vtramque in
Ecclesia paginam faciat. Tota
solida: Petra est.
Cui quæ *Arcana verba* Paulus audiuit, &
non licet homini loqui: scribere licuit:
quòd supra hominem, quòd cala-
mo propè diuino: iam non
hominis.
Cui Diuinæ Sapientiæ thesauri; & my-

ſteriorum ſacraria patuerunt; Quæ
in Chriſto abſcondita, ab Au-
guſtino aperta.
Cui datum medullam Cedri tollere:
Aquilæ magnarum alarum.
Ante Auguſtinum debuit Chriſto dici,
Verè tu es Deus abſconditus.
Poſt Auguſtinum licuit vertere,
Verè tu es Deus manifeſtus.
Cui aſſentiri: tutum: decorum: propè
neceſſarium. Diſſentiri: periculoſum:
turpe: penè ſuſpectum.
Cui ne ipſi quidem Hæretici, qui Deo
contradicunt refragari audent.
Qui velit Eccleſiæ reddere: voce reuo-
cet Auguſtini. Sanctum vbique eſt,
quod doceat Auguſtinus.
Cui hac ratione Africani Monſtri defi-
nitio quadret. Nam verè Monſtrum
in Auguſtino Africa tulit:
Quòd cùm ratio credendi in Deum ſit
Authoritas ipſa Dei; ſint tamen qui

Diuinæ Authoritati non nisi per Augustini authoritatem credant.
Quem in Manichæismum labi permisit Deus, ne de sũmo ingenio superbiret, putarétque sibi veritatem addictam.
Quem, vti Petrum post peccatum Petram Ecclesiæ constituit: ita post Sectam Doctorem Fidei reddidit: vt Petrus patienter Peccatores, Augustinus imperitos toleraret.
Quem oportuit & cum solicitudine ab Ecclesia quæri, & cum gemitu pari: vt & pretium margariti, & dignitas Filij probaretur.
Quem ne error quidem latuit: ne vel illud quod est in hæresi subtile effugeret, ne quid quod nosci aliquo modo posset omnino præteriret.
Quem disceptando, ratiocinando Deus perduxit ad Fidem ne repudiaret Gratiam, si rudem crederet.
Quem totum oculeum Ecclesiæ tradidit

dit, vt cùm eum posteà in obsequium
Fidei cæcum redderet, omninò
appareret quales oculos mactas-
set Fidei.

Quem nulla omnino Veritas latuit, ne,
si qua effugeret, ea opinionem Veri-
tatis amitteret: ex Augustini inge-
nio Veritates spectantur.

Quem ad sacrarium suæ Sapientiæ Ver-
bum admisit; vt vbi Fons Veritatis
erat, ibi Augustinus consisteret.

Quem ideo probabile est Deum in hac
vita clarè vidisse, quoniam quod sibi
in gratiam Fidei visûs detraxerat,
non poterat nisi ipsius Dei con-
spectu compensari.

Quo Sole illustrantur scientiæ: Quâ
Claui aperiuntur scripturæ: Quo Gla-
dio soluuntur nodi: Qua Clauâ
contunduntur errores: Quo
Fulmine dissipantur hæreses.

Quo tanquam Vnicornio ad Scientia-

rum Fontes accedente virtus tollitur, venenum aufertur: ſalus infunditur: conſtat veritas.

Quo nemo ad excogitandum acutior: ad inueniendum acrior: ad iudicandum maturior:

Ad probandum aptior: ad confirmandum fortior: ad perſuadendum efficacior: ad confutandum vehementior.

Quo nemo altiùs eue©tus ingenio, nemo ſublimiùs elatus famâ: nemo demiſſiùs Chriſtianâ humilitate abie©tus.

Nemo ſcientiâ & virtute Deo propior: nemo opinione ſuâ remotior.

Quo vno diſperſæ per prophanos Authores, per ſacros Do©tores dotes coniun©tæ continentur.

Nec enim ſi qua deeſſet Auguſtinus eſſet. Is eſt vt eũ Angeli nobis inuideant.

Quo tacente do©ti Do©tores exiſtunt:

Quo loquente Doctores discipuli
fiunt. Quo absente Reliqui vti
stellę oriuntur: Quo præsente
occidunt. Sol est.

Quo vno doctrina profana, Sacra, Fides,
Veritas: existimatio Ecclesiæ nititur:
Vt si omnia saluo Augustino monumenta
perirent, satis in eo nobis
ad scientiam, satis Ecclesiæ ad
gloriam superesset.

Verè Christus est Veritas: Augustinus
tantùm non Veritas.

Quo vno authore omnes quotquot hactenus
fuerunt Hæretici abundè confutati:
quótque postea fuerint
omninò confutandi.

Quo demum se vltra omne ingenij fastigiũ
efferente, par quodammodo Angelis
relatum. vt qui deprimente
se Christo Deo audierunt:
Minuisti eum paulò minus ab Angelis.
Attollente se Augustino homine audiãt:

Minuisti Angelos paulò minus ab homine.

Huic
Delicio, Ocello, Corculo, Voto, Amori, Animulo suo opusculum hoc
De Prędestinatione & Gratia: Doctrinâ
vti acceptâ, ita redditâ,

Fr. FRANCISCVS A S. AVGVSTINO MACEDO
in Minori Obseruantia Maximus
Augustini obseruator

D. D. C. Q.

TYPOGRAPHI AD LECTOREM MONITIO.

QVoniam compertum eſt mihi optare multos Authoris Opera omnia noſſe ac legere: eaque plura eſſe quàm vulgò ſcitur, & ignorari quot & cuiuſmodi ſint, quòd Author & genio gentis & ſuo condendi ſtudioſior, quàm edendi fuerit; operæ pretium duxi omnibus illa indagata veſtigiis expromere. Id haud facilè factu fuit: nam cum ab adoleſcentia varias peregrinationes Reip. causâ ſuſceperit, & totam fermè Europam in Legatorum, qui omnes illius ſemper flagitabant operam, comitatu peragrauerit, tam diſperſa monumenta ſunt, vt ægrè non modò colligi, ſed etiam deprehendi potuerint. Scio nonnulla intercidiſſe: Plurima quæ auulſa recenſeri non poſſe. Itaque maiora, & quæ iuſti voluminis ſpeciem præbent, numerari oportet. Sequar ordinem temporum.

Elenchus

APotheosis Beati Francisci Xauerij Olisipone Anno 1620.
Poëma Epicum in Octauo.
Apotheosis Diuæ Elizabethæ. Reginæ Portugalliæ. Poëma Epicum. in Quarto. Conimbricæ An. 1625.
Vida de Don Luis de Attayde Conde de Attouguia Virrey de la India Oriental. Historia Hispanicè. in Quarto. Madritti. An. 1629.
Summa Chronologica. Hispanice. in Quarto. Madritti. An. 1633.
Panegyris Apologetica pro Lusitania vindicata. in Quarto. Parisiis. An. 1641.
Ius succedendi in Regnum Portugalliæ in Folio. Parisiis. An. 1641.
Roma. Poëma Epicum. in Quarto. Romæ An. 1641.
Honor vindicatus. in Octauo. Rupellæ. An. 1642.
Elogia Gallorum. in Quarto. Aquis Sextiis. An. 1642.
Philippica Portuguesa. Hispanice. in Folio. Olisipone. An. 1644.
Propugnaculum Lusitano-Gallicum. in Folio. Parisiis. An. 1647.

Cor-

Cortina Diui Augustini de Prædesti-
Parisiis. Ann. 1648.
natione & Gratiâ. in Quarto.
Libellus Anonymus. in Octauo. Londini. An. 1652.
Alter Anonymus. Hispanicè.
Londini. An. 1653.
in Quarto.
Domus Sadica. in Folio. Londini. An. 1653.
Mens Diuinitus inspirata Sancto Patri N.
Londini. An. 1653.
Innocentio Papæ X. &c. in Quarto.
Lituus Lusitanicus, id est Apologia Mentis
Londini. An. 1654.
Innocentij aduersus Thomam Anglum.
in Quarto.
Scrinium Diui Augustini de Adjutorio.
Sine quo non, id est de Auxilio Sufficiente.
in Quarto.
Tessera Romana Authoritatis Pontificiæ.
Londini. An. 1654.
in Quarto.
Habet præ manibus Versionem Poëmatis Lusiadum Ludouici Camonij Hispanicorum Poëtarum Principis cum notis. Opus eo genere absolutum, propediem in lucem edendum.

Hyperaspiten Augustini in quo omnes eius sententiæ quæ à quopiam improbentur, à calumnia vindicantur.
Historiam Latinam Serenissimi Regis Lusitaniæ Ioannis IV.

Tria

Tria ingentia volumina.

Corculum Augustini de Adjutorio *Quo* id est Gratiâ Efficaci aduersus Socinianos, Puccianos Arminianos, Remonstrantes nostri temporis Pelagianos & Semipelagianos. in Folio.

Interciderunt.

Scientia Poëtica.
Scientia Rhetorica.
Aduersaria totius Augustini.

Quædam alia refert P. Philippus Alegambe è Societate Iesu in sua Bibliotheca: quæ, quia hæc non est ad manum, munerare non possum.

PROLOQVIVM.

LIBRA SANCTI AVGVSTINI inter Arminianos & Caluinianos.

PROLOQVIVM.

VTI Virtus inter duo vitia extremè opposita locatur: ita inter duos contrarios Errores Veritas constituitur. Id quòd alias ex Tertulliano animadvertimus, nunc monstrare omittimus. Tantum adducto à Tertulliano Christi inter duos Latrones Crucifixi Paradigmati addimus. Latrones vnà cum Christo Crucem pertulisse: non ei Crucem parasse. Hæreticos parare veritati Crucem, non perferre. Et quidem veritatum vna Gratia, Crucifixo maximè Christo similis fuit: Fortè quod Omnis Gratia à Crucis Fonte manauit. Sed Christus semel. Veritas bis Crucifica. Olim inter Manichæos & Pelagianos. Hodie inter Calvinianos, & Arminianos Crucem subit. Illud mirum: quòd hi veritate in Crucem actâ Hæreticos suscitarunt. Calviniani Manichæos, Arminiani Pelagianos. Sed non totus in Calvino Manes, nec integer in Arminio Pelagius. Semi-Manichæus ille: Hic Semipelagianus. Sed non minus dimidio, quam illi toto

corpore nocuerunt. Nam Veritati non tam vi, quam fraude officitur. Facilius est autem propius ad veritatem erranti fucum inducere, & fallere, quam enormiter, & procul à veritate aberranti. Atque vt in Amore Dimidium plus toto valet, ita in odio sæpe dimidium plus toto nocet, quia dum vult, vnum cum veritate componere, seque illi tamquam dimidium applicat illudere ac elidere Veritatem conatur. Hac arte multis Calvinus, Arminiusque imposuit: ille dum Gratiam extollit, libertatem evertit: hic dum erigit libertatem, Gratiam deijcit. Sed bene est quòd ij ex latronibus Gladiatores extiterint, & in contraria studia scissi factiones excitarunt: quæ more gladiatorio in arena se mutuis ictibus conficiunt. Sed quoniam illi non ferro, sed doctrina pugnant & pugnando docent; ne quem imperitum seducant, & ipsi errantes in viam veritatis reducantur, statui sensus vtrorumque prodere, in quos ego diligenter, ex quo sum in Anglia inquisivi, ut cum appareat quid quisque sentiat, veritatisque in medio consistit census constet. Ac vt aptè id & certò efficerem, quemadmodum Crux Statera *dicitur, ita* libram *ego* veritatem *institui: & quòd certa & indubitata est de Gratia Augustini doctrina, eam loco* veritatis *posui: & lancibus hinc inde productis Æquamentum Augustini adhibui. De Authoritate Augustini, etsi Arminiani*

dubitent, neminem puto Catholicum dubitare posse. De mea circa ejus sententias fide non deerunt, qui ambigant; sed qui meum in perlegendo & expendendo Augustino pertinax studium, et ingenij candorem norit credere non metuet affirmanti: cum præsertim, tam Augustinum amem vt in ejus me sensus intimè insinuaverim, & minime sim ausurus aut eos detorquere aut corrumpere: ne quam vim aut injuriam ei quem summè diligo faciam. Quod si acumen & subtilitas deest.
Est vbi Cęcus Amor plus mentis acumine cernat.
Cui enim Amanti ejus quem amat sensus noti non sint? Horum ego vti explorator, ita trutinator sum. Libram produco. Lances expono. Lingulam adhibeo. Ago libri pendem

Dum statuo geminas æquato examine Lances
Lingula monstrabit, vergant quò pondera Veri.

LIBRA.

Prædestinationis & Gratiæ.

Lanx Arminiana.

I.

DEus non absoluto Decreto, sed nixo præscientiâ Fidei, & meritorum, Fideles & Bonos prædestinauit ad vitam, Incredulos & malos dānauit ad mortem sempiternam. Arminius in Declar. sent. & in resp. ad 31. artic. art. 4. & in nouem quæst. & Collat. cum Iunio. & in exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes. in Synod. c. 1. de Prædest. & in Apolog. in Præf. & in exam. c. 5. & 9.

II.

DEus habuit voluntatem Generalem antecedentē saluandi omnes homines nemine excepto : iuxta illud Pauli Deus vult omnes homines saluos fieri. Arminius in respons. ad Artic. 4. 4. ... ad

Æquamentum Augustini.

I.

DEus supposito Peccato Adæ, ex massa damnata, nullis præuisis meritis, absoluto Decreto quosdam ex misericordia Prædestinauit; quosdam permissione, ad iustitiam in damnatione dereliquit.

August. lib. de Prædest. Sanct. & lib. de Bono perseu. li. de natura & Grat. lib. de Corrept. & Grat. in Enchirid. & sæpè. vide Cortinam nostram princ. 2. & 3. & Conclusiones. 2. v. vsque ad xv. & tract. 4. in earum probatione Sectatores inuenies.

II.

DEus habuit voluntatem saluandi ex omni hominum genere aliquos : sed non singulos generum. Nonnullos præuiso peccato originali dereliquit. Damnatio voluntarium vel in se vel in aliô peccatum est consecuta.

Lanx Caluiniana.

I.

DEus ante omne Decretum de re aliqua supernaturali : & citra vllam præuisionem Peccati siue Originalis, siue Actualis, absoluto Decreto quosdam prædestinauit ad Gloriam : quosdam destinauit ad mortem æternam. Caluinus lib. 3. institution. Beza. in Colloq. Mombelgart. & aduersus calum. nebulonis. Perkinsus. in libello de Prædest.

II.

DEus non habuit voluntatē saluādi omnes : imo ante vllius præuisionē peccati absolutè voluit aliquos perire : & in peccatum & pœnam contrusit, vt damnaretur. Caluinus 1. Timoth. 2. & l. 1. institut.

ad 9. & in quæstion. nouem. & in Exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes in Synod. de Prædest. & de Grat. conuersion. & in Apol. exam. c.5. 8. 9. 17. 18. 19.

I.

III.

Ratio discretiua inter Electos, & Reprobos sumitur ex vsu præuiso liberi arbitrij cum oblata cōmuni Gratia operaturi, vel non operaturi: ac secundum huiusmodi scientiam facta fuit Electio & Reprobatio.

Arminius in quæst. nouem. & collat. cum Iunio. & in Exam. Prædest. Perkins. p. 1. fol. 522. & 2. p. f. 591. & 604. 605. Remonstrantes in Synodal. art. de Prædestin. & in Apologia in Exam. cēsura c. 7. 9. 11. & præcipuè 18. vbi impugnat Augustini sententiam, f. 194. Quid ad nos inquiunt, Augustini definitiones?

IV.

Libertas Arbitrij in Indifferentia, &

Augustinus in Enchir. lib. de Prædest. Sanct. lib. de Corrept. & Grat. Epist. 106. & 107. vide Cortinam princip. 1. & 2. & Concl. 8. ad 16. & probationes earum. & Scrinium nostrum. ac. 13.

I.

III.

Ratio discernendi Prędestinatos à Reprobis in massa damnata, est libera volūtas Dei eligentis hos præ aliis cum omnes indignos videret, nullâ ratione meriti attentâ vel præuisâ tanquā motiuo eligendi. Ex misericordia elegit quos voluit: cæteros ex iustitia in eodem quo erāt statu dereliquit. August. lib. de Prædestin. Sanct. c. 6. 14. 15. 19. lib. de Bono Perseuer. c. 9. ad 12. in Enchi. Epist. 105. 106. 107. Sermone 17. de verb. Apost. & alibi. sæpè. vide Cortinam in Princip. 2. & 3. & in Concl. à Concl. 5. ad 16. Ita de Augustino sentiunt Thomistæ & ex Iesuitis Bellarm. Ruisius, & Suarius.

IV.

Libertas Arbitrij humani in statu Integritatis

sti. c. 18. & l. 3. c. 23. & in Antidoto. & Beza in Colloquio Mombelgard. tenuit Melancthon in c. 8. Epist. ad Romanos Zuinglius. Serm. de Prouid. ad Cattorum Principem. cap. 6.

I.

III.

Nulla est ratio discretiua Electorū à Reprobis nisi absoluta voluntas Dei volentis quosdam condere vt saluentur, quosdam vt damnentur, ante vllam præuisionem Peccati; nullâ huius ad reprobādum habitâ ratione. Caluinus lib. 1. instit. c. 18. & lib. 3. c. 21. 22. 23. Beza tract. de Prædest. contra Castellionem. & in Notis maioribus ad Caput ad Roman. Zanchiū. Piscatorem. Perkinsium, Gomarum, Maccouium citant. Remonstrantes in Examine Censuræ c. 5. consentit cum Caluino Molinæus in Anatome Arminianismi.

IV.

Libertas Arbitrij in statu naturæ integra indif-

& aqua in vtramque partem potestate consistit: eâque sublatâ corruit libertas: quæ in Æquilibrio posita paribus momentis in oppositas partes libratur.

Arminius in resp. ad art. poster. a. 2. & 7. & in Exam. Prædest. Perkins. parte vlt. f. 604. & 605. Remonstrantes in Apolog. in Exam. 1. 2. 6. 7. & 17. & in Collat. Hagien. art. de Conuersione.

V.

Liberum Arbitriū in statu Ruinæ ex se solo potest bonos aliquos actus morales operari: & etsi propriè non disponant ad Gratiam, præbent tamen Deo occasionem vocandi ad Fidem, & Gratiam rectè operantes: aut minus malè operantes.

Arminius in respons. ad 31. art. art. 13. & ... & in exa. Prædest. Perkins. Remonstrãtes ... Collat. Hagien. de E... & Redempt. & in Synod. Art. de Prædest. ... de Grat. art. 2. & ... Apolog. in Exam. ...ns. c. 10. & 17.

gritatis posita in æquilibrio Indifferentiæ: In statu ruinæ amisso æquilibrio Indifferentiæ vergit in malum citra necessitatem, & per gratiam inclinatur in bonum retenta semper libera potestate, exclusâ non solum coactione, sed etiam necessitate ineuitabili, qua cum libertas stare non potest.

Augustinus multis in locis quos adduximus in Cort. concl. 80. & in probat. earū, & expendimus ibid. quæst. de libert. & necessit. peccandi. & in Mente Innocentij art. 4. & præcipuè 5.

V.

Non omnia opera facta à non iustificatis, siue Infidelibus sūt Peccata: quæ tamen sine vlla illuminatione Fidei Inchoatâ fiunt, Peccata sunt. Quare in nullo actu merè naturali aut conditio, aut occasio ad consequendam supernaturalem Gratiam reperitur.

Augustinus variis in locis à nobis in Cortina citatis Princ. vj. vij. & Cōcl. 35. ad 46. & in propr. quæst. 2. & hic in Scrinio. art. 11. 12. & 14.

indifferentiam habuit. in statu ruinæ in necessitatem transiit, atque adeo est titulus sine re. Sola restat libertas à coactione: & hæc satis est ad libertatem retinendam.

Caluinus l. 1. inst. c. 15. & l. 2. c. 2. & in Antid. ad Can. 5. Sess. 6. & l. 2. cont. Pigh. Synod. Dordrect. p. 206. & 207. Molineus in Clyp. Fidei ad art. 9. Chamier. to. 3. l. 2. c. 1.

V.

Nemo ante Fidem & Gratiam iustificãtem opus aliquod bonum potest efficere. Quæcunque quis agit, ea omnia peccata sunt.

Caluinus lib. 3. Instit. c. 14. Parag. 4. 5. & in Antidoto Trid. Sess. 6. in Can. 7. Chamierus to. 3. lib. 9. c. 13. cum Philippo in Apolog. Confess. Aug. & Kemnitio in Examine Conc. Trident. Sess. 6. Can. 7.

VI.

Duo sunt Auxilia Gratiæ : Sufficiens, & Efficax: non suâ intrinsecâ virtute; sed effectu distincta: qui pendet à libero Arbitrio, in cuius est Gratia potestate.

Arminius in Declar. sent. & in respons. ad art.a.8. ex prim. & 7. & 8. ex secund. & in 1. p. Exam. Prædest. Perkins. & in p.2. fol.604. & 605. & Remonstrantes in Synod. art. de Grat. Dei. *& in Apol. exam. Cens. c.2.6. & omnino perspicue. c. 17. fol.164. &c.*

VII.

Omnis Gratia Excitans est ex se indifferens, & indifferenti Arbitrio relicta, quod pro suo libito Gratiam accipit, reiicitve: ita vt hæc sit in vtrumque partem Vertibilis.

Armin. vbi supra. & Remonstrantes citati.

VIII.

Gratia Efficax est non à forma sua siue ex se; sed ex modo procedendi quo Deus

VI.

Duo sunt Gratiæ Adiutoria. Alterum Efficax. Alterum Inefficax: quod est remotè Sufficiens: intrinsecè diuersa, & diuerso modo afficientia voluntatem; vni semper resistitur, alteri nunquam, etsi resisti possit à voluntate.

Augustinus in Cortina nostra. Concl.50. ad 58. & 6. ad 79. & quæstione 3. & in Scrinio. cap.7.8. & 9. vbi multi loci citantur, & in mente Innocenti art.1. & 2.

VII.

Omnis Gratia excitans mouet voluntatem. Inefficax indifferentem relinquit. Efficax trahit & inclinat sublatâ indifferentiâ, seruatâ libertate nec *Vertibilis*, nec *Irresistibilis*, sed *Victrix*.

Augustinus in locis supra adductis.

VIII.

Gratiæ Efficacia cõsistit in propria virtute intrinseca antecedẽter mouente, & trahente voluntatem

VI.

Unum solum est Auxiliũ Gratiæ, id est Efficax agens necessario arbitrium, & efficiens consensũ voluntatis virtute impressâ, cui nequit resisti.

Caluinus in Antid. Trident. ad Sess.6. Pa- tag. Porro. *& lib.5. cont. Pigh. pag.183. & 204. & Synodus Dordracena pag.795. & Chamierus. to.3. cap.5. & Beza aduersus Castellionem. pag.457. & Pareus. lib.2. de lib. arbit. c.2. & in actis Synod. Dordracena pag.305.*

VII.

Nulla Excitans Gratia liberum, ne dum Indifferens relinquit arbitrium: omnis ea necessitatem affert voluntati, ac est omnino Irresistibilis.

Caluinus proximè. cum aliis citatus.

VIII.

Efficacia gratiæ cõsistit in quadam vi intrinseca necessitante voluntatem ad consensum

Deus vtitur qui fundatur in prænotione Dei, qua præscit infallibiliter Gratiam, si isto tempore, tali loco, cum talibus circunstantiis offeratur, certissimè effectum sortituram. *His eam verbis definiunt Remõstrantes in Apologia. Exam. Censura. c.17. fol.164. verso. Sumpta est definitio ex Arminio in Examine Prædestin. Perkinsianæ. fol.* 604.

voluntatem: quæ ineffabili victa dulcedine liberè cooperatur, sequens ductum Gratiæ trahentis.

Ita Augustinus sæpè. vti nos in Cortina nostra Princ.9.& 10.& in Conclus à concl.52. ad 38. & 66. ad 77. & in probat. earum.& q.3.& in Mente Innocentij a 3 4. & 5. & lib.1. de Adiutor. & in Scrinio c.7. & 8. vbi locos Augustini multos perspicuosque adduximus.

sum quæ nullum motum liberum arbitrio relinquit propter vehementem & omnipotentem *tractionem.*

Hac est definitio Caluini & Contra Remonstrantium. lib.2. instit.c.3. & in Antidoto Sess.6. & in Specimine Anstolodam. & statuitur in Synodo Dordracena art.8. 12. &c. & Chamierus to.3. l.2. c.4.

IX.

E*O tantum distinguitur Gratia sufficiens ab Efficaci: quòd Sufficiens datur cum prænoscitur non habitura effectum, Efficax cum præscitur habitura.*

Arminius in Declar. sent. & qu.est.nouem & in Exam. Prædest. Perkins. & Remonstrantes in Synodal. art. de Conuersione in Apolog. in Exam. c.17.

IX.

ILlud interest inter has duas Gratias, quòd Sufficiens est remissa, & paruas & infirmas efficit voluntates: Efficax Intensa & vehemens robustas & validas Efficiens voluntates.

Sic Augustinus manifestè lib. de Grat. & lib. arbitr. c.15.16.17.& ser.3. de verb. Apost. & lib. de spir. & lit. vide nostrum Scrinium c.7.& 8.& mẽtem Innocent. a.3.

IX.

G*Ratiarum distinctio post Peccatum Adæ nulla est, quia nulla est Gratia nisi Efficax. Quæ tamen distinguitur à Gratia primi hominũ: quòd hæc non necessitabat voluntatẽ Adæ, hæc nostras necessitat voluntates.*

Caluinus l.2. instit. c.3.33. n.10. & 13. & in Antid. Trid. Sess 6. & lib.5. contra Pighiũ & Scharpius lib. de lib. art. c.3.

X.

P*Ositâ in voluntate Gratiâ efficaci manet adhuc in voluntate libertas Indifferentiæ in vtranque partem æquè*

X.

VOluntas præmota Gratiâ Efficaci vehementer afficitur, & inclinatur citra necessitatẽ; & amisso æquilibrio Indifferentiæ,

X.

P*Er Gratiam Efficacem tollitur, non modo Indifferẽtia, sed etiam tota potestas voluntatis ad resistendũ. atque adeo libertas.*

aque flexibilis.

Arminius in Declar. suæ sententiæ.& in respons. ad 31. art. & in Exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes in Apolog. Exam. Censuræ.c.7. 9. & 17. & in Collat. Hag. art. de Conuers.

XI.

Consensus voluntatis ab ea & à Gratia tanquam à partialibus causis procedit: & ab humana cooperatione Efficaciâ Gratia tanquam à partiali causâ dependet.

Arminius etsi ambigue in respons. ad. art. art.7. & in Exa. Prædest. Perkins. At Remonstrantes perspicuè in Apolog. Exam. c.17. & in Synodal. art. de Grat. conuers.

XII.

Ex duobus æquali Gratiâ excitatis, cur vnus consentiat alter dissentiat ratio in Arbitrij libertatem resoluitur. Sequitur ex Arminij & Remonstrantium sententia locis proximè citatis.

Gratia

differentiæ, retinet libertatem Resistentiæ.

Ita nos docuit August. in Cort. à concl. 66. ad 8. & concl. 85. & in mente Innocēt. art. 5. & in Scrinio, c.6. 7. & 8. plurimis eiusdem Augustini testimoniis citatis.

XI.

Volūtas affecta Gratiâ Efficaci non ex æquo cum ea operationē causæ partitur; sed cooperans cū operāte prius, & mox cooperante Gratia ita liberè consentit, vt primas partes det Gratiæ præmouenti; & totum Deo bonum assignet.

Augustinus Locis in Cort. citat. 6. ad concl. 50 & 66. ad 81. & in mente Innocentij art.3. & 5. & in Scrinio c.6.7.8.

XII.

Consentiēti semper datur maior Gratia, quam dissentienti. Ita Peccati ratio in Arbitrium: Boni operis in Gratiam resoluitur. Seruata vtrinque libertate.

Augustinus in operibus adductis.

Gratia

Caluinus l. 2. institut. c.3. & in Antid. Trid. Sess. 6. & Synod. Dordracena. art. 8. & 12. Chamierus tom.3. l.2. c.4. Molinæus in Arat. Scarp. lib. de lib. art. 6. 3.

XI.

Consensus voluntatis ita est à Gratia Efficace vt non sit in potestate voluntatis, quæ impressa vi necessitante tātum non coactè operatur.

Caluinus in Antid. ad Sess. 6. & lib. 5. contra Pighium pag. 183. & pag. 204. Beza aduersus Castell. pag. 457. Pareus l. 2. de lib. arb. c.2. Chamierus tom. 3. c.5.

XII.

Tum qui benè ex Gratia operatur tum qui sine Gratia peccat accessario agit Peccans ex corrupta natura, Rectè agens ex compulsione Gratiæ.

Caluinus vbi supra & cum eo Caluiniani

D

XIII.

GRatia Sufficiens omnibus, nemine excepto, hominibus tum adultis, tum paruulis offertur. Si cui non applicatur ob Peccata, vel propria, si est adultus, vel aliena, si paruulus ei non applicatur.

Arminius in Declar. sent. & in respons. ad art. 31. a. 8. ei quæst. nouem. & perspicuè in Exam. Pradest. Perkins à pag. 539. & 582. & Arminiani citati hic in Scrin. c. 6.

XIII.

GRatia Inefficax, id est Sufficiens, multis infantibus in vtero matrum mortuis non datur, multis item adultis ex barbaris Infidelibus non datur. Omnibus Fidelibus etiam induratis datur.

Augustinus in nostra Cortina Princ. 6. & 7. & conclus. 58. ad 95. & in mente Pontif. Innoc. art. 2. & 4. & in nostro Scrinio. a c. 11. ad finem accuratissimè.

XIII.

DE Gratia ista cõmuni ambiguè ac variè sensisse Caluinum constat ex hic nostro Scrinio: c. 10. Caluiniani regidiores negant cum Petro Molinæo. Kimedoncio, & Amesio. Molliores affirmant cũ Mose Amyraldo, & aliis quos in 10. cap. citauimus. Nihil certi habetur, apud Caluinianos.

XIV.

AD initium, continuationem, cõsummationẽ omnis boni indiget homo Gratia praueniente Excitante, sequente, & cooperante, quæ Gratia in potestate Arbitrij est & ad eius flexũ vertibilis.

Ita Arminius expressè in Declar. Sua. sent. fol. 98. & responsione ad priores Artic. a. 4. fol. 111. 114. & ad Poster. a. 7. fol. 140. 141. & in disp. priuat. thesi 42. & in Exam. Præd. Perkins. fol. 513. 591. 593. 606.

XIV.

AD inchoandũ, continuandum, consũmandum quodlibet opus bonum indiget homo Gratiâ præueniente trahente suaptè virtute, & inclinante Arbitriũ, non ad arbitrium se vertente.

Augustinus in Cortina conclus. 50. ad 58. & 66. ad 79. & in Probat. earum. & q. 3. & in Mente Innocent. a. 3. & 4. & 4. in Scrinio. c. 6. 7. & 8.

XIV.

NIhil boni facere potest homo nisi compulsus à Deo per Gratiam necessitantem, & omnino Irresistibilem.

Caluinus l. 2. Instit. c. 3. & in Antid. Trid. Ses. 6. & lib. 5. cont. Pigh. & Beza aduersus Castellion. pag. 557. & Pareus l. 2. de lib. arbitr. c. 2. & in Actr. Synod. Dordracena pa. 305. Chamier. tom. 3, cap. 5.

XV.

Concordia libertatis cum Gratia nititur congruitate Auxilij communis cum Arbitrio indifferenti à Deo præuisa; vnde sequatur libera operatio infallibilis Arbitrij Gratiæ opportunæ responsuri.

Arminius Declar. Sent. pag. 96. in Exam. Prædest. PerKins. 1. p. fol. 5. 23. & 2. fol. 591. 604. 605. Remonstr. in Synod. a. de Præd. & de Conuers. & Apol. Eam. Cers. c. 7. 9. 18.

XV.

Si distinguatur Indifferentia à libertate: & in hac ponantur inclinationes, & momenta, & in Gratia intensio & remissio, & diuersæ motiones secundum magis & minus, quibus voluntas inclinetur & trahatur intra libertatem ad consensum, constabit concordia cum Gratia libertatis.

Augustinus in Cortina cl. 71. ad 92. & 9. de necessit. & libert. peccand. & quæst. in mente Innocent. a. 5. & in Scrinio. 1. 7. & 8.

XV.

Nulla est libertatis cum Gratia concordia. Nam hæc liberum arbitrium aufert, quod cum Efficacia Gratiæ nequit consistere.

Caluinus l. 1. instit. c. 15. & l. 2. c. 2. & lib. 5. cont. Pigh. & in Antid. Trident. ad Sess. 6. Synodus Dordracena. a. 8. & 12. Scarp. de lib. arb. c. 3. Paræus l. 2. c. 2. Molinæus in Anatome. Arminiasmi. Chamierus tomo. 1. c. 2.

Medio tutissimus ibis.

Liber

Liber iste continet quatuor tractatus, primum Isagogen, secundum Theses & Quæstiones, tertium Cortinam, quartum Concordiam Patrum Gregorij & Bernardi cum Augustino.

Littera T significat tractatum, prior numerus quotus sit, posterior paginam.

*:

VI.

DVo sunt Auxilia Gratiæ: Sufficiens, & Efficax: non suâ intrinsecâ virtute; sed effectu distincta: qui pendet à libero Arbitrio, in cuius est Gratia potestate.

Arminius in Declar. sent. & in respons. ad art. a. 8. ex prim. & 7. & 8. ex secund. & in 1. p. Exam. Prædest. Perkins. & in p. 2. fol. 604. & 605. & Remonstrantes in Synod. art. de Grat. Dei. *& in Apol. exam. Cens. c. 2. 6. & omnino perspicuè. c. 17. fol. 164. &c.*

VII.

OMnis Gratia Excitans est ex se indifferens, & indifferenti Arbitrio relicta, quod pro suo libito Gratiam accipit, reiicit ve: ita vt hæc sit in vtrumque partem Vertibilis.

Armin. vbi supra. & Remonstrantes citati.

VIII.

GRatia Efficax est non à forma sua siue ex se; sed ex modo procedendi quo Deus

VI.

DVo sunt Gratiæ Adiutoria. Alterum Efficax. Alterum Inefficax: quod est remotè Sufficiens: intrinsecè diuersa, & diuerso modo afficientia voluntatem; vni semper resistitur, alteri nunquam, etsi resisti possit à voluntate.

Augustinus in Cortina nostra. Concl. 50. ad 58. & 6. ad 79. & quæstione 3. & in Scrinio. cap. 7. 8. & 9. vbi multi loci citantur, & in mente Innocenti art. 1. & 2.

VII.

OMnis Gratia excitans mouet voluntatem. Inefficax indifferentem relinquit. Efficax trahit & inclinat sublatâ indifferentiâ, seruatâ libertate nec *Vertibilis*, nec *Irresistibilis*, sed *Victrix*.

Augustinus in locis supra adductis.

VIII.

GRatiæ Efficacia cōsistit in propria virtute intrinseca antecedēter mouente, & trahente voluntatem

VI.

VNum solum est Auxiliū Gratiæ, id est Efficax agens necessario arbitrium, & efficiens consensū volūtatis virtute impressâ, cui nequit resisti.

Caluinus in Antid. Trident. ad Sess. 6. Pag. Porro. *& lib. 5. cont. Pigh. pag. 183. & 204. & Synodus Dordracena pag. 795. & Chamierus. to. 3. cap. 5. & Beza aduersus Castellionem. pag. 457. & Paraus. lib. 2. de lib. arbit. c. 2. & in actis Synod. Dordracena pag. 305.*

VII.

NVlla Excitans Gratia liberum, ne dum Indifferens relinquit arbitrium: omnis ea necessitatem affert voluntati, ac est omnino Irresistibilis.

Caluinus proximè cum aliis citatus.

VIII.

EFficacia gratiæ cōsistit in quadam vi intrinseca necessitante voluntatem ad consensum

Deus vtitur qui fundatur in prænotione Dei, qua præſcit infallibiliter Gratiam, ſi iſto tempore, tali loco, cum talibus circunſtantiis offeratur, certiſſimè effectum ſortituram. *His eam verbis definiunt Remõſtrantes in Apologia. Exam. Cenſura. c.17. fol.164. verſu. Sumpta eſt definitio ex Arminio in Examine Prædeſtin. Perkinſianæ. fol. 604.*

IX.

EO tantum diſtinguitur Gratia ſufficiens ab Efficaci: quòd Sufficiens datur cum prænoſcitur non habitura effectum, Efficax cum præſcitur habitura.

Arminius in Declar. ſent. & quæſt. nouem & in Exam. Prædeſt. Perkins. & Remonſtrantes in Synodal. art. de Conuerſione in Apolog. in Exam. c.17.

X.

POſitâ in voluntate Gratiâ efficaci manet adhuc in voluntate libertas Indifferentiæ in vtranque partem æquè

voluntatem: quæ ineffabili victa dulcedine liberè cooperatur, ſequens ductum Gratiæ trahentis.

Ita Auguſtinus ſæpè. vti nos in Cortina noſtra Princ. 9. & 10. & in Concluſ à concl. 52. ad 38. & 66. ad 77. & in probat. earum. & q. 3. & in Mente Innocentij a 3 4. & 5. & lib. 1. de Adiutor. & in Scrinio c. 7. & 8. vbi locos Auguſtini multos perſpicuoſque adduximus.

IX.

ILlud intereſt inter has duas Gratias, quòd Sufficiens eſt remiſſa, & paruas & infirmas efficit voluntates: Efficax Intenſa & vehemens robuſtas & validas Efficiens voluntates.

Sic Auguſtinus manifeſtè lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 15. 16. 17. & ſer. 3. de verb. Apoſt. & lib. de ſpir. & lit. vide noſtrum Scrinium c. 7. & 8. & mẽtem Innocent. a. 3.

X.

VOluntas præmota Gratiâ Efficaci vehementer afficitur, & inclinatur citra neceſſitatẽ; & amiſſo æquilibrio Indifferentiæ,

ſum quæ nullum motum liberum arbitrio relinquit propter vehementem & omnipotentem *tractionem.*

Hæc eſt definitio Caluini & Contra Remonſtrantium. lib. 2. inſtit. c. 3. & in Antidoto Seſſ 6. & in Specimine Anſtolodam. & ſtatuitur in Synodo Dordracena art. 8. 12. &c. & Chamierus to. 3. l. 2. c. 4.

IX.

GRatiarum diſtinctio poſt Peccatum Adæ nulla eſt, quia nulla eſt Gratia niſi Efficax. Quæ tamen diſtinguitur à Gratia primi hominis: quòd hæc non neceſſitabat voluntatẽ Adæ, hæc noſtras neceſſitat voluntates.

Caluinus l. 2. inſtit. c. 3. 33. n. 10. & 13. & in Antid. Trid. Seſſ 6. & lib. 5. contra Pighiũ & Scharpius lib. de lib. art. c. 3.

X.

PEr Gratiam Efficacem tollitur, non modo Indifferẽtia, ſed etiam tota poteſtas voluntatis ad reſiſtendũ. atque adeo libertas.

aeque flexibilis.

Arminius in Declar. suae sententiae & in respons. ad 31. art. & in Exam. Praedest. Perkins. Remonstrantes in Apolog. Exam. Censurae c. 7. 9. & 17. & in Collat. Hag. art. de Conuers.

differentiae, retinet libertatem Resistentiae.

Ita nos docuit August. in Cort. à concl. 66. ad 8. & concl. 85. & in mente Innocét. art. 5. & in Scrinio, c. 6. 7. & 8. plurimis eiusdem Augustini testimoniis citatis.

Caluinus l. 2. institut. c. 3. & in Antid. Trid. Sess. 6. & Synod. Dordracena. art. 8. & 12. Chamierus tom. 3. l. 2. c. 4. Molinaeus in Arat. Scarp. lib. de lib. art. 6. 3.

XI.

Consensus voluntatis ab ea & à Gratia tanquam à partialibus causis procedit: & ab humana cooperatione Efficacia Gratiae tanquam à partiali causâ dependet.

Arminius etsi ambigue in respons. ad art. art. 7. & in Exa. Praedest. Perkins. At Remonstrantes perspicuè in Apolog. Exam. c. 17. & in Synodal. art. de Grat. conuers.

Volũtas affecta Gratiâ Efficaci non ex æquo cum ea operationẽ causæ partitur; sed cooperans cũ operãte prius, & mox cooperante Gratia ita liberè consentit, vt primas partes det Gratiæ præmouenti; & totum Deo bonum assignet.

Augustinus Locis in Cort. citat. 6. ad concl. 50 & 66. ad 81. & in mente Innocentij art. 3. & 5. & in Scrinio c. 6. 7. 8.

Consensus voluntatis ita est à Gratia Efficace vt non sit in potestate voluntatis, quae impressa vi necessitante tãtum non coactè operatur.

Caluinus in Antid. ad Sess. 6. & lib. 5. contra Pighium pag. 183. & pag. 204. Beza aduersus Castill. pag. 457. Paraeus l. 2. de lib. arb. c. 2. Chamierus tom. 3. c. 5.

XII.

Ex duobus aequali Gratiâ excitatis, cur vnus consentiat alter dissentiat ratio in Arbitrij libertatem resoluitur. Sequitur ex Arminij & Remonstrantium sententia locis proximè citatis.

Consentiẽti semper datur maior Gratia, quam dissentienti. Ita Peccati ratio in Arbitrium: Boni operis in Gratiam resoluitur. Seruata vtrinque libertate.

Augustinus in operibus adductis.

Tum qui benè ex Gratia operatur, tum qui sine Gratia peccat accessario agit. Peccans ex corrupta natura, Rectè agens ex compulsione Gratiae.

Caluinus vbi suprà & cum eo Caluiniani.

XIII.

GRatia Sufficiens omnibus, nemine excepto, hominibus tum adultis, tum paruulis offertur. Si cui non applicatur ob Peccata, vel propria, si est adultus, vel aliena, si paruulus ei non applicatur.

Arminius in Declar. sent. & in respons. ad art. 31. a. 8. ei quæst. nouem. & perspicuè in Exam. Pradest. Perkins à pag. 539. & 582. & Arminiani citati hic in Scrin. c. 6.

XIV.

AD initium, continuationem, cõsummationẽ omniũ boni indiget homo Gratia preueniente Excitante, sequente, & cooperante, quæ Gratia in potestate Arbitrij est & ad eius flexũ vertibilis.

Ita Arminius expressè in Declar. Sua. sent. fol. 98. & responsione ad priores Artic. a. 4. fol. 111. 114. & ad Poster. a. 7. fol. 140. 141. & in disp. priuat. thesi 42. & in Exam. Præd. Perkins. fol. 513. 591. 593. 606.

XIII.

GRatia Inefficax, id est Sufficiens, multis infantibus in vtero matrum mortuis non datur, multis item adultis ex barbaris Infidelibus non datur. Omnibus Fidelibus etiam induratis datur.

Augustinus in nostra Cortina Princ. 6. & 7. & conclus. 58. ad 95. & in mente Pontif. Innoc. art. 2. & 4. & in nostro Scrinio. a c. 11. ad finem accuratissimè.

XIV.

AD inchoandũ, continuandum, consũmandum quodlibet opus bonum indiget homo Gratiâ præueniente trahente suaptè virtute, & inclinante Arbitriũ, non ad arbitrium se vertente.

Augustinus in Cortina conclus. 50. ad 58. & 66. ad 79. & in Probat. earum. & q. 3. & in Mente Innocent. a. 3. & 4. & 4. in Scrinio. c. 6. 7. & 8.

XIII.

DE Gratia ista cõmuni ambiguè ac variè sensisse Caluinum constat ex hic nostro Scrinio: c. 10. Caluiniani regidiores negant cum Petro Molinæo. Kimedoncio, & Amesio. Molliores affirmant cũ Mose Amyraldo, & aliis quos in 10. cap. citauimus. Nihil certi habetur, apud Caluinianos.

XIV.

NIhil boni facere potest homo nisi compulsus à Deo per Gratiam necessitantem, & omnino Irresistibilem.

Caluinus l. 2. Instit. c. 3. & in Antid. Trid. Ses. 6. & lib. 5. cont. Pigh. & Beza aduersus Castellion. pag. 557. & Pareus l. 2. de lib. arbitr. c. 2. & in Actr. Synod. Dordracena pa. 305. Chamier. tom. 3. cap. 5.

Lanx Arminiana.

XV.

Concordia libertatis cum Gratia nititur congruitate Auxilij communis cum Arbitrio indifferenti à Deo præuisa; unde sequatur libera operatio infallibilis Arbitrij Gratiæ opportunæ responsuri.

Arminius Declar. Sent. pag. 96. in Exam. Prædest. Perkins. 1. p. fol. 5. 23. & 2. fol. 591. 604. 605. Remonstr. in Synod. a. de Præd. & de Conuerſ. & Apol. Eam. Cerſ. c. 7. 9. 18.

Æquamentum Augustini.

XV.

SI distinguatur Indifferentia à libertate: & in hac ponantur inclinationes, & momenta, & in Gratia intensio & remissio, & diuersæ motiones secundum magis & minus, quibus voluntas inclinetur & trahatur intra libertatem ad consensum, constabit concordia cum Gratia libertatis.

Augustinus in Cortina cl. 71. ad 92. & 9. de necessit. & libert. peccand. & quæst. in mente Innocent. a. 5. & in Scrinio. 1. 7. & 8.

Lanx Caluiniana.

XV.

NVlla est libertatis cum Gratia concordia. Nam hæc liberum arbitrium aufert, quod cum Efficacia Gratiæ nequit consistere.

Caluinus l. 1. instit. c. 15. & l. 2. c. 2. & lib. 5. cont. Pigh. & in Antid. Trident. ad Seſſ. 6. Synodus Dordracena. a. 8. & 12. Scarp. de lib. arb. c. 3. Paræus l. 2. c. 2. Molinæus in Anatome. Arminiaſmi. Chamierus tomo. 1. c. 2.

Medio tutissimus ibis.

Liber

Liber iste continet quatuor tractatus, primum Isagogen, secundum Theses & Quæstiones, tertium Cortinam, quartum Concordiam Patrum Gregorij & Bernardi cum Augustino.

Littera T significat tractatum, prior numerus quotus sit, posterior paginam.

æque flexibilis.

Arminius in Declar. suæ sententiæ. & in respons. ad 31. art. & in Exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes in Apolog. Exam. Censuræ. c. 7. 9. & 17. & in Collat. Hag. art. de Conuers.

differentiæ, retinet libertatem Resistentiæ.

Ita nos docuit August. in Corr. à concl. 66. ad 8. & concl. 85. & in mente Innocēt. art. 5. & in Scrinio, c. 6. 7. & 8. plurimis eiusdem Augustini testimoniis citatis.

Caluinus l. 2. institut. c. 3. & in Antid. Trid. Sess. 6. & Synod. Dordracena. art. 8. & 12. Chamierus tom. 3. l. 2. c. 4. Molinæus in Anat. Scarp. lib. de lib. art. 6. 3.

XI.

Consensus voluntatis ab ea & à Gratia tanquam à partialibus causis procedit: & ab humana cooperatione Efficacis Gratiæ tanquam à partiali causâ dependet.

Arminius etsi ambigue in respons. ad art. art. 7. & in Exa. Prædest. Perkins. At Remonstrantes perspicuè in Apolog. Exam. c. 17. & in Synodal. art. de Grat. conuers.

XI.

Volūtas affecta Gratiā Efficaci non ex æquo cum ea operationē causæ partitur; sed cooperans cū operāte prius, & mox cooperante Gratia ita liberè consentit, vt primas partes det Gratiæ præmouenti; & totum Deo bonum assignet.

Augustinus Locis in Corr. citat. 6. ad concl. 50 & 66. ad 81. & in mente Innocentij art. 3. & 5. & in Scrinio c. 6. 7. 8.

XI.

Consensus voluntatis ita est à Gratia Efficace vt non sit in potestate voluntatis, quæ impressa vi necessitante tātum non coactè operatur.

Caluinus in Antid. ad Sess. 6. & lib. 5. contra Pighium pag. 183. & pag. 204. Beza aduersus Castill. pag. 457. Paræus l. 2. de lib. arb. c. 2. Chamierus tom. 3. c. 5.

XII.

Ex duobus æquali Gratiâ excitatis, cur vnus consentiat alter dissentiat ratio in Arbitrij libertatem resoluitur. Sequitur ex Arminij & Remonstrantium sententia locis proximè citatis.

XII.

Consentiēti semper datur maior Gratia, quam dissentienti. Ita Peccati ratio in Arbitrium: Boni operis in Gratiam resoluitur. Seruata vtrinque libertate.

Augustinus in operibus adductis.

XII.

Tum qui benè ex Gratia operatur, tum qui sine Gratia peccat accessario agit. Peccans ex corrupta natura, Rectè agens ex compulsione Gratiæ.

Caluinus vbi suprà, & cum eo Caluiniani.

Lanx Arminiana.

XIII.

Gratia Sufficiens omnibus, nemine excepto, hominibus tum adultis, tum paruulis offertur. Si cui non applicatur ob Peccata, vel propria, si est adultus, vel aliena, si paruulus ei non applicatur.

Arminius in Declar. sent. & in respons. ad art. 31. a. 8. ei quæst. nouem. & perspicuè in Exam. Prædest. Perkins à pag. 539. & 582. & Arminiani citati hic in Scrin. c. 6.

XIV.

Ad initium, continuationem, cõsummationẽ omniũ boni indiget homo Gratia praueniente Excitante, sequente, & cooperante, quæ Gratia in potestate Arbitrij est & ad eius flexũ vertibilis.

Ita Arminius expresiè in Declar. Suæ. sent. fol. 98. & responsione ad priores Artic. a. 4. fol. 111. 114. & ad Poster. a. 7. fol. 140. 141. & in disp. priuat. thesi 42. & in Exam. Præd. Perkins. fol. 513. 591. 593. 606.

Æquamentum Augustini.

XIII.

Gratia Inefficax, id est Sufficiens, multis infantibus in vtero matrum mortuis non datur, multis item adultis ex barbaris Infidelibus non datur. Omnibus Fidelibus etiam induratis datur.

Augustinus in nostra Cortina Princ. 6. & 7. & conclus. 58. ad 95. & in mente Pontif. Innoc. art. 2. & 4. & in nostro Scrinio. a c. 11. ad finem accuratissimè.

XIV.

Ad inchoandũ, continuandum, consũmandum quodlibet opus bonum indiget homo Gratiâ præueniente trahente suaptè virtute, & inclinante Arbitriũ, non ad arbitrium se vertente.

Augustinus in Cortina conclus. 50. ad 58. & 66. ad 79. & in Probat. earum. & q. 3. & in Mente Innocent. a. 3. & 4. & 4. in Scrinio. c. 6. 7. & 8.

Lanx Caluiniana.

XIII.

De Gratia ista cõmuni ambiguè ac variè sensisse Caluinum constat ex hic nostro Scrinio: c. 10. Caluiniani regidiores negant cum Petro Molinæo. Kimedoncio, & Amesio. Molliores affirmant cũ Mose Amyraldo, & aliis quos in 10. *cap. citauimus. Nihil certi habetur, apud Caluinianos.*

XIV.

Nihil boni facere potest homo nisi compulsus à Deo per Gratiam necessitantem, & omnino Irresistibilem.

Caluinus l. 2. Instit. c. 3. & in Antid. Trid. Ses. 6. & lib. 5. cont. Pigh. & Beza aduersus Castellion. pag. 557. & Paræus l. 2. de lib. arbitr. c. 2. & in Actr. Synod. Dordracenæ pa. 305. *Chamier. tom. 3, cap. 5.*

Lanx Arminiana.	Æquamentum Augustini.	Lanx Caluiniana.
XV.	XV.	XV.
Concordia libertatis cum Gratia nititur congruitate Auxilij communis cum Arbitrio indifferenti à Deo praeuisa; vnde sequatur libera operatio infallibilis Arbitrij Gratiæ opportunæ responsuri.	SI distinguatur Indifferentia à libertate: & in hac ponantur inclinationes, & momenta, & in Gratia intensio & remissio, & diuersæ motiones secundum magis & minus, quibus voluntas inclinetur & trahatur intra libertatem ad consensum, constabit concordia cum Gratia libertatis.	*NVlla est libertatis cum Gratia concordia. Nam hæc liberum arbitrium aufert, quod cum Efficacia Gratiæ nequit consistere.*
Arminius Declar. Sent. pag. 96. in Exam. Prædest. Perkins. 1. p. fol. 5. 23. & 2. fol. 591. 604. 605. Remonstr. in Synod. a. de Præd. & de Conuers. & Apol. Eam. Cens. c. 7. 9. 18.	Augustinus in Corrina cl. 71. ad 92. & 9. de necessit. & libert. peccand. & quæst. in mente Innocent. a. 5. & in Scrinio. 1. 7. & 8.	*Caluinus l. 1. instit. c. 15. & l. 2. c. 2. & lib. 5. cont. Pigh. & in Antid. Tridens. ad Sess. 6. Synodus Dordracens. a. 8. & 12. Scarp. de lib. arb. c. 3. Pareus l. 2. c. 2. Molinæus in Anatome. Arminiasmi. Chamierus tomo. 1. c. 2.*

Medio tutissimus ibis.

Liber

Liber iste continet quatuor tractatus, primum Isagogen, secundum Theses & Quæstiones, tertium Cortinam, quartum Concordiam Patrum Gregorij & Bernardi cum Augustino.

Littera T significat tractatum, prior numerus quotus sit, posterior paginam.

*

FINIS.

ISAGOGE

AD DOCTRINAM D. AVGVSTINI DE PRÆDESTINATIONE, ET GRATIA.

CVM *oportuerit hæreses esse*, atque harum authores, *Magni*, teste Augustino, *homines fuerint*, illud est ex vtroque consecutum, vt & non citra periculum cum iis confligeret, & magna cum gloria de iis Ecclesia triumpharet. Quòd si ex hoste periculum, ex periculo triumphus spectetur, nunquam se altiùs extulit dignitas Ecclesię quàm cùm debellatis Pelagianis victrix euasit. Tunc enim propiùs periculo fuit: quòd cum vafro & acri hoste rem gessit. Qui cùm iugulum Fidei, Gratiam ipsam Dei, peteret, tam agebat tectè, vt ne ferrum quidem extaret, tam astutè, vt mulcere illud, quod truncatum ibat, caput videretur. Itaque in ancipiti

1. Corinth. 11. August. in Psal. 124.

Fides erat, cum vtrinque periculum esset; insidiarum, ni proderet; vulneris, ni auerteret. Certę qui reliquos Ecclesiæ hostes numeret, & cum Pelagio conferat, cum eorum nemine maiori discrimine certatum esse comperiat.

Marcionis quidem, Cerdonis, Montani insania magis, quàm vis fuit. Aëtium, Eunomium, Photinum, cæcus furor pręcipites egit. Valentinus, Priscillianus, Manichęus portentis, ac monstris orbem terruerunt. Donato, Iouiniano, Nouato durum os, vt illud aperuerunt, obstructum. In Nestorio, Macedonio, Eutychete, Sabellio nodus, & mora citra periculum fuit. Arius, iustus Ecclesiæ hostis, negotium facessiuit. In eandem inuectus, Christi vestem disrupit, & dilacerandam sectatoribus tradidit. Verum quò maiore vi se intulit, eò est violentius reiectus. Vbi se hostem prodidit, defensionem prouocauit. Vbi patuit, nostrorum telis expositus, & confixus. Et si orbis ingemuerit ad crepitum disruptæ vestis, malum intra vestem fuit: metam grassanti lacinia fixit. Recentiores hæretici Berengarius, Abaylardus, Vuicleffus, Hussius, fundatam jam Ecclesiam & munitam, non magis quàm aut ventosi flatus rupem, aut allisi fluctus scopulum, suis incur-

ſibus commouerunt. Nouatorum, quę incubuit peſtis, Lutherani, Caluiniani, Zuingliani, vti ſe omnium penè hæreſum ſentinam fecerunt, ita ſe vitiorum omnium fœcibus conſpurcarunt, ac inuiſi & execrabiles extiterunt. Quin imò ipſi digladiantes interſe, ac pugnantes, ſuis armis, & viribus opprimuntur. Omnium certè hęreticorum, Pelagianis exceptis, errores, ſtolidi, ac inſani omnium Catholicorum animos offendebant. Cum aut Chriſti Diuinitati, aut humanitati, aut Virginis honori, aut Eccleſię decori, haud obſcurè detraherent, vt partim horrorem quendam audientibus incuterent, partim pudorem ſequentibus inijcerent: cùm & nihil probabile, aut ſpecioſum ſaltem afferrent, & multa indigna, & infanda proponerent.

Soli Pelagiani, ęquitatis & iuſtitię nomine hęreſim velantes, arbitros ſe libertatis, & gratiæ ſtatuentes, tum ſpecie rationis probabilem, tum prętextu officij honeſtam cauſam fecerunt. Addere naturę vires, arbitrij libertatem extollere, legis, & doctrinę dignitatem exaggerare, vulnera peccati Originalis auertere, cicatrices ex ijs relictas demere, ſanctitatem, ac integritatem aſſerere, initium meriti citrà gra-

tiam ponere, inter naturam & gratiam vinculum quoddam iuris inducere, vt ne quid esset, quod lumini rationis dissentiret, quod iustitiæ dissonaret. Quo & si gratia prorsus euerteretur, cùm iuxta Diuum Paulum, *Gratia ex meritis iam non sit Gratia*: tamen quòd libertati addebatur, quidquid Gratiæ detrahebant; & accedebat naturæ, quòd ex Gratia præcidebant, ac detrectatio beneficij speciem iustitiæ obtendebat, blandiebatur animis error illecebris honestatis, & fucum mentibus colore accersito æquitatis faciebat. Ac, vti erat error speciosus, facilè se veritatis imagine occultabat, & quòd eius author Religiosus, & egregius simulator, personam Catholici induebat. Itaque & multis ipse imposuit, & non paucis sanctissimis viris, errores suos affinxit, tanto astu, vt eos hæresis suæ patronos reddiderit, tantâ fiduciâ vt eos eiusdem authores doctrinæ esse affirmarit. Enim verò, & Diuus Paulinus Pelagium vehementer laudat, & Demetrias Virgo ab eo Epistolam accepit: imò & ipse Augustinus, cùm primùm aduersus ipsum scribit, honorificè eundem appellat, quòd non auderet damnare, quem Paulinus tantoperè commendarat. Imò non singulis tantum hominibus, sed in-

Roma. 11. 5.

Lib. 3. de peccat. mer. & remis.

tegro Concilio, & Summo Pontifici imposuisse constat, cùm in Palæstino Concilio fuerit Diospoli absolutus, & Romæ à Zozimo Papa Catholicus ipse cum discipulo Celestio habitus fuerit, cùm vterque se egregiè mentitus retractasset, suamque doctrinam ad arbitrium Ecclesiæ retulisset.

Zozimi Epistola apud Baron. an 417.

Opinationes suas idem Pelagius sancti Xysti Papæ & Martyris nomine obumbrauit, easque illi attribuit, cùm tamen illius non essent, sed Syxti Pythagorici, *hominis*, vt ait Hieronymus, *gentilissimi*. Quo eius postea discipuli consilio vsi Xixstum III. nondum tamen Pontificem suarum partium esse dixerunt, eumque hæresis suæ labe, Augustino teste, asperserunt: qui cùm se, edito aduersus Pelagianos commentario, egregiè purgasset, eosdemque postea Pontifex condemnasset, ei tamen mortuo suas ijdem hæreses affinxerunt, diuulgatis eius nomine tribus libris Pelagianismo prorsus infectis: vt quam laruam viuus ferre non poterat, saltem mortuus sustineret. Quid? quòd Epistola ipsius Pelagij ad Virginem Demetriadem subdolè iuxtà, ac perniciosè scripta diu multos ambiguos tenuit: qui cùm eam inter Sanctorum opera legissent, vix hæreticam esse agnouerant. Fue-

Hieron. comment. in Ierem. lib. 4. cap. 22.

Epist 104. & 105. Baron. an. 4. 18.

Baron. an. 440.

Baron. an. 413. & an. 397. & Spondan. ibi.

runt enim qui eam Hieronymi, qui Ambrosij, imò & qui Augustini esse putarent. Tandem eò progressa est Iuliani Pelagiani impudentia, vt ausus fuerit tum Zozimum Pontificem, tum Romanum Clerum, tum Augustinum ipsum, cùm maximè Pelagianismum euertere statuebant, præuaricationis damnare, quasi qui cum Pelagio anteà sensissent, non deberent mutatâ sententiâ eidem aduersari, & communione fidelium interdicere: quam ille techniam à Magistro suo Pelagio moliri didicit, qui tam perfrictæ frontis fuit, vt sanctissimum Pontificem Innocentium in eadem secum naui esse affirmarit: quod auidissimè arreptum discipuli in vulgus spargere soliti, fucum veritati fecerunt.

D. Aug. contra Iul. Pelagian. c. & lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. c. 3. Spondanus an. 418 n. 8

Baron. an. 416. Spondan ibi. n. 1.

Illud item proprium Pelagianorum fuit: quòd cum hæretici omnes Romanam Sedem cane peius & angue oderint, eiusque tribunal horreant, & iudicium reformident, ipsi tamen eandem, specie, mirè coluerint, impensè amauerint, ad eandem sæpe prouocauerint, eiusque se examini commiserint. Quo nihil versutiùs agere, & callidiùs potuerunt. Hac enim specie Religionis, & fiduciæ commendare se Catholicis volebant, & Catholicos se imprimis venditare: vt nemo à corpore Christi auulsos eos putaret, qui

capiti adhærerent. Hoc consilio eorum Princeps Pelagius Romam primùm ad Innocentium I. literas misit, eiusque se iudicio submisit. Eò deinde eius Antesignanus Celestius, Zozimo Pontifice, venit, vt coràm Magistrum suum, seque, appellatos de hæresi, purgaret, & in Carthaginiensi, & Mileuitano Concilio vibrata contra hęresim suam fulmina aut eluderet, aut vitaret. Eò Iulianus, Augustini Antagonista, commentarios à se contra Augustinum scriptos, ad Pontificem Bonifacium misit, qui Iulianus cum Episcopatu esset Capuano deiectus, in gratiam se Xysti Papæ insinuare conatus est, vt amissum tum dignitatis gradum, tum honoris fastigium recuperaret. Hic tam gnauiter impudens fuit, vt Concilia in quibus damnata fuisset Pelagij doctrina, quòd essent prouincialia, exagitaret, optareque se scriberet, vt de ea generali Concilio statueretur, perinde ac inani illa ostentatione fiducię hęresi suæ fidem faceret.

Baron. an. 417.

Suar. Tom. 1. de Grat. Prol. 1.

Baron. an. 419.

Aluar. lib. de orig. Pelag. hæref.

Baron. ann. 419.

Singularis item astutiæ eorundem fuit, virtutem simulare, pietatem colere, Religionis obseruantiam prę se ferre, misericordiæ opera exercere, sanctitatis speciem exhibere, benè apud omnes audire, nequis eos, veluti cæteros hæreticos, moribus perditis, æstimaret: vt il-

Aluar. lib. de orig. Pelag. hæref.

Ad Baron. anno 419.

lud ſibi præſidio eſſet, quod exitium alijs afferebat: cùm enim ſoleant corrupti mores hæreſes comitari, imò idem ferme fons & prauæ doctrinæ, & deprauatæ vitæ ſit, Pelagiani quo minùs hæretici viderentur, virtutes ſimulabant, vt hypocriſi deceptos doctrinâ ſeducerent. Quo Iulianus verſipellis maxime Pelagianus commento, non paucos & nobiles, & pios in fraudem induxit.

Quod ſi è nobilitate ſectatorum pendatur hæreſis, nulla neque plures numero, neque ſcientiâ doctiores, neque dignitate ampliores, ſi vnam Arianam excipias, ſequaces habuit. Decem & octo Epiſcopi eius ſectæ Theſſalonica primùm, deinde Roma ſubſcriptos in Iuliani Epiſtola vidit. In Italia Princeps Iulianus Epiſcopus Capuanus multorum inſtar eſſe poteſt: cui duo Genuenſes Presbyteri Camillus, ac Theodorus ab vtroque latere ſtipatores adfuerunt. Gallia, quòd acuta hæreſis erat, & ingenio gentis, quę acumine pollet, accommoda, non paucos neque ignobiles Pelagianos tulit: quorum eſt mentio in Epiſtola Hilarij ad Auguſtinum; quæ præfigi cum alia Proſperi ſolet libris de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono perſeuerantiæ Auguſtini. Quos inter cum primis numerandi

August l. 2. de nuptijs & concup. & in l. contra duas Epiſtolas Pelagianorum & l. 1. contra Pelagium c. 1. & 5. Baron. an. 419.

randi

randi Caſſianus Collator, & Fauſtus Epiſcopus Rhegienſis. Imò & quod mirandum eſt, iiſdem aliquando Gennadius, & Seuerus Sulpitius collegæ atque gentiles, eorum artibus capti adhæſerunt, & ſi poſteà reſipuerint, & conceptam hæreſim abjurarint. Quid? quòd Ioannes etiam Hieroſolymitanus eodem contagio correptus, ac penè corruptus exiſteret, niſi ab Auguſtino admonitus quam peſtem calcauerat, ab ea demum reſiliret.

Baron. pag. 464. tom. 3. Baron. an 430. & an. 456.

Aug. Epiſt. 15. Baron. an 415.

Quantæ verò molis fuerit eamdem opprimere argumento ſit, quòd ſex Romæ Pontifices eam prouinciam ſuſceperint: Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Xiſtus, Celeſtinus, Leo Magnus, qui continuis eam vulneribus fregerunt, ne ſi reſpirandi locum haberet, peſtiferum virus purulento halitu inhalaret. Nec illa tamen eſt prorſus extincta, repullulauit enim poſteà Hydræ more, ac renata eſt, & niſi intentam Romanus Pontifex in eius ſemper capita clauam dejiceret, næ illa ingens religioni noſtræ detrimentum attuliſſet.

Suar. in 1. tom. Grat. Proleg. 6. c. 1. Aluarez li. de Orig. Pelag. hæres.

Hanc igitur excetram bellum Gratiæ nefarium molientem, ſingulari Dei beneficio, Hercules noſter Auguſtinus, debellandam ſibi propoſuit. Nec enim à minori hoſte confici potuit:

quem illi, tamquam parem, Superi destinarunt. Constat enim eo fermè tempore, quo Pelagius prodere se cæpit, Augustinum Episcopum creatum, vt in arenam duo illi, tanquam par compositum: productúmque venirent. Et verò tanto opus erat Imperatore cuius acumine astutia, cuius iudicio insania, cuius doctrinâ error, cujus pietate furor, cuius Religione impietas, cuius sanctitate hypocrisis, cuius modestiâ impudentia, cuius moderatione arrogantia, cujus humilitate superbia Pelagij vinceretur. Itaque vt primùm in Oriente Pelagius classicum cecinit, ei se in Occidente Augustinus opposuit. Et quamquam multi in Oriente Patres essent, omnes illos Augustinus præuenit, si vnum excipias Hieronymum, quamuis hunc etiam fuerit consecutus. Eodem enim tempore, quo is ad Ctesiphontem datâ Epistolâ Pelagium pulsabat, eundem Augustinus multò in Africa remotior commentariis suis insectabatur. Quin & ipsius Hieronymi testimonio constat, iustum Pelagij hostem esse Augustinum; eum enim Pelagio objicit: objecto, tamquam destinato pari, arenâ cedit, & prælio deinceps, collaudato quem in acie reliquerat bellatore, abstinet. *Supersedendum*, inquit, *huic labori cen-*

Petr. R bad. vita Augustini.

Diuus Hieron. aduers. Pelag. ad Ctesiphontem.

D. Hieron. contra Pelag. lib. 4.

ſeo: ne dicatur mihi illud Horatij: In ſiluam ne ligna feras. Aut enim alia diceremus ex ſuperfluo, aut ſi noua voluerimus dicere, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora. Atque hoc ſanè mirum videatur, neminem ſe fermè ex quo Auguſtinus hoſtem ſibi Pelagium deſtinatum fore declarauit, aduerſus eum commouiſſe, ſed recepiſſe ſe ſe: perinde hac religio eſſet, arma cum eo ſua conjungere, & partem in ſe belli deriuare. Cúmque actores multi eſſe, & poſſent, & vellent, prodeunte in aciem Auguſtino, ſpectatores eſſe maluerunt. Itaque ipſi integra Concilia Carthaginienſe & Mileuitanum ſoli hanc prouinciam impoſuerunt, ejúſque arma in Pelagium concitarunt, totum belli pondus & momentum victoriæ in vno Auguſtino collocantes, cuius virtute partum iri victoriam ſperabant. Qui verò poſt mortem Auguſtini Pelagianorum reliquias oppreſſerunt, ij ex illius ludo tamquam è Troiano Equo prodierunt, nec aliunde quàm ex eius armamentario arma prompſerunt: nec aliis, quàm eius petitionibus hoſtes confecerunt. Cuiuſmodi fuerunt, Hilarius Arelatenſis, & Proſper Aquitanicus, qui ingruentem, Caſſiano, & Vincentio ducibus, hoſtium molem, & ſuſtinuérunt, & fugarunt.

Aug. Ep. 110. Baron. pag. 547. tom. 5.

Baron. tom. 5. pag. 555.

Quos paulopòst sunt consecuti, qui Lucidi, & Fausti conatibus obstiterunt: Claudianus Mamercus, Sidonius, Auitus, Ioannes Antiochenus; ac imprimis Cæsarius Arelatensis Episcopus, qui Fausti Episcopi Rhegiensis astutissimi heretici perniciosissima scripta confutarunt: quæ cum fucos ob subtilitatem ingenij, & acumina sententiarum, illecebrásque dictionis non paucis facerent, & specie veritatis objectâ plurimis imponerent, horum tandem, & Possessoris Episcopi Africani operâ, laruâ detractâ, ab Hormisda primum deinde à Felice, & Gelasio Pontificibus condemnata. Iam verò clarissimum Ecclesiæ lumen Fulgentius, alterius Augustini loco habitus est: à quo idem Faustus, & Fabianus, aliíque Pelagianarum partium duces profligati. Nec ille Petrus Diaconus, & si Græcus, & quatuor illi Episcopi Orientales contenti in eo libello quem de Gratia & libero arbitrio scripsit Diaconus, & ipsi Fulgentio, & cæteris Africanis Episcopis destinauit, non sunt inter Augustini discipulos recensendi, cùm eam doctrinam, ex illius fontibus hauserint, & illâ propositâ, Pelagij, Celestij, Iuliani, & Fausti errores detestentur: Quin etiam Ecclesiæ Lugdunensis, cùm sibi pullulantes in Ioanne Erigena,

Ado an. 464.

Baron. tom. 6 pag. 446, & 447.

Surius in eius vita.

Baron tom 7. pag. 57. & 58.

&ſequacibus Pelagianos excindere propoſuiſſet, inſtitutum fuit Diui Auguſtini doctrinam ſequi, eámque ipſis objicere, vt quo hæreticos ſtudio refutabant, eodem patronum profiterentur, quem diſertis verbis Auguſtinum eſſe pronuntiant: dum ſic: *Auguſtinum* inquiunt, *vel nos, qui eum ſequimur, iſtius erroris accuſant.* Luculentius adhuc teſtimonium Auguſtino reddunt Concilia, quæ aduerſus Pelagianam hæreſim ſunt habita: in quibus Auguſtinus, vel viuus, viua voce, vel mortuus, ſpirante vitam ſcripto, Gratiæ oracula edidit. Eiuſmodi fuerunt Carthaginienſe, Mileuitanum, Epheſinum, Rhegienſe, Arauſicanum, ac Synodi quam plurimæ, quæ Auguſtini voce tonuerunt.

Habetur in Bibliot. Pat. tom. 2. in auctario col. 1129.

Col. 1174.

Aluarez in lib. de Orig. hæres Pelag. Suarez Prolegom. 6. de Gr. tom. 1.

Iam verò Eccleſiaſtici lectores ac magiſtri quanto ſtudio Auguſtini doctrinam ſint amplexi; ij præſertim, qui Theologiam viâ & ratione quadam certâ ſcientiæ tradiderunt, id quidem nemini, qui in Academiis verſatur non perpectum eſt, ac exploratum. Itaque exquo Magiſter ſententiarum collectis Patrum locis materiem docendi præceptoribus dedit, cùm in aliis, tum præcipuè in rebus Gratiæ Auguſtinum Principes Theologiæ ſecuti, Ducem eum,

& Auſpicem doctrinæ habuerunt. Eo Alenſis, Albertus, Richardus, Bonauentura, aliíque excellentes omni ſcientiarum genere viri Magiſtro gloriantur. Inter quos eminet ille extra omnem ingenij aleam poſitus, Scotiſtarum familiæ Princeps, Scotus, qui in Solem Theologiæ Auguſtinum acutiſſimam mentis ſuæ aciem ita ſolet defigere, vt ab eo nunquam auelli patiatur. Iam verò omnium ſcientiarum lumen & columen, Diuus Thomas, is quòd in Auguſtino habitarit, eius ſanè & mens, & cor iure optimo eſſe videtur: vt non ille alio nomine quàm, Auguſtinus alter, meliùs appelletur: atque adeò, quæ vnius doctrina ſit, vtriúſque doctrina habeatur. Quod cùm in cæteris, tum præcipue in iis, quæ ad Prædeſtinationem & Gratiam Dei ſpectant, omninò compertum eſt. In his enim tam cum eo conſentit, vt quidquid Diuus Thomas judicat, de eo ſit multo antè à Diuo Auguſtino præjudicatum. Id non modò clariſſima Thomiſtarum ſchola vnanimi conſenſu fatetur, ſed & noua Patrum Diſcalceatorum academia, quæ recens diſciplinâ, vetus ſententiâ, tuta doctrinâ, fæcunda ſcientia, Eccleſiam illuſtrat, Solis Angelici intenta radiis, quos dum irretorto oculo, Aquilæ inſtar, figit,

Aluarez vbi ſupra.

germanam Thomisticæ scholæ sororem se probat. Cui, si illa eripuit, ne prima esset; hæc, illa profectò ne sola esset, effecit. Hæc igitur variis cursus sui Theologici locis ostendit, indiuiduam Diui Thomæ cum Augustino doctrinæ societatem, adeo vt eum non dubitet fidelissimum Augustini discipulum appellare.

Pat. Discal. in curs. Theol. tract. 3. de sciēt. Dei disp. 10. dub. 3. §. 2.

Quantæ sit autem Augustini doctrina de Gratia authoritatis, primùm Romani Pontifices testantur, qui eam non modo decretis tuentur, sed hæresim ipsam Pelagij desumptis ab eodem Augustino sententiis confutant. Augustini doctrinam Epistolæ Innocentij, Zozimi, Xysti, Bonifacij, Celestini, Leonis, Gelasij, Hormisdæ confirmarunt: ac eiusdem, in iis quæ extant operibus, verbis, quæstiones de Prædestinatione Gratiáque definiunt, & aduersariorum errores refellunt. Patrum: qui post Augustinum in Ecclesia floruerunt, sub eius sanè vexillis militarunt, nec inuenietur vllus, qui cum Augustino non sentiat. Ac vt omittam Hilarium, Prosperum, Mamercum, Sidonium, Auitum, Ioannem Antiochenum, Orosium Cæsarium, Fulgentium, Bedam, Venantium, Anselmum, quos omnes Augustini discipulos possis appellare; ipse ille sacræ doctrinæ ver-

Suar. tom. 1. de Grat. Prol. 6.

Gregorius Magnus in ſuis operibus, vbi aliqua de his rebus quæſtio incidit, Auguſtini iudicio decidit, eique omnino acquieſcit. Nec minus ille, Doctorum nectar & ambroſia, Diuus Bernardus, qui ex Auguſtini ſententiis quaſi floribus, melleam illam ſuam de libero arbitrio, & prædeſtinatione & Gratia doctrinam ſuxit, melque ex illa ſuauiſſimum confecit; vti ex tabulis in quas ad calcem huius operis vtriuſque huius Doctoris ſententias conjiciemus, apparebit.

Itaque eò authoritatis Auguſtini ſententia deuenit, vt non iam priuati Doctoris, ſed Romanæ Sedis, & totius Eccleſiæ eſſe videatur: atque adeò ab ea non liceat citra ſuſpicionem, periculúmque diſcedere. Idque probant, cùm alij tum Doctiſſimus Archiepiſcopus Alurez, tum clariſſimum Theologiæ lumen Suarez, tum ſapientiſſimi Patres Diſcalceati: quibus magnum authoritatis pondus accedit ex verbis Proſperi in commentariis ad Rufinum, vbi oſtendit ab Eccleſiâ Catholica eſſe receptam. Hanc è multis ſeligo ſententiam. *Nouerunt*, inquit, *non ſolum Romanam, Africanámque Eccleſiam, & per omnes mundi partes Vniuerſos promiſſionis filios cum doctrina huius viri, ſicut in tota Fide, ita in Gratiæ con-*

Aluarez l. 1. de auxiliis disp. 5. Suarez 6. 1. de Grat. prol. 6. PP. Diſcalc. Trac. 3. de ſciẽt. Dei d. 10. dub. 1.

Proſper.

confeßione congruere. Nec parum adjiciunt momenti illa verba Ecclesiæ Lugdunensis, quæ dum Ioannis Erigenæ errores confutat, suscipiens, quòd Augustino objecerat, hæresis esse authorem, ait, *certè eos qui secundum Augustini venerabilem & Catholicam doctrinam, nunc de Gratia Dei sentiunt & docent, quasi minus illius dicta intelligentes hæreticos vocat. Quod si ita est, quid aliud, quàm Ecclesiam nostri temporis accusat?* Nihil tamen in rem aptius, grauiúsque dici potest, quàm quod Hormisda Pontifex in Epistola, quam aduersùs Fausti subtilissimi hæretici libros dedit, affirmauit. Quod eiusmodi est, *de arbitrio tamen libero & Gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur & asseueret Ecclesia, licet in variis libris Beati Augustini, & maxime ad Hilarium & Prosperum poßit cognosci, tamen scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si desunt, & necessaria creditis, destinabimus; quamquam qui diligenter Apostoli dicta consideret, quid sequi debeat, euidenter cognoscat.* Ex quo apparet eandem prorsus esse Augustini doctrinam, cum ea quæ in sacris Canonum libris, & Diui Pauli Epistolis continetur. Vnde grauissimum illud Clementis VIII. judicium extitit, in causa Gratiæ Romæ coram

Habetur in Bib. Pat. tom. 2 de quo supra.

Hormisdas Epist. 56. in fine.

ſe agitata, ne quiſquam in ea agenda argutiis ratiuncularum, & ſubtilitatibus ingenij, ſed ſolidis Auguſtini, & quod eodem recidit, D. Thomæ ſententiis ac teſtimoniis vteretur, quòd quidquid ea de re Auguſt. tradidit, id non aliunde, quàm ex diuinis libris acceperit. Cui perinde ac ſacræ pondus authoritatis haberet, Concilia, Pontificéſque Romani fidem haberi voluerunt. Atque hoc ipſum, qui Clementi in Pontificatu ſucceſſit Paulus, ratum habuit, vt jam tum nemo niſi noſtri Doctoris teſtimoniis vteretur. Vtrúmque certè Pontificem conſtat, hoc ſuo, & ante inſtitutam cauſam, & poſteà perfectam iudicio declaraſſe, eam eſſe veram de Gratia Dei ſententiam, quæ Auguſtini fuiſſet. Quare ſummo certè jure (ne quid niſi ſummi Pontificis ore dicam) Ioannes II. illud è Romana cortina oraculum pronunciauit: *Auguſtini doctrinam ſequitur, & ſeruat Eccleſia.* Vtpote quem, teſte Celeſtino: *nullus vnquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſerit.* Cum de iis quæ de Gratia contra Pelagium ſcripſerat Pontifex loqueretur. Et quidem nemo eſt, quin ſentiat Auguſtinum in reliquis ſuis operibus à nemine ſuperari: at in iis quæ ad Gratiam Spectant, ipſum etiam à ſe ſuperatum. Quod verbis Baronij malim lector

PP. Diſc. trac. 3. de ſcient Dei d. 10. dub. 4. §. 2.

Archiep. Aluarez tract. de Orig. hæreſ. Pelag. ad fine.

Epiſt. ad quoſd. ſenat.

Baronius.

vt audiat. Is ergo anno Christi 416. narrans ab Africanis Patribus impositam scribendi contra Pelagium Augustino fuisse prouinciam. *Porrò*, inquit, *quàm grauiter, atque accuratè hoc opus impleuerit, sua ipsius scripta eo argumento edita fidem faciunt, vt nihil vberius doctius-ve, & eloquentius dici potuerit, appareatque eum cùm in aliis scriptis alios superet, in tractatibus contra Pelagianos se ipsum penitus superasse.* Itaque *omnes Patres*, ait Cursus Theologicus Discalceatorum Patrum, *Augustinum consecuti mentem illius venerati sunt, & cuncti Theologi vniformiter in hac parte palmam ipsi deferunt.* Et quidem qui Augustini contra Pelagianos scripta legat, non tam in iis ipsum, quam Scripturam Sacram, & Diuum præcipuè Paulum loquentem inueniat. Vt cum in aliis operibus ingenio, acumini, philosophiæ, eruditioni, Rhetoricę, Poëticę, atque adeò Humanioribus literis locum inter sacrarum literarum argumenta dederit, nullo in libris de Gratia aliarum literarum vtatur præsidio, quàm vel in sacris scripturis contento, vel ex eisdem deprompto: vt detraxisse de ingenio, & scientia (quâ maxime valuit) vt de cælesti Gratia, & Diuina adderet Sapientia videatur. Non quod aut stylum remi-

Baronius.

Curs. Theol. Discal. Pat. vbi supra.

ſerit, aut neruos præciderit, aut argumenta eneruarit, cùm nuſquam acriùs, nuſquam fortiùs, nuſquam vehementiùs in hoſtes agat, ſed quòd omnes ingenij vires collocarit, vt in ſuperos euolans, Aquilæ inſtar Deo miniſtrantis, Diuina ab illo fulmina acciperet, & in hoſtes Gratiæ contorqueret. Ego certè cùm eum lego, ſic incendor, vt omnino exardeſcam, quòd ſingula illius verba ardentes quaſdam menti faces admoueant, quibus Diuinum quodammodo in animo meo incendium excitatur. Ac illud mihi videri ſolet, Auguſtinum, Herculem noſtrum, hæreticorum penè omnium monſtra, citra labores tamen conficientem, alia quidem vti Donatiſtarum, claua eliſiſſe: alia vti Priſcillianiſtarum, ſagittis confixiſſe: alia vti Arianorum, telis trabalibus deieciſſe: alia vti Manichæorum, manibus tamquam Augiæ ſtabulum repurgaſſe; hanc tamen Lernęam Pelagianorum belluam, nonniſi Diuino ſacrarum Scripturarum incendio abſumpſiſſe.

Et ſi autem hiſce teſtimoniis ſatis conſtet veram de Gratia, & Catholicam Auguſtinum tradidiſſe doctrinam, non ab re tamen fuerit duo adhuc rationum momenta afferre, quæ ad idem perſuadendum multùm ponderis habeant.

Primum esto admirabilis ipsa ex errorum abysso & vitiorum barathro Augustini ad fidem Christúmque conuersio. Quam sanè opus Diuinæ Gratiæ fuisse apparet : cuius virtute Augustinus inextricabiles difficultates soluit, & inuictum inueteratæ prauitatis hostem superauit. Quo factum est, vt qui cælestis Gratiæ virtutem senserat, eius propè naturam nosset. Quemadmodum enim Paulus, quòd Gratia summa & efficacissima Dei *nullis meritis suis bonis*, vt ait Augustinus, sed *cum multis meritis* suis malis traductus est ad fidem & culmen Apostolatus, magnus, vt idem vocat Augustinus Gratiæ, Prædicator extitit : cuius ore Deus oracula Gratiæ edidit, ita quòd in Augustino vires suas Gratia Diuina ostendit, eius vti opera Deus voluit in Gratia afferenda, & commendanda, & ab hostium injuriis vindicanda : id que præsertim ex & Apostoli doctrina, quam ille sic exponit, vt Paulus quidem Dei, Augustinus Pauli interpres sit : vnde Augustini doctrinam Prosper, Epistola ad Ruffinum Apostolicam vocat, eundémque Apostolicè Scripsisse tradit in præmio ad objectiones Gallorum. Addit momentum grauis Author Venantius Honoratus Pictauiensis Episcopus : qui cum ex Pauli & Augustini sententiis

Diu Aug. l. de Grat. & lib. arbitr. 1. 6.

Prædeſtinationis & Gratiæ doctrinam ſtatuiſſet, concludit. *Quicumque cum Apoſtolo,* id eſt, *oculo Eccleſiæ, & cum Beato Auguſtino eius ſequace conſonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat.*

Venant. Hon. Homil. in orationem Dominicam.

Alterum, miranda ſanè ipſius Auguſtini abjectio ac depreſſio: qua ſe, cum in arce ſcientiarum, & culmine virtutum eſſet, ita tamen humilitate dejecit, vt intellectum in obſequium Fidei captiuaret: & cum omnia pietatis munia impleſſet, ſeruum ſe eſſe inutilem diceret. Et quidem cum rarus, aut nemo prorſus ſit, qui velit ingenio cedere, Auguſtinus, quo nullum Deus præſtantius condidit ingenium, inuentus eſt vnus, qui voluerit ingenio ſuo detrahere, iudicio demere, ſcientiâ abſtinere, vt ſe tamquam rudem, & cæcum Eccleſiæ diſcipulum erudiendum traderet, vt prorſus Fidei manciparet. Itaque cùm de rebus Diuinis agitur, nihil ille aut ingenio indulget, aut iudicio arrogat, aut ſcientiâ præſumit, ſed ſolius Fidei ductum ſequitur, & veſtigia abiectus adorat. Cúmque acerrimâ ingenij ſui acie, quæ ſe cumque ſacræ Scripturæ queſtio offerat, omnia ſcrutetur, & præclara multa excogitet, nihilque ipſum lateat, nihil effugiat, nihil tamen arbitrio ſuo concedit, nihil iudicio definit, niſi quantum

& verba ſignificant, & ſenſus exigit, & recta ſanaque interpretandi ratio tradit. Vt ſæpe contingat, vt cum plurima diſputando adducat, nihilominus arripiat, & ſuſpenſo iudicio, quid Eccleſiâ iudicet, ſolicitus expectet. Quare illum appoſite acri vir ingenio Maldonatus: Hominem in ſuſtinendo iudicio miræ prudentiæ, appellat. Videre certè eſt nobiliſſimum Ciuitatis Dei ciuem ſponte ſua capite minutum, & proſcripto ingenio, aræ Fidei addictum, victimam agere, quæ in honorem Religionis Catholicæ mactetur. Macte animo, macte virtute Auguſtine qui hac certè ratione es conſecutus, vt Lux tibi ex albo oborta adeſſet, vt te Spiritus ſanctus afflaret, vt tibi cæleſtis ille Diuinæ ſapiētiæ theſaurus pateret: quantum enim tu tibi de ſcientia detraxiſti, tantum tibi Chriſtus de Cæleſti, ſapientia addidiſſe videtur. Quod ipſum Dei numine plenus cecinit Proſper.

Maldonatus in Lucam.

Proſp. in carm. de Ingrat. c. 2.

Auguſtinus erat, quem Chriſti Gratia cornu
Vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo:
Accenſum vero de lumine: nam cibus illi,
Et vita, & requies Deus eſt, omnis que voluptas:
Vnus amor Chriſti eſt: vnus Chriſti eſt honor illi,
Et dum nulla tibi tribuit bona, ſit Deus illi
Omnia, & in ſancto regnat ſapientia templo.

Atque hoc ipſum magnæ auctoritatis ſcriptor Cęſar Baronius grauiter expendit: propoſito enim quodam Auguſtini ex libro de Dono Perſeuerantiæ loco, quo ſummam animi demiſſionem profitetur: *Digna quidem*, ait, *ſancti Auguſtini modeſtia, animique eius admirabili cum ſummiſſione verecundia, vt plane niſi aliunde, ex hoc ſaltem intelligere valeas, afflatum ipſum Diuino Spiritu, illa (ſunt autem præcipua de Gratia Diuina argumenta) ſcripſiſſe: cum non ſuper quemquam alium, quam ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones Dei Diuinum affore Numen, Deus per Prophetam fuerit conteſtatus.*

Bar. an. 416.

Auguſtinum igitur Bernardus, Diuino fæcundum Numine pectus, Columnam veritatis, & Malleum hæreticorum appellat, eiúſque doctrinę clypeo hęreticorum tela refutat. Sed nullum maius, & clarius Auguſtino reddi teſtimonium poteſt, quàm quod à Magno Gregorio de illius doctrina accepimus. Si *delicioſo*, inquit, *cupitis pabulo ſaginari, Beati Auguſtini Patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius, noſtrum furfurem non quæretis.*

S. Bern. Ep. 18 & 190. Ser. 80. in Cant.

D. Greg. Mag. l. 8. Regiſtr. c. 37.

Quæ ſi omnia attentè conſiderentur, illud ſanè videri poſſit, tantùm non de Fide eſſe Auguſtini omnem, ſed pręcipuè de Prędeſtinatione,

ne, & Gratiæ doctrinam. Quod ſane iudicium eſt Theologi huiuſce ætatis nobiliſſimi Patris Franciſci Suares Tomo I. de Gratia Prologomeno ſexto, cap. 6. idemque author eſt num. 17. neminem ab eiuſdem ſententia poſſe citra temeritatem recedere: quod eam doctrinam tradiderit, cui omnino ſubſcripſerit Eccleſia, è cuius re erat, ne Auguſtinus falleretur: cuius ego auctoris grauiſſimam hac de re ſententiam nolo prætermittere. *Nihil tam admirandum & ſuſpiciendum Eccleſiæ reddidit Auguſtinum, quam de gratia doctrina: at ſi in ea tradenda & explicanda aliquando fuiſſet in errorem lapſus multum labefactaretur eius auctoritas, immeritoque Eccleſia tam fidenter iudicium eius in hac doctrina fuiſſet ſecuta, quod impium eſſet cogitare.* Quare is demum de Catholica Eccleſia benemeritus erit, qui Auguſtini ſenſus rimetur, mentem intentiſſimâ curâ inquirat, iudicium feliciter aſſequatur, perſpicuè exponat, fidelibúſque repræſentet. Quod ſane niſi depoſito primum propriæ ſententiæ amore, & rejecto partium ſtudio fieri omnino non poterit. Nam qui aliis imbutus opinionibus ad Auguſtinum acceſſerit, non ad eum ſuos accommodabit, ſed ſuos ei affinget ſenſus, & qui fouendarum partium

Suarez Tom. I. de Grat. Prologom. 6.

animo legerit, non ad partes Augustini transibit, sed Augustinum suarum partium efficere conabitur. Nec ea videtur ratione legendus, vt alienum ab hæreticorum doctrina ostendamus, sed vt proprium & germanum illius sensum assequamur: cùm non eo primùm sit explicandus Augustinus sensu, quo ab hæreticis est alienus, sed quo secum ipse consentit: quippe quem ex suo iudicio, non ex alieno æstimare debeamus: neque quid ex eo hæretici discant, sed quid ipse doceat potissimùm spectandum. Vt ex eo posteà hæretici confutentur. Non enim rectè ille interpretetur Scripturas, qui contra quàm hęretici solent, exponat: sed qui illarum proprium sensum teneat, & proponat. Nam si, vt aduersetur, hæreticis, intelligas, sequitur, vt cum extremè oppositi errores circa vnum locum versentur certus scripturarum intellectus esse non possit, cum, quicumque ille sit, eo hæretici abutantur, *nam possunt*, inquit Augustinus, *duo errores inter se esse contrarij, & ambo detestandi, quia ambo contrarij veritati.* Neque vero timendum est, quòd ex Augustini sententia ansam hęretici capiant errandi, cum ipsi Christi, & Pauli doctrinam ad suos errores confirmandos detorqueant. Non igitur pri-

August. l. 1. l. 2. cont. 2 Epist. Pelag. c. 2.

mùm quid scandali ex doctrina oriri possit, sed quid veri in doctrina insit inspiciendum.

Hæc ego cum ante annos decem mecum sæpè ac diu agitassem, Augustinum legendum suscepi; nullo odio, nulla æmulatione, nullo partium studio, quarum omnino inscius eram, sed solius desiderio veritatis, vt eam Ecclesiæ Catholicę proponerem. Quo instituto, & fine, & fructu egerim, proxima narratio indicabit. Quam ego Dialogi more contexui, vt expeditior & jucundior esset; & quod ad meos explicandos sensus, genus illud disceptandi aptius judicaui. Nec huiusmodi styli ratio improbanda: cum non modò superstitiosæ auctores ætatis Plato, & Cicero; sed sacræ hierarchiæ grauissimi tum Græci, tum Latini Patres eo styli genere multa præclara scripserint, in quibus & Hieronymus, & Augustinus, qui opera illustrissima, in Dialogos conjecerunt.

Illud animaduerto: me hac in re nihil aut Pauli Pontificis Decreto, quo cautum nequis de auxiliis diuinæ Gratiæ controuersiosè scriberet, aut Vrbani VIII. quo vetitum nequis aut Iansenio, aut contra Iansenium pugnaret, omnino detrahere: nam certè primo illi non aduer-

ſor, cum nihil ego hic meo ſenſu definiam, ſed tantum Auguſtini judicium, mentemque proponam: nec alteri contrauenio, cum hactenus Ianſenium non viderim, nec me hiſce litibus immiſcuerim; nec nouus hoſtis, aut vetus partium fautor aduernio, vt controuerſias renouem; ſed arbiter & ſequeſter vt componam. Cùm præſertim ad calcem operis Diui Gregorij & Bernardi de Prędeſtinatione Gratiáque doctrinam Auguſtini menti prorſus conſentaneam proponam, quò apparet non quid ego ſentiam, ſed quod clariſſimi Eccleſiæ Patres cenſent, & docent, afferre, vt ex eorum ſententia, quid tenendum ſit ſancta & Catholica poſſit Eccleſia definire.

ADITVS

AD CORTINAM

ARBITER PHILO AVGVSTINVS

CHARITOPHILVS.

THEOSOPHVS.

QVORSVM isthæc in ſcholis diſſidia? Adeonè Mars Mineruam extruſit? & vtramque domi, militiæque paginam facit?

CHARITOPHILOS.

Non ita pridem ſcholâ in arenam verſâ Recentes huiuſmodi factiones ſunt: ſed ab vmbra nuper & otio, in Solem & aciem ventum.

THEOSOPHVS.

Quid tu recens diſſidium vocas? Cum vetus hoc prælium ſit, abhinc annos fermè mille ducentos contractum. Ex quo Pelagius claſſicum cecinit: & ex aduerſo Auguſtinus inſonuit.

A. P. A.

Ergo de Prædestinatione, & Gratia in Scholis agitur. Quo certè altior Pax esse debuit. Augustino belli materiem auferente. A quo qui stet planè in tuto est.

CHAR.

At de ipsius Augustini iudicio contenditur. De quo si constet: Pax esto.

A. P. A.

Vereor, vt certum ne sit, studia partium efficiant: quæ dum illi fucum faciunt, Venetas & Prassinas factiones instituunt. Nam Augustini mens vna, & vni veritati addicta.

THEOS.

Obscura tamen, & in quadam profunditatis abysso condita, ac non nisi magno ingenij nisu eruenda.

A, P. A.

Altiorem potius dixeris, quàm obscuram: & apud Dei iudicia versantem. Fide nixam, & inde vim, admirationemque trahentem: nec tam ingenij quàm pietatis sensu percipiendam.

CHAR.

Assentior. Sed qui tu tandem? Dic, Sodes. Augustini mentem repræsentare ne posteris?

A. P. A.

Fortaſſè. At timidè id, & Religiosè dixero. Dudum eſt quòd ego timori litaui, ſed eo me conſolor, quòd: *Primus in Orbe Deos fecit timor.*

CHAR.

Hoc tu penè effeciſti, vt Arbitrum te vellem. ac tui me iuris omnino facerem.

THEOS.

Delicias agis: Alio nobis arbitro, quàm Ianſenio opus non eſt. Nec ego te reiiciam, ſi Ianſenianus ſis. Da te, ac prode.

A. P. A.

Ego Auguſtinianus ſum: multò pluſquàm olim Hieronymus Ciceronianus: vtſi id vitium foret, èo longè acerbiùs vapulare poſſem. Auguſtinianiſſimus ſum.

THEOS.

Ergo & Ianſenianus es: te iure manu conſertum vocem.

A. P. A.

Auguſtinianus omnino, & ſoli Auguſtino addictus: eius nomen & vmbra ſum: ab eo vno eruditus, nouúſque interpres accedo: ab Auguſtino Auguſtinianus effectus.

CHAR.

Placet ſententiam hîc tuam audire. At non,

priùs quàm norim, vtrùm sis, & quâ ratione &
& quantum, in Augustino versatus.

A. P. A.

Rectè hoc quidem. Nam vt Augustinus intelligatur, multâ lectione, intentâ curâ, vacuâ mente, & integro homine opus est. Sunt qui hunc Nilum vti Canes in cursu libant: sunt qui partium studio ad se trahunt. Nec desunt, qui apud alios citatum legunt, & ex alieno sensu æstimant. Quorum ego vitia procul habeo.

THEOS.

Igitur quî tu in Augustino habitaris, doce.

A. P. A.

Narro vobis: & quidem, vera. Nactus biennium occupationibus vacuum, in recessu, vbi nemini, ne arbitro quidem, locus esse poterat, cùm omni ex parte solitudo, & solitudinis comes silentium ad intentius studium cogeret, Augustinum mihi legendum proposui. Casu primùm in Polemicum incidi tomum: qui disceptationes cum hæreticis continet. Vbi ad illas quæ ad Gratiam spectant perueni, nescio vnde mens iniecta inuestigandæ Augustini mentis. Vt hoc concepi propositum, apud me statui, & Augustini tantùm lectioni vacare & omnes
pror-

prorſus animi affectum deponere, & quâ imbutus eram, doctrinam dediſcere, rudemque omninò me ac informam diſcipulum Auguſtini tradere, vt ille me ad ideam ſuam docendo formaret. Si qua acceptæ antea diſciplinæ veſtigia menti hærebant, ea non modo induxi & deleui, ſed omnino eraſi: vt animi mei quaſi tabulam, vti aiunt, raſam Auguſtino offerrem: in qua ipſe non grauaretur doctrinæ ſuæ elementa exarare. Ita illi me tabulam ad inſcribendum puram, mollem ad flectendum ceram, præbui: valebam ſtomacho, capite, viribus, integra mentis & corporis valitudine: vehementer incubui. Vacuus eram. Diem ſolidum ita diuiſi, vt è viginti quatuor horis duodecim, iis quæ ad rem diuinam, & curam corporis pertinent, tribuerem, reliquas mihi vendicarem. Has lectioni Auguſtini quotidie impendi. In quo toto eo ſanè biennio ſic habitaui, vt ad nullum alium auctorem diuerterim. Nec poſteà non relegi; imò & alium annuum ſeceſſum ab omni ſtrepitu remotus lecto jam à me & recognito Auguſtino inſumpſi. Alij temporibus, & ſi legere nó omiſerim, tamen quòd occupationibus diſtractus, aſſiduus apud Auguſtinũ non fuerim, in magno eam lectionem numero non pono. Illi triennali ſolidæ, & ab om-

E

ni alia cura vacuæ, non patiar cuiuſuis alterius lectionem anteponi. Rapuit me certè Auguſtinus: apud ſe habuit, formauit, effinxit; nec derat ignis, ſed qui ex lectione conceptus, non qui anteà exarſiſſet. Prius illuxit menti quàm voluntatem accenderet: nec niſi ex luce doctrinæ ignis amoris extitit. Auguſtinianum me Auguſtinus effecit. Amo Auguſtinum quòd ipſum noui: nec ille cæco amore diligi pateretur. Quantum profecerim neſcio: ſcio voluiſſe proficere. Argumento ſit: aliquid profeciſſe, quòd tantùm mihi non audeo tribuere, & rubore ſuffundor cum id cogito, ac nunquam de me demiſſiùs ſentio, ita vt totis nunc artubus contremiſcam. Vnum affirmem me non elato animo, ſed abjecto: non tumido, ſed demiſſo ad Auguſtinum legendum acceſſiſſe, nunquam ab eius lectione niſi inflammatum, niſi ardentem amore cæleſtium receſſiſſe. Accidit ſæpè inter legendum, vt vehementius commouerer & exclamarem impetu animi per voces erumpente, ac interdum ingemiſcerem, & lacrymarer: iam corde infuſo, vbi oculi habitabant: eo quaſi pro doctrina repenſo. Quid? Memini aliquando hærere ad ſalebras, nec capere quid legiſſem: at vrgere lectionem, inſtare, men-

tem acuere, animum aduocare, neruos ingenij omnes intendere, nihil omnino laborando proficere. Tandem ſpe abjectâ clauſo libro, humi me proſternere, ad preces, lacrymaſque conuertere, tum demum locum illum capere, intelligere, obtinere orando, quod legendo conſequi minime potuiſſem.

CHAR.

Mirè me afficit tua iſthæc narratio. Planè incendor: nec dubito quin vera commemores: nec enim tam confiɛta inflammaſſent. Iam mihi aures pruriunt. Profer tuum, de Auguſtini circa præſentem controuerſiam ſententia iudicium.

THEOS.

Operæ pretium erit præſcire: an tu id temporis interpretes aliquos Auguſtini habueris?

A. P. A.

Neminem ſanè habui: nec ſi haberem, adhibuiſſem. Solus Auguſtinus apud me fuit. Solus cum ſolo habitaui: nullus, ne arbiter quidem, aut corycæus, aut interpellator eſſe potuit.

CHAR.

Quandoquidem ardor audiendi meus interrogatione reſtinctus, rurſum morari pau-

lum interrogando volo. Vbi iſta tibi contigerunt. Et in quod tempus triennium iſtud primùm: deinde annuum illud ſpatium incidit?

A. P. A.

Non hæc ad rem omnino: ſed voto ſatisfacio. Conimbricæ, vbi natus, Auguſtinum nactus. Ac eo parente doctrinæ renatus. Biennium partem Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octaui, & partem anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi, & totum annum milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum nonum comprehendit. Annus quadrageſimus ſextus ſuprà ſexcentenſimum fuit. O felix ſpatium! O curriculum clauis aureis, ſi liceret, figendum, ne abiret!

THEOS.

Igitur Ianſenium non vidiſti. Quid ſi vidiſſes? Quanta tibi lux acceſſiſſet. Dic tamen, ſodes, an Ianſenium, vel antequam in lucem exiret, noris? & cum eo literis communicaris conſilia? Nam tua iſthæc legendi Auguſtinum mens mihi videtur à Ianſenio ſumpta: & pertinax ſtudium, ex æmulatione ſuſceptum.

A. P. A.

Ianſenium id temporis legere non potui; vt ex editionis anno conſtat.

Eius alia ſcripta non legeram. Nec alium præter illum Cornelium Ianſenium qui in Euangelia & Pſalmos ſcripſit authorem eius nominis eſſe putabam. Auguſtinum non alieno inſtinctu, ſed mea voluntate legendum ſuſcepi : ſtudium pertinax non æmulatio, ſed admiratio primùm doctrinæ, deinde delectatio, effecit.

CHAR.

Curioſiùs nunc ex te quæro. Vtrum poſteà Ianſenio operam dederis ? Nam ſeptennium fermè eſt, ex quo tu curriculum iſtum lectionis confeceris. Illud interrogando adjecero. An Patronos Ianſenianæ doctrinæ, & eiuſdem oppugnatores recognoueris, contentionúmque ac turbarum, quæ ex ea controuerſia extiterunt, certior factus fueris.

A. P. A.

Vix penſum Auguſtinianæ lectionis abſolueram, cùm ſuſcepi Romam peregrinationem & Luteriam Pariſiorum primùm cùm primis Luſitanici Regis Portugalliæ libertatis authoris legatis veni: inde Romam tranſmiſſurus: hic incidi in Ianſenium : & caſu, & cum ſtupore incidi : compertoque operis argumento cohorrui ; ac verum fatear, doluì, cum vidi occupatum me ab eo: indignatus Ianſenium mihi argumentum quaſi

de manu clauam extorsisse. Itaque hæc animi mei commotio ab eius me tum lectione absterruit. Posteà industriâ abstinui, nec legere hactenus volui, horrore partim, partim dolore, & iustâ quasi iracundiâ, quod me ab illo præuentum viderem. Nisi fortè altiore id factum consilio, ne aut timidè, si qua in re ab Iansenio dissiderem de ea iudicarem; aut si qua de re inter nos conueniret, eam ego ab illo accepisse viderer. Quo sanè non mediocriter, opinor, Reipublicæ litterariæ consultum: cùm quod vterque affirmet, id omnino perspectum ac exploratum haberi debeat, vt non liceat de Augustini mente dubitare, in quo alter nostrum dissentiat, de eo omnino non constet. Vtriúsque examinanda & conferenda sit ratio, atque adeò valeat qui ratione vincat: liberúmque sit cuique in vtramque partem opinari. De dissensionibus & studijs partium multa accepi, sed ab iis me consultò remoui, quòd vellem me integrum seruare: nec operæ pretium duxi factionibus scholarum fauere, cum vel nouæ scholæ auctor, vel veteris confirmator esse possem. Hoc sum animo, vt Iansenium, tandiu non attingam, donec meum de Augustini mente circa Prædestinationem & Gratiam iudicium profero, & pa-

lam omnibus facio. Id cùm præstitero, tum quæ Ianſenius & Ianſeniani, ac Antagoniſtæ ſcripſerunt, intentiſſimâ curâ legam, ac eos qui à me, ſtent ab Auguſtino ſtare demonſtrabo: ac me Auguſtinianum profitebor: & qui mecum non ſentiat, eum cum Auguſtino pugnare; non tamen ex ſtudio contentionis, ſed ex amore veritatis. Nam & hoc ab Auguſtino didici, moderatè de omni controuerſia diſceptare.

THEOS.

Placent iſta: ſed illud inquiro. Scripſeris ne ſententiam tuam, & Auguſtinum calamo expreſſeris? eiúſque doctrinam tradideris, an apud te habueris, lectione tantum contentus?

A. P. A.

Scripſi equidem: at diuturnam poſt lectionem, & lentam conſiderationem. Cum enim opera Auguſtini omnia decies, & opuſcula illa contra Pelagianos multò pluries recognoſſem, deſignatis quæ in aliis tractatibus ad Gratiam ſpectabant, locis; ac ſelectis, & excerptis, florilegium inſtitui; deinde collectos cum opuſculis rem continentibus contuli, & qui ſibi reſponderent collati, auſcultaui, & expendi: tandem ex omnium conſenſu mentem Auguſtini intellexi. Quam vt mihi perſpectam exploratámque

putaui, in commẽtarios retuli, suis quæstionibus, & titulis distinctos. Hos apud me diligenter seruaui, & diu pressi. Donec longissimâ peregrinatione confectâ, & aliis quibus distrahebar occupationibus, reiectis, Philosophiæ, cuius Magisterio gaudebam, & Theologiæ Præceptor institutus, missúsque, vtramque vt simul traderem Conimbricam, tractatum de Prædestinatione & Gratia ex Augustini Scotique doctrina confeci & dictaui. Non omnes tamen ego Augustini sententias tradidi, sed quas vidi temporibus & Professioni meæ conuenire. Nec enim integrum erat Augustini propriam doctrinam tradere homini Scoti viam sectanti; sed illud tamen effeci, vt cum ea de re parcius disputasset, & ex Augustino plurima essent petenda. Quæ Scotus tradidit acciperem ac retinerem, reliqua ex Augustino mutuarer. Illud ex sententia ccidit, quòd vidi paucas illas Scoti sententias partim ex Augustino desumptas, partim ad Augustinum reuocandas, vt Scoto prorsus cum Augustino, me authore, consentiret. Si qua in re dubia Scoti mens, illam ita Augustino accommodabam; vt ne ab eo dissentiret. Si aduersa, quod raro fieri deprehendi, id candidè fassus, ita proposui, vt dissidere Scotus ab Augustino appare-

pareret: ego ſic inter vtrúmque me gererem, vt cum ſenſus Auguſtini eſſet, vox Scoto non deeſſet. Nunquam tamen commiſi, vt Auguſtini mentem aut adulterarem, aut torquerem, aut diſſimularem.

THEOS.

At ne tum quidem Ianſenium vidiſti?

A. P. A.

Fateor eo abſtinuiſſe: vidiſſe tamen plurimos ex omni ſchola, qui ante ipſum ſcripſerunt, nec admodum laboraſſe quid illi ſentirent. Noui equidem, qui ex ipſis melius Auguſtini mentem perſpiciant, quique, & quibus in rebus cum eo ſentiant, vel ab eo diſſentiant. Quæ partim tradidi, partim apud me retinui.

CHAR.

Quoſnam tu imprimis legiſti?

A. P. A.

Ex iis quos antea legeram, recognoui Dominicum Sotum, Zumelium, Banez, Cabezudum, Cabreram, Molinam, Valentiam, Bellarminum, Aluarez, Curielem, Suarium, Vaſquium, Leſſium, Pennotum, Ruizium, Hericium, Arrubalem, Smiſingum, Alarconem, Petauium.

CHAR.

Quàm vellem ſcire quid tu de ſingulis iudi-

ces? An, quî, quâ ratione cum Augustino, aut conueniant, aut pugnent? Sed properandum quo caput vocat.

THEOS.

Non possum non mirari, quid tu tandem ageres cum ab vno Iansenio abstinebas? Adeò ne te ab hoc homine alienum!

A. P. A.

Ego ne alienus ab eo, qui tam intimus Augustino? Nolui, vt proximè dixi, antequam iudicium meum proferrem, illius præiudicio vti: nec aut mihi, aut illi detrahere, si præiudicata attulissem. Eo, quod abstinui ostendi, quanti illum facerem, cuius præjudicium tantum apud me habiturum ponderis credebam, vt timerem ne aut non ab eo auderem discedere, aut cogerer meum iudicium sustinere, aut timidè proferre sententiam, & rem totam cunctando, morando, dissimulando corrumpere.

CHAR.

Magnam certè tui hisce præludiis expectationem concitasti. Iam mihi temperare non possum, quin à te vel eliciam, vel exprimam quid sentias.

A. P. A.

At ego noui quantam mihi concitem pugnam

hoc meo de Auguſtini mente iudicio. Nam ſiuè cum Ianſenio conſentiam, ſiuè ab eo diſſentiam, alterius, imò & vtriúſque in me partis inuidiam commouebo. Ac vereor vt nullius Gratiam ineam. Sed mihi propoſitum eſt vni veritati ſtudere, & omni tum affectu, tum reſpectu abiecto, quid ſentiam candidè exponere. Solius Auguſtini rationem habeo. Ille apud me omnia. Vnum animaduerto; me hic breuiter & quaſi per concluſiones Auguſtini ſententias proponere, & in ſummam illius doctrinam reſtringere: nec à me aut ſententias propoſitum, aut rationes adductum, aut difficultates explicatum, aut argumenta ſolutum iri. Hæc enim alterius ſunt otij. Omnia, cùm in Luſitaniam rediero, maiúſque liberius otium fuero, exactiſſimè præſtabo, recipio que fore, vt nihil à me vel ad explicationem mentis Auguſtini, vel confirmationem ſententiarum, vel argumentorum diluſionem ſpectans deſideretur. Tunc, ſi quid inter me & Ianſenium differat, ego in eo me ad Auguſtinum propiùs acceſſiſſe monſtrabo, & in quo ille à me diſſentiat, in eo ab Auguſtino diſceſſiſſe. Quòd ſi in omnibus conueniat, mihi gratulabor, quòd Auguſtini mens vtriúſque noſtrum priuato labore ac ſtudio comperta ac

explorata fuiſſe videatur.

Quin tu locos, theſes vbi aut inueneris, aut vnde deduxeris, indicas?

A. P. A.

Diu mecum hac de re deliberaui. Et quidem abſtinere mallem: nec Autor deerat & nobilis, & Luſitanus. Emmanuel Saa. Verùm qui me incitabat, deterruit, expertum quàm parùm ſua illâ fiducia profeciſſet. Itaque mutanda ſententia, & loci indicandi. At vereor, ne dum meę fidei cõſulo: exiſtimationi detraham, cùm omnino futurum ſit, vt lectori locos notanti, & cum theſibus conferenti interdum non appareat, quâ ratione concluſio, aut loco inſit, aut ex eo deducatur: atque adeo is mihi ſuccenſeat, quòd aut temerè, aut ineptè egerim. Præſertim, ſi contrà quàm aut ipſe ſenſit, aut ab aliis accepit, intelligam. Sed leuius hoc eſt; quàm ſi nullos omnino locos adduxero temeritatis damnari: nam ſiqui minus idonei videantur, multi certè congrui, iuſtíque apparebunt: qui argumento erunt, alios non fore detortos, aut alienos. Id ſaltem obtinebo, vt dum integrum opus exit, & rationes affero, iudicium ſuum ſuſtineant, qui damnare ſtatuunt. Quòd ſi demum condemnent, malo imperitus, quàm temerarius haberi. Vnum

moneo, huiuſmodi Ariſtarchos : me integrum omnino filum in Auguſtino legendo duxiſſe, ac non poſſe niſi continuato ductu Auguſtinianæ doctrinæ viam confici. Eſſeque plana, vbi inceſſu, eſſe ardua: vbi circuitu & ratiocinatione opus ſit. Quâ ſi ego in explicando loco vterer, ſanè conſtaret concluſioni hærere. Itaque credendum eſt homini in Auguſtino verſatiſſimo, & totam illius doctrinæ rationem tenenti : nam, vti in Phidiæ clypeo ita omnes inter ſe erant partes compoſitæ, vt quanquam ſitu abeſſent, ordine colligarentur; atque adeo vnâ ſuo loco motâ colligatio tota ſolueretur ; nec ea aut ſoluendi aut colligandi ratio niſi vni Phidiæ nota & perſpecta, qui totius fabricæ vim & harmoniam comprehendebat : ita Auguſtinianæ doctrinæ ſtructura tam ſibi & nexa, & cohærens eſt, vt tota ſit tenenda ei, qui fabricam tenere velit; atque is demum agnoſcet, quæ longè videntur partes ab aliis eſſe remotæ, eas ita cum aliis cohærere, vt proportione reſpondeant; à quibus ſi ſeparentur, totam omnino connexionem perituram. Hæc eò dico, nequis aut me temerè taxet, quòd ea poſuerim, quæ aliena videantur; aut ſibi inſolenter arroget intelligentiam ſententiæ Auguſtini, quòd ali-

quam eius partem legerit: cum ne de vna quidem iudicare sine omnium comprehensione possit. Cuius ego rei postea aliquod paradigma proponam. Interim tibi morem geram, & locos indicabo.

THEOS.

Magnum tu operæ pretium feceris, si non locos tantùm, sed etiam verba, & sententias Augustini repræsentaueris: nam hac ratione tu & fidem liberabis tuam, & desiderio nostro satisfacies.

A. P. A.

Maioris id est operis, quàm vt præstare modò possim. Recipio, iusto illo, quod iam adorno, in volumine posteà facturum: cum omnia accuratissimè tractanda. Nec solum proponendæ seorsim Augustini sententiæ, sed multis magnisque rationum & testimoniorum momentis confirmandæ, Nec magni ad institutum referre puto, si solitarias Augustini sententias adducam, nam cum duo hominum genera sint ista lecturi: Alterum eorum qui candidè & sine affectu legant: Alterum eorum qui iam imbuti opinionibus & afflati studiis partium; omninò fiet, vt illi & thesibus, & locis credant: hi verò cùm theses non admittant, ne testimoniis

quidem credant: quæ pro ſuo arbitrio fingent, & ad priuatos ſenſus accommodabunt. Illud maius negotium faceſſit: quo animo huiuſmodi doctrinam accepturi ſint docti. Ac vereor vt Pænum iſtum Leonem Galli quidam inſectentur. Nam olim Maſſylus hic Leo Maſſilienſibus non placuit.

CHAR.

Apage ſis iſta. Auguſtinus Aquila potius eſt, quàm Leo. Gallis amica ob Solem familiarem.

A. P. A.

At non Leones modo Hiſpanos, ſed Aquilas etiam Auſtriacas à Gallis hodie video debellari.

THEOS.

Planè: ſed in huiuſmodi Leonibus Galli tumores & faſtus: in Aquilis Auſtrinos & flatus, & turbines inſectantur. Maſſilienſium qui meminiſti, & Arelatenſium & Aquitanicorum recordare.

CHAR.

Incipe iam & oracula ex Auguſtini cortina redde.

A. P. A.

ADES AVGVSTINE.

Primùm: Auguſtinianæ doctrinæ ſi conſtru-

ctio spectetur, à certis quibusdam communibus Principiis ducitur: si resolutio, & analysis, ad certós quosdam terminos reducitur. Hæc oportet proponere, vt appareat quibus è fontibus conclusionum riuuli deducantur.

ORACVLA A D. AVGVSTINO EDITA.

I. PRINCIPIVM.

INCARNATIONEM Verbi Diuini, non nisi in remedium peccati, aut præfinitam, aut institutam.

I. Lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 26. 27. & 28. Psalm. 36. circa med. serm. 8. & 9. de verb. Apost. ep. 45. l. de Ag. Chr. c. 10. & 11. serm. 14. de tempore

II.

Prædestinationem absolutam, esse electionem quorundam efficacem ad Gloriam: ex sola Dei misericordia, præ aliis in communi massa damnata derelictis.

II. Lib. de Prædest. sanct. c. 5. & 9. & lib. de Bono Perseu. c. 8. ad 15. ep. 105. l. de expos. ep. ad Roman. ep. 143. lib. 13. de Trin. c. 11. In Psal. 30. tract. 86. in Ioan. serm. 16. de verb. Apost. lib. de Peccat. mer. & rem. 1. c. 22. l. de nat. & Grat. c. 8. lib. de Cor. & Grat. à c. 5. ad 9. lib. de Grat. & lib. arb. c. vlt. lib. 2. cont. 2. ep. Pelag. c. 7.

III.

Peccatum Originale vniuersam generis humani massam corrupisse, illámque omni prorsus iure ad Gloriam, Gratiámque priuasse: vt satis esset illud ad vniuersorum damnationem, nisi Deus liberè, ac misericorditer quos vo-

III. Lib. de nat. & Grat. c. 5. lib. 2. de Grat. Chri. c. 1. & lib. 2. de nupt. & conc. c. 9. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 30. & lib 21. de Ciuit. c. 12. Psal. 31. lib. de Trin. 13. c. 10. 11. 12. ep. 4. ad Simpl. q. 2. lib. de præd. sanct. c. 9. & 14. lib. de Bono perseu. c. 8. & 12. In Enchir. c. 95. 98. & 99. Epist. 105. 106. & 157. l. de Cor. & Grat. c. 7. & 10.

a

luit liberare voluisset.

serm. 14. de temp.

IV.

Naturam in statu ruinæ, non solùm integritate & iustitia spoliatam, sed pronam, & inclinatam in peccatum mansisse, retentâ libertate, sed æquilibrio arbitrij amisso.

IV. Lib. 2. de Peccat. mer. & rem. à c. 22. & l. de Prædest. sanct. c. 3. l. 2. de nupt. & conc. c. 9. & 14. & 29. l. de Fid. & symb. c. 10. & l. 22. cont. Faust. c. 7. & 8. l. 5. cont. Iulian. c. 3. & de verb. Apost. serm. 2. l. de nat. & Grat. c. 43. & 67. lib. 12. de Trin. c. 11. & l. 13. c. 12. & l. 14. c. 17. l. de Gr. Chr. à c. 37. Vide concl. 34.

V.

Non esse post mortem statum medium inter Beatitudinem, & damnationem, nec locum inter manum dexteram, & sinistram.

V. Lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 18. & perspicuè c. 28. & l. de nat. & Grat. l. 4. cont. Iulian. c. 3. c. 2. Epist. 28. & 46. & 52. l. 13. de ciuit. c. 24. & l. 21. c. 1. & 21. l. 3. de peccat. mer. c. 2. l. 2. de nupt. & conc. c. 8. l. 3. cont. 2. epist. Pelagian. c. 5. l. 1. Retr. 1. 9. serm. 6. Homil. prædica verbum. & serm. 181. de temp. serm. 14. de verb. Apost. lib. de Grat. & lib. arb. c. 3. & perspicuè lib. 1. de orig. anim. ad Renat. c. 9.

VI.

Gratiam donum omninò Dei liberum, & gratuitum esse: omni præciso ad naturales actus respectu.

VI. L. Retr. 1. c. 9. & 23. l. 9. Cõf. c. 6. ep. 105. & 109. l. 1. de Grat. Chr. c. 22. & 24. l. 4. de Trin. c. 1. & 14. c. 15. & ep. 52. & 59. & 89. tr. 7. in Ioan. de spir. & lit. c. 28. lib. 15. de Ciuit. c. 19. l. de nat. & grat. c. 4. & lib. 2. de grat. Chr. c. 24. l. de Prædest. sanct. c. 14. in Psal. 18. & 30. & 31. & 49. & 144. tr. 3. in Ioan.

VII.

Fidem esse Ostium ad Gratiam:

VII. Lib. 4. cont. Iul. c. 5. serm. 15.

cui adulto nulla prorsus lux, aut irradiatio Fidei detur, ei nullam Gratiæ copiam fieri.

de verb. Apost. & Præfat. in Psal.31.l 3.contr.2. epist. Pelag.c.5.epist.60. & 95. & 107. Enchir. c. 103. 106. & q. 2. ad Simplic. L de nat. & grat. c 9. Psal.98. & 110.& 118. serm. 38.de tempore, & serm. 95.& 124. & serm.181.l.de Prædest. sanct. c. 8. & 10. & 20. Vide conclusiones 35. ad 43.

VIII.

Gratiam in statu iustitiæ diuersam esse à Gratia status ruinæ, atque hanc illâ multò potentiorem.

VIII.

Lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12. l. de nat. & grat. c. 43. l. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 13. & l. 2. c. 19. lib. de Dono Perseu. c. 8.

IX.

Gratiam vi suâ efficacem esse, ac verè & physicè in voluntatem influere, delectare, mouere, inclinare, atque adeò semper esse victricem.

IX.

Lib. de Corrept. & Grat. c. 1. 11. 12. 14. lib. 6. conr. Iul. c. 7. & 8. & l. 5. c. 5. & l. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 19. & 20. lib. de Grat. & lib. arb. c. 14. 16. & 20. l. de Bono Perseu. c. 6. & 22. l. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. & 19. tract. 4. in Epistol. Ioan. l. de spir. & lit. c. 34. & tract. 49. in Ioannem, Psal. 57. & 118. l. 1. de Grat. Chr. c. 24.

X.

Positâ Gratiâ efficaci, libertatem non auferri, imò donari & stabiliri, & in bonum augeri: tolli quiddam inclinatum, & seruiens, tolli item aliquid indifferens in æquilibrio ad bonum, & malum: sed nihil læsâ, imò constitutâ libertate.

X.

Ep. 89. ad Hilar. l. 1. Retract. c. 13. & l. 14. de Ciuit. c. 11. l. 1. contr. 2. ep. Pelag. c. 2. & 3. l. de Grat. & lib. arb. c. 15. l. de Corrept. & Grat. c. 11. & 12. l. de Fide & symb. c. 10. in Enchir. c. 30. & 105. & 106. l. 2. de peccat. mer. & rem. c. 19. l. 3. de lib. arb. c. 3. l. de spir. & lit. c. 3. & 34. l. 5. de Ciuit. c. 9. l. 22. cont. Faust. c. 78. l. de nat. & Grat. c. 66.

Hæc ſunt certiſſima & capitalia Auguſtinianæ doctrinæ principia : ex quibus proximæ theſes deducuntur.

I. CONCLVSIO.

Ex Princ. 1.

VERBVM Diuinum non incarnaret, niſi præcederet peccatum.

I. Lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 26. 27. & 28. ep. 45. l. de Ag. Ch. c. 10. & 11. Pſal. 36. circa med. ſerm. 8. & 9. de verbis Apoſt.

II. *Ex Princ.* 1.

Omnis Gratia Chriſti eſt medicina peccati commiſſi, & virtus euitandi futurum.

II. Lib. de nat. & grat. c. 26. & 31. ad 36. & l. de Eccleſ. dogm. c. 28. l. de Cor. & Grat. c. 1. & lib. de Grat. & lib. arb. c. 6 & 13. l. 6. cont. Iulian. c. 23.

III. *Ex Princ.* 1.

Gratia Angelorum & Adami in ſtatu recto non fuit Gratia Chriſti.

III. In Enchir. c. 61. lib. de Cor. & Grat. c. 11. lib. de Bono Perſ. c. 7.

IV. *Ex Princ.* 1.

Chriſtus cauſa meritoria & exẽplaris noſtræ prædeſtinationis extitit.

IV. L. de Trin. 13. c. 17. & ep. 445. & 52. & l. 10. de Gen. ad lit. c. 18. l. 3. de Peccat. mer. c. 2. & l. de nat. & Grat. c. 4. l. de Bono Perſeu. c. 12. l. de Cor. & Grat. c. 2. 8. & 11. l. de Prædeſt. ſanct. c. 15. Epiſt. 95. & 105. Pſal. 65.

V. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Prædeſtinatio abſoluta nullis omninò præuiſis meritis, imò demeritis præuiſis facta fuit.

V.
Lib. de Præd. ſanct. c. 6. 14. 15. 19. l. de Bono Perſeu. à c. 9. ad 12. & c. vlt. ad Simpl. q. 2. Epiſt. 105. & 106. in Enchir. c. 98. l. 1. de Grat. Chr. c. 12. & 13. l. 4. de Trin. c. 1. & ep. 52. & 120. & 105. l. 13. de Trin. c. 11. De expoſit. epiſt. ad Rom. l. 13. de Trin. c. 16. l. de Corr. & Grat. per totum. In Pſal. 30. & 55. & 65. tract. 86. in Ioan. ſerm. 16. de verb. Apoſt.

VI. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Prædeſtinatio Electorum cum diſcretione à derelictis coniuncta.

VI.
Ep. 46. l. 2. cont. 2. epiſt. Pelagian. c. 7. & l. 4. c. 6. ep. 143. & 105. lib. 4. cont. Iul. c. 8. l. de Corrept. & Grat. c. 7. 12. 15. l. de nat. & Grat. cont. Pelag. c. 5. l. de Corrept. & Grat. c. 7. & 10.

VII. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Prædeſtinatio actus miſericordiæ: derelictio iuſtitiæ fuit.

VII.
Lib. de Corr. & Grat. c. 7. & 10. epiſt. 46. & l. 2. cont. 2. ep. Pelag. c. 7. ep. 61. & 105. l. de Prædeſt. ſanct. Pſal. 31. lib. 5. contr. Iulian. c. 4. & 9. lib. de Dono Perſeu. c. 8.

VIII. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Prædeſtinatio primo intuitu affectio, & miſericordia, deinde dilectio, mox electio ad Gloriam.

VIII.
Lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 12. & 13. l. de Grat. & lib. arb. c. 18. l. 1. de Peccat. mer. c. 26. 27. epiſt. 59. & 120. tract. 82. in Ioan. l. 1. de Grat. Chr. c. 26.

IX. *Ex Princ.* 2. 3. *&* 4.

Prædeſtinationis affectum media Gratiæ conſecuta, & ex eo efficacia deſtinata.

IX.
Lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 8. l. de Prædeſt. ſanct. c. 3. & 10. ep. 59. & 120. in expoſ. ep. ad Roman. l. 1. de Grat. Chri. c. 12. & l. [illegible] c. 24. & 26. l. de Dono Perſeu.

X. *Ex Princ. 2. & 3.*

Prædestinatio, etsi actus scientiæ supponat, & inuoluat, propriè in actu voluntatis, quod est propositum, consistit.

X. Lib. de Præd. sanct. c 10. & 17. & 18. & l. de Bono Perseu. c. 7 8. 14. & 17. l. 2. contr. 2. ep. Pelag. c. 6. lib. de Corrept. & Grat. c. 7. 9. & 12. l. 5. cont. Iul c. 3. ad Simpl. q. 2. epist. 59. in expos. epist. ad Rom.

XI. *Ex Princ. 2. & 3.*

Quos Deus non elegit, dereliquit in eo statu in quo erant, ac ea derelictio ex permissione iustissima: quæ est illa, quam *reprobationem negatiuam* appellant.

XI. In Enchir. c. 95. lib. de Bono Perseu. c. 8. 12. 14. 22. & l. 2. contr. 2. ep. Pelag. c. 7. & lib. 4. c. 6. ep. 46. & l. 5. cont. Iul. c. 9. ep. 61. & 143. & lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 26. & 27. l. de nat. & Grat. c. 25. l. de Cor. & Grat. c. 7. & 13. & l. de Prædest. sanct. lib. de Gr. & libero arb. c. vlt. & l. 4. cont. 2. epist. Pelag. c. 6.

XII. *Ex Princ. 2. & 3.*

Derelictionis primæ in massa damnata integra, & adæquata causa peccatum Originale.

XII. Lib. de nat. & Grat. c. 5. & 18. l. de Corrept. & Grat. c. 13. l. 11. de Gen. ad lit. c. 30. ep. 105. l. 4. cont. Iul. c. 8. & l. 5. c 4. & 9. l. 2. de Grat. Chr. c. 31. l. de Don. Perseu. c. 9.

XIII. *Ex Princ. 3. & 6.*

Prædestinationis ad certam Gloriam; vti & reprobationis ad certam pœnam, certorum meritorum, & demeritorum præuisio causa extitit.

XIII. Lib. de Eccles. dogm. c. 32. l. de Trin. 13. c 15. l. 83. quæst. c. 66. ad Simplic. q. 2. & serm. de verb. Dom. secũd. Matth. c. 7. & in comment. epist. ad Roman. & Epist. 52. l. 3. cont. Iulian. c. 18. l. de Præd. sanct. c. 11. serm. de verb. Dom. secund. Ioan. 59.

XIV. *Ex Princ. 3. & 6.*

Deus non habuit generalem voluntatem antecedentem ineffi-

XIV. August. ep. 59. de Præd. sanct. c. 8. lib. de nat. & Grat. c. 41 Enchir. c. 103. ep. 107. lib. 4.

cacem ſaluandi omnes: nec is ſenſus eſt loci Pauli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, ſed tres alij quos Auguſtinus & Proſper & Fulgentius tradiderunt.

cont. Iul. c. 8. lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 25. & 26. l. 2. de nupt. & concup. c. 27. lib. de Cor. & Grat. c. 14. & 15. l. de Dono Perſeu. cap. 12. & 13. Proſper epiſt. ad Rufin. Fulgent. lib. de incarn. & Grat. c. 29.

XV. *Ex Princ. 2. & 3. & 6.*

Deus circa electos habuit voluntatem efficacem: circa quoſdam quibus aliquot media inefficacia præparauit habuit inefficacem: circa plurimos omnino negatiuè derelinquendo, ſe habuit: nullo actu voluntatis vſus.

XV. In expoſ. Epiſt. ad Rom. l. de Corrept. & Grat. à c. 7. ad 13. & præcipuè 13. lib. de Dono Perſeu. c. 9. & 10. l. de Corr. & Grat. c. 13. l. de Dono Perſeu. c. 9. & 10.

XVI. *Ex Princ. 2. 3. & 9.*

Deus nouit futura in ſtatu conditionato.

XVI. Lib. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 17. & l. 1. de orig. an. ad Renat. c. 12. l. 2. cont. 2. epiſt. Pelag. c. 7. & l. 3. de orig. an. ad Vincent. c. 10. & ad Simpl. q. 2. & l. de Prædeſt. ſanct. à c. 12. ad 14. & l. de Bon. Perſeu. c. 9. & 10. & l. de Corrept. & Grat. c. 8. & 10. & lib. de vera Relig. c. 46. & l. de Peccat. mer. à c. 2. ad 6. & l. de Grat. & lib. arb. c. 23 & l. 3. cōt. Iul. c. 18. & 25. & l. 1. Retract. c. 13. & 19. & l. de Chriſt. Relig. contr. Porphyrium.

XVII. *Ex Princ. 3. & 9. & 10.*

Libera ita nouit, vt non in ſe ipſis, ſed in connexione efficaci-

XVII. Lib. de Præd. ſanct. c. 17. c. 19. l. de Corrept. & Grat. c. 7. & 9. & 12. l. de Bono Perſeu. c.

tatis auxilij, & Decreti antecedentis, & inferentis actum liberum bonum cognorit.

XVIII. *Ex Princ.* 4. *&* 8. *&* 10.

Si citra hoc cognosceret, peccatum prænosceret: cùm, vbi non intercederet victrix, & inclinans Gratia ex vi decreti, actus bonus minimè sequeretur.

XIX. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Peccatum Originale est causa adæquata, & proxima damnationis infantium sine baptismo decedentium.

XX. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Peccatum Originale causa item est inadæquata & remota reprobationis (quam vocant positiuam) adultorũ, etiam quando remissum post baptismum, etsi iam reatus illius non remaneat; quòd maneat effectus, & affectio cõcupiscentiæ, quemadmodũ in homine ex consuetudine peccante, remisso peccato manet habitudo, quæ tandem illum ad damnationem perducit.

14. ad Simpl. q. 1. & epist. 106. ad Bonif. l. 1. de Grat. Chr. c. 13. lib. 13. de Trin. c. 16. l. de Præd. sanct. c. 10. & 17. l. de Grat. & lib. arb. c. 4. l. de Correpr. & Grat. c. 8. & 11. & 12.

XVIII.

Ex proximè adduct. & ex l. de Correpr. & Grat. c. 12. & l. 6. cont. Iul. c. 7. & 8. & l. 5. c. 5. & l. 1. Retr. c. 10. & l. de Grat. & lib. arb. c. 15. & l. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 29. & l. de Prædest. sanct. c. 18. l. de Correpr. & Grat. c. 11. & 12. vbi perspicuè c. 12.

XIX.

Lib. 1. de Peccat. mer. & rem. à c. 16. ad fin. ep. 105. & 106. lib. 2. de Grat. Chr. c. 31. Ad Simpl. q. 2. in Enchir. c. 94. l. 2. cont. 2. epist. Pelag. c. 7. De verb. Apost. 5. & 7. l. de Cor. & Grat. c. 7. & 8.

XX.

Ep. 105. 106. & 107. l. de Correpr. & Grat. c. 7. 9. 13. ad Simplic. q. 2. in Enchir. à c. 94. ad 100. l. 2. contr. 2. epist. Pelag. c. 7. l. de Bono Perseu. c. 8. 9. 12. l. 2. de peccat. mer. & rem. c. 4. & omnino c. 28. & lib. 3. cont. 2. epist. Pelag. c. 3. & l. 2. contr. Iulian. c. 5. & præclarè lib. 6. contra eundem c. 19.

XXI.

XXI. *Ex Princ.* 1. 2. 3.

Sicut per generationem carnis re ipsa traducitur ex Adamo Originale peccatum: ita & per regenerationem spiritus infunditur in animam per Christum verè & intimè sanctificans Gratia.

XXI.
Lib. 1. de pecc. mer. & rem. à c. 7. ad 20. & præcipuè c. 9. & 15. & 26. & 31. & l. 2. c. 7. 8. 20. 26. & l. 3. c. 2. & l. de Grat. & lib. arb. c. 8. l. de Nat. & Grat. c. 64. lib. 2. de Grat. Chr. c. 24. & tract. 124. in Ioan. & l. 1. de Grat. Chr. c. 46. & lib. 2. c. 5.

XXII. *Ex Princ.* 4. & 8.

Adam in Paradiso constitutus à Deo, rectus, iustus, integer, sine vitio animi, sine defectu sensus, sine morbo corporis, summâ pace ac felicitate Gratiæ beatus.

XXII.
Lib. de Cor. & Grat. c. 10. & 11. lib. 1. contr. 2. epist. Pelag. c. 2. lib. 13. de Trin. c. 3. & l. 14. c. 10. & lib. 1. Retr. c. 10. & lib. 2. de peccar. mer. & rem. à c. 21. ad 24. & l. 2. de Gen. contr. Manich. serm. 5. de verb. Dom. secundùm Matth. & de verb. Apost. Ser. 2.

XXIII. *Ex Princ.* 4. & 8.

Status iustitiæ non erat ignorantiæ, nec erroris.

XXIII.
Lib. 3. de lib. arb. c. 18. l. 1. Retr. c. 9. in Enchir. c. 16. & l. 21. de Ciuit. c. 10. & l. 11. de Genes. ad lit. c. 30.

XXIV. *Ex Princ.* 4. & 8.

In Adamo dum rectus, & in Originali iustitia fuit, non erat rebellio carnis aduersus spiritum, non erat dissidium inter partes inferiores, & superiores animæ, non erant praui motus, non effrenati impetus appetitus, non igniculi concupiscentiæ.

XXIV.
Lib. 1. contr. 2. epist. Pelag. c. 2. & 13. l. 1. de Nupt. & Concup. ad Valer. & 2. serm. 2. de verb. Apost.
Lib. 2. de Peccat. mer. & remiss. à c. 21. ad 25.
Lib. de Corrept. & Grat. sæpe.
Lib. 2. de Gen. ad lit. c. 21.

XXV. *Ex Princ.* 4. & 8.

Donum integritatis, & rectitudinis, quod attinet ad pacem, & concordiam partium animi, fuit quiddam proprium, & habituale, instar iuris, & dominij, impressum voluntati erga inferiores appetitus.

XXV. Lib. 2. de Gen. cont. Manich. & l. 1. contr. 2. ep. Pelag. c. 2. & lib. de Correpr. & Grat. c. 10. serm. 2. de verbis Apost. lib. 2. de Peccat. mer. & remiss. c. 21.

XXVI. *Ex Princ.* 4. & 8.

Adam in Paradiso peccare potuit venialiter; imò & de facto peccauit, antequam peccasset mortaliter.

XXVI. Lib. 14. de Ciuit. c. 11. & l. 11. de Gen. ad lit. c. 42.

XXVII. *Ex Princ.* 4. & 8.

Primum Adami peccatum mortale à superbia fuit.

XXVII. Psal. 68. & 69. l. 2. de Gen. contr. Manich. c. 22. l. 1. contr. aduers. leg. & Prophet. c. 15.

XXVIII. *Ex Princ.* 4. & 8.

Adamus in statu iustitiæ poterat quidem mori, sed omninò moriturus non erat.

XXVIII. Lib. 1. de Peccat. mer. c. 2. l. 13. de Ciuit. c. 3. & 23. & l. 14. c. 26. & lib. 2. de Nupt. & Concup. c. 5. & lib. 6. contr. Iulian. c. 4. & lib. de Hæres. c. 88. l. 6. de Gen. ad lit. c. 24. 25. 26. in Enchir. à c. 25. & Epist. 106.

XXIX. *Ex Princ.* 4.

Adami corpus mortale erat ab intrinseco, sed ab extrinseco immortale futurum.

XXIX. Lib. 1. de Peccat. mer. c. 2. & 3. & l. 7. de Gen. ad litter. c. 25. & l. 11. c. 40. & l. 13. de Ciuit. c. 20. & 23.

XXX. *Ex Princ.* 3. & 4.

Status naturæ lapsæ deterior

XXX. Lib. de Nat. & Grat. c. 3. & 67. l. 2. de Nupt. & Concup.

est, quàm foret status puræ naturæ.

XXXI. *Ex Princ.* 3. *&* 4.

Homo in statu puræ naturæ aliquantò maiores vires ad bene operandum haberet, quàm nunc habet in statu lapsæ naturæ.

XXXII. *Ex Princ.* 3. *&* 4.

In statu puræ naturæ multò minor esset dissensio, & pugna inter vtrumque appetitum, & partes animæ, quàm est in statu naturæ lapsæ.

XXXIII. *Ex Princ.* 3. *&* 4.

Homo in statu ruinæ deterioris est conditionis, quoad corpus, quàm esset in statu puræ naturæ.

XXXIV. *Ex Princ.* 3. *&* 4.

Homo in statu lapsæ naturæ non solùm fuit spoliatus gratui-

c. 9. l. de Prædest. sanct. c. 3. Lib. 14. de Trin. c. 17. l. de Fid. & Symb. c. 10. lib. 22. cont. Faust. c. 7. 8. Lib. 5. contr. Iulian. c. 3. de verbis Apostol. serm. 2. lib. 3. cont. Iulianum c. 4. 5. & 6. l. 1. de Peccat. mer. & remiss. c. 12. & 25. & lib. 3. à c. 7. lib. 6. contr. Iulian. c. 21.

XXXI. Lib. de Nat. & Grat. c. 3. & 67. & lib. 2. contr. 2. epist. Pelag. c. 4. l. 6. contr. Iulian. c. 3. serm. 2. de verb. Apost. l. 12. de Trin. c. 11. & 14. c. 17. & in libris cont. Iulianum. lib. 1. de Peccat. mer. & remiss. à c. 25.

XXXII. Deducitur ex duabus præcedentibus, & lib. 2. contr. 2. epist. Pelag. c. 4. & 5. l. 2. cont. Iulianum c. 2. & l. 5. c. 3. serm. 11. de verb. Apost. l. 6. cont. Iulian. c. 7. lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. vlt.

XXXIII. Lib. de Nat. & Grat. à c. 53. Serm. 2. de verb. Apost. lib. 3. contr. Iulian. c. 3. & 4. & 5. & 6. & lib. 1. de Peccat. mer. & rem. à c. 35. ad finem. & l. 2. c. 29. lib. 5. cont. Iulian. c. 1. & lib. 6. c. 22.

XXXIV. *Ex Princ.* 4. Lib. 2. de Peccat. mer. & rem. à c. 22. lib. de Nat. & Grat. à c. 19. 53. l. 1. de Nupt. & Concup. c. 6. l. 2. de Gratia Christ. contra Pelag. à c. 37. lib. 12.

tis, ſed etiam vulneratus in naturalibus.

de Trin. c. 11. & l. de Fid. & Symb. c. 10. l. 2. contr. Iulian. c. 2. & 7. & 9. & l. 3. c. 26. & lib. 6. à c. 5. ſerm. 2. de verbis Apoſt. lib. 3. de lib. arb. c. 18. lib. 3. contr. Iul. c. 3. & lib. 4. à c. 12

XXXV. *Ex Princ. 5. & 7.*

Omnis honeſta cogitatio moralis ab aliqua Fidei irradiatione, & Chriſti aliquali Gratia procedit.

XXXV. *Ex Princ. 7*
Ep. 28. 112. l. de Eccl. dogm. c. 82. l. 12. de Gen. ad lit. c. 14. l. de Ag. Chr. c. 17. & l. quæſt. ſup. Matth. c. 14. l. 2. contr. 2. ep. Pelag. c. 8. Pſ. 31. ſerm 38. de Temp.

XXXVI. *Ex Princ. 5. & 7.*

Nullus actus moralis bonus ſine aliquo lumine Fidei, & inſpiratione Gratiæ fit.

XXXVI. *Ex Princ. 7.*
Epiſt. 28. 119. & quæſt. 2. ad Simpl. quæſt. 2. Pſal. 31. & 91. & 98. ſerm. 95. de temp. l. de Grat. & lib. arb. à c. 4. ad 15. & lib. 1. cont. 2. epiſtol. Pelag. c. 2. 3. & 19. & l. 2. c. 7. & lib. 4. c. 6. & 9. & 10. & l. 4. contr. Iulian. c. 3. & 8. l. 13. de Trin. c. vltimo. l. de Præd. Sanct. c. 10.

XXXVII. *Ex Princ. 5. & 7.*

Non omnia opera infidelium ſunt peccata: ſed illa tantùm ſunt, quæ ſine vlla Fidei luce, & ſine aliquo igniculo Gratiæ deliberatè ab infidelibus fiunt.

XXXVII. *Ex Princ. 7.*
Lib. 4. cont. Iul. c. 3. & ep. 57. q. 2. & 83. l. 12. de Trin. c. 7. l. de Nat. & Grat. c. 4. lib. 3. contra 2. epiſt. Pelag. c. 5. & 98. ſerm. 11. de verb. Apoſt. ſerm. 95. de Temp. Epiſt. 99. 100. 130. 143. l. 2. contra 2. epiſt. Pel. c. 5. l. 1. cont. Donat. c. 8. & lib. 4. c. 20. lib. de ſpir. & lit. c. 26. & c. 28. l. de Patiēt. c. 26. & Pſal. 31. & 83. & 91. & 98. & 118. l. de Bono coniug. c. 6. & l. de Patient. c. 27.

XXXVIII. *Ex Princ. 5. & 7.*

Ad actum honeſtum moraliter

XXXVIII. *Ex Princ. 7.*
Ep. 28. lib. de Prædeſt. Sanct.

bonum aliquod lumen Fidei, & impulsus inchoatus Gratiæ Christi necessarius est.

c. 10. ep 99. & ep. 130. lib. de Ecclef. dogm. c. 27. q. 2. ad Simpl. Pf. 91. & lib. 4. contr. Iul. c. 3. lib. de Grat. & lib. arb. à c. 4. & lib. de Grat. Chr. à c. 23. & l. 5. de Ciuit. c. 12. & l. 19. c. 25. & Psal. 31. & 72.

XXXIX. *Ex Princ.* 7.
Lib. 4. cont. Iulian. c 3. & 8. l. 3. contr. 2. epist. Pelag. c 5. de verbis Apost. serm. 11. & 13. l. 13. de Trin. c. 7. l. de Nat. & Grat. c. 23. Psal. 31. & 92. & 118. serm. 95. de Temp. & Set. 124. lib. 1. de Nupt. & Concup. ad Valer c. 3. lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 3. l. de Cor. & Gr. c. 3. & epist. 89. & 99. 143

XXXIX. *Ex Princ. 5. & 7.*

Omnis actus qui fit sine vllo Fidei lumine, & sine vllo impulsu Gratiæ peccatum est.

XL. *Ex Princ.* 7.
Lib. de Præd. Sanct. c. 2. & 7. epist. 51. q. 2. l. 1. Retr. c. 9. l. 12. de Tr c. 7. l. 83. quæst. c. 76. l. 1. cont. Donat. c. 8. & l. 4. c. 20. & lib. de Spir. & lit. c. 28. & epist. 105. & 130. lib. 2. de Pecc. mer. & rem. c. 26. perspicuè.

XL. *Ex Princ. 7.*

Non omnia opera, quæ fiunt ante iustificationem per Gratiam iustificantem, sunt peccata, cùm sit ante illam alia quædam iustificatio inchoata.

XLI. *Ex Princ.* 7.
Epist. 57. qu. 2. lib de spir. & lit. c. 28. lib. 1. Retr. c. 9. l. 12. de Trin. c. 7. l. 83. quæst. c. 76. & lib. 4. de Bapt. contra Donatist. c. 21. Tract. 44 in Ioan. Psal. 50. ad vers. 7.

XLI. *Ex Princ. 7.*

Non omnia Fidelium in peccato mortali existentium opera, peccata sunt.

XLII. *Ex Princ.* 7.
Lib. 4. contra Iulian. c. 3. serm. 13. de verb. Apost. ep. 143. l. de Nat. & Grat. c. 4. lib. de Bono Perseuer. c. 2. lib. de Gr. & lib. arb. à c. 4. ad 13. lib. 2.

XLII. *Ex Princ. 5.*

Nullus est in hoc statu naturæ lapsæ actus indifferens in indiuiduo.

cont. 2. epist. Pelag. c. 7. & l. 3. c. 5. & l. 4. c. 6. 9. 10. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 14. lib. de Præd. Sanct. c. 2. & 7. epist. 83.

XLIII.

Lib. 1. Retract. c. 1. & c. 8. & 9. & l. 3. de lib. arb. c. 1. & 3. & 18. 22. l. de ver. Relig. c. 2. epist. 28. & 45. & 46. 52. 89. & 106. l. de Ecclesiast. dogm. c. 32. l. de Spir. & lit. c. 2. & 3. l. de Catechiz. rud. c. 14. & l. de Patient. c. 24. in expos. ep. ad Rom. & Gal. lib. 10. de Trin. c. 32. & l. 11. c. 2. & l. 2. cont. Petil. c. 84. l. 2. de Peccat. mer. c. 5. toto lib. de Nat. & Gr. & l. 2. cont. 2. ep. Pel. c. 7. & 8. Ps. 31. de verb. Ap. serm. 11. & 12. serm. 115. de Temp. lib. 4. cont. Iulian. c. 3.

XLIII. *Ex Princ. 5. & 7.*

Nulli sunt actus medij inter actus moraliter, & supernaturaliter bonos, & moraliter ad damnationem malos.

XLIV.

Lib. 4. contr. Iulian. c. 3. ep. 28. & 46. & 52. & 89. 93. 95. 105. l. 8. de Gen. ad lit. c. 12. l. de Ag. Ch. c. 17. l. de Spir. & lit. c. 2. & 3. & 4. & c. 29. lib. de Fid. & oper. c. 14. & 23. & quæst. sup. Matth. c. 14. l. 83. quæst. q. 66. l. de Patient. c. 22. & 27. lib. de expos. epist. ad Rom. lib. 14. de Ciuit. c. 4. l. 15. de Ciu. c. 19. l. 2. de Peccat. mer. c. 5. lib. de Grat. & l. arb. c. 7. ser. 11. & 12. de verb. Ap.

XLIV. *Ex Princ. 5. & 7.*

Nulli sunt actus ex sola natura boni, & naturaliter boni: sed boni sunt ab aliquali gratia boni.

XLV.

L. 1. de Orig. an. ad Renat. c. 9. ep. 28. & 46. & 52. & 59. 89. & 91. l. 4. de Ciu. c. 2. l. 5. de Ciu. c. 93. & l. 7. c. 5. & l. 10. c. 32. &

XLV. *Ex Princ. 5.*

Sicut post mortem non est finis naturalis Beatitudinis, ita in vita

l. 13. c. 14. & lib. 15. de Trin. c. 19. l. 3. de Peccat. mer. c. 2. l. 2. de Nupt. & Conc. c. 8. l. 3. contra 2. ep. Pelag. c. 5. & Pſ. 65. & ſerm. 181. & omnino l. 4. contra Iulian. c. 3.

nulla ſunt media, & actus naturalis tantùm honeſtatis.

XLVI. *Ex Princ.* 8.

XLVI. Lib. de Spir. & lit. c. 3. lib. 2. de Peccat. mer. c. 17. & l. 3. c. 2. lib. 1. contra 2. epiſt. Pelag. c. 3. Pſal. 118. lib. 4. contr. Iul. c. 2. l. 1. de Grat. Chr. c. 3. & 5.

Gratia excitans tum intellectus eſt, tum voluntatis: illa in ſupernaturali illuſtratione: hæc in inſpiratione, & delectatione item ſupernaturali conſiſtit.

XLVII. *Ex Princ.* 8.

XLVII. Lib. 2. de Peccat. mer. c. 17. & 19. & l. 3. c. 2. Pſal. 118. & l. de Cor. & Grat. c. 5.

Licèt actus intellectus, & voluntatis indeliberati Gratiæ excitantes ſint, non tamen in iis ſolis excitans Gratia conſtituitur.

XLVIII. *Ex Princ.* 4. *&* 7.

XLVIII. Ep. 22. & 106. & 107. 144. 220. Ench. c. 117. epiſt. 89. & 90. & 91. & 95. lib. 10. de Gen. ad lit. c. 12. tr. 17. in Ioan. lib. de Eccleſ. dog. c. 29. lib. de Spir. & lit. c. 6. & 8. & 9. & 19. l. 83. quæſt. c. 66. lib. de expoſ. ep. ad Rom. & Galat. & l. 21. de Ciuit. c. 16. & contr. aduerſ. leg. c. 7. l. 1. de Gr. Chr. c. 3. l. 1. de Grat. Chr. c. 41. lib. 3. contra 2. epiſt. Pelag. c. 7. lib. de Grat. & lib. arb. c. 12. & 13. Pſal. 70. tr. 3. in Ioan.

Lex ſine adiutorio Gratiæ ſtimulus peccati. Doctrina ſine intrinſeco pulſu diuino Gratia non eſt.

XLIX. *Ex Princ.* 4. *&* 8.

XLIX. Lib. 2. de Peccat. mer. c. 17. & 19. & l. 3. c. 2. lib. 1. de Gr. Chr.

Gratia excitans propriè intellectum & voluntatem eſt lumen

quoddam, & ſuauitas comitans actus indeliberatos, & relicta ex iis, ac inhærens.

c. 3. Pſal. 118. l. 4. cont. Iulian. c. 2. l. 1. de Gr. Chr. c. 3. & 35. & 45.

L. *Ex Princ. 8. & 9.*

Motio Gratiæ excitantis non eſt ſolùm moralis, ſed etiam phyſica, re ipſa mouens & efficiens intellectum, & voluntatem.

L. Lib. de Grat. & lib arbit. c. 1. 4. 16. 28. lib. de Bon. Perſeu. c. 6. & 22. & 20. lib. de Cor & Grat. c. 11. 12. & 14. & l. 1. contra 2. epiſt. Pelag. 19. & l. 4. c. 6. in Enchir. c. 64. ep. 107. l. de ſpir. & lit. c. 34. l. 1. de Gratia Chr. c. 3. & 85. & 45.

LI. *Ex Princ. 7.*

Gratia excitans non ſolùm efficax, ſed inefficax etiam datur. Et hæc eſt vera & interior Dei vocatio.

LI. Lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 17. l. de mor. Eccl. Cathol. c. 24. ep. 106. l. 83. qu. c. 68. l. 2. de Peccator. mer. c. 1. & ad Simpl. q. 2. & l. de Pręd. ſanct. c. 9. & 16. & l. de Corr. & Gr. c. 5. & 7. 9. 11. 12. lib. cont. Iul. 5. c. 4. & lib. de Dono Perſeu. c. 9. & 14.

LII. *Ex Princ. 4. & 8. & 9.*

Efficax Gratia ex ſua intrinſeca ratione talis eſt, & reapſe maior & potentior gratia inefficaci.

LII. Lib. de Cor. & Grat. c. 5. & 11. Pſ. 118. tract. 4. in epiſt. Ioan. Epiſt. 107. lib. de Peccat. mer. & rem. c. 17. & 19. lib. contr. Iulian. 5. c. 4.

LIII. *Ex Princ. 7.*

Gratia inefficax verè excitans Gratia eſt, ſed remiſſa, & non congrua difficultati vincendæ.

LIII. Lib. 2. de Peccat. mer. c. 5. & 17. ex locis proximè cit. concl. 51. & lib. Retr. c. 13.

LIV. *Ex Princ. 4.*

Cum Gratia inefficaci, & morali quadam difficultate, ſtat im-

LIV. Lib. de Fide & ſymb. cap. 10. & lib. 2. de Peccat. mer. &

rem.

rem.c.17. & ducitur ex concl. 51.

potentia moralis ad operandum, vnde dicitur voluntas non posse operari.

LV.
Lib de Grat. & lib. arb. c. 15. & 17. lib. de Corrept. & Grat. c. 5. & 11. tract. 49. in Ioan. ex suprà cit. concl. 51. & 53. lege c. 17 lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 17.

LV. *Ex Princ. 9.*

Gratia inefficax, si augeatur, efficax reddetur, quòd sit minor quàm Gratia efficax.

LVI.
Ad Simplic. q. 1. & l. de Cor. & Grat. c. 5. lib. 6. contr. Iul. c. 18. lib. 2. de Peccat. mer. & rem c. 19. lib. de Grat. & lib. arb. c. 4. & 15. lib. de Cor. & Grat. c. 5. & 11. & præcipuè c. 12.

LVI. *Ex Princ. 4. & 9.*

Fieri potest, vt Gratia quæ in vno inefficax est, in alio efficax sit: quòd spectata difficultate vincendâ, minor Gratia in iusto sit victrix, in peccatore non sit: at semper ex parte Gratiæ erit victoria.

LVII.
Lib. de Præd. Sanct. c. 20. lib. de Grat. & lib. arb. c. 4. 17. & l. de Cor. & Grat. c. 8. & 11. 12. l. 2. de Peccat. mer. c. 19.

LVII. *Ex Princ. 9.*

Gratia excitat consensum, non expectat, ita vt semper Gratia sit ratio operandi.

LVIII.
Lib. 4. contr. Iul. c. 8. lib. de Corrept. & Grat. à c. 5. ad 8. lib. 1. de Peccat. mer. c. 21. 22. tr. 25. in Ioan. lib. de Nat. & Grat. c. 8. Ad Simplic. q. 2. lib. de Bono Perseu. c. 8. In Enchir. c. 94. & 103.

LVIII. *Ex Princ. 3. & 6.*

Gratia inefficax, & non congrua, quæ vulgò sufficiens dicitur, non omnibus omninò hominibus datur.

LIX.
Epist. 105. & 107. & lib. 4. côtr. Iulian. c. 8. lib. de Grat. & lib. arb. c. 22. In Enchir. c. 103. l. de Bon. Perseu. c. 8. l. de Nat.

LIX. *Ex Princ. 3. & 6.*

Infantes qui in Peccato Originali decedunt, omnibus prorsus

auxiliis sufficientibus destituuntur.

& Grat.c.8.l.1.ad Simpl.q.1. l. de Cor.& Grat.à c.6.lib.1. de Peccat.mer.& rem.à c.16. ad fin.

LX. *Ex Princ.* 3. & 6. & 7.

Adultorum multis auxilium sufficiens denegatur.

LX.
Lib.4.cont.Iul.c.8.ep.50. & 105. & 107. ep.107. l.de Bon. Perseu.c.14.lib.1.de Peccat. mer. & rem. c.22. lib.15. ad Simpl. q.2. l.2.cont.2.epist. Pelag.c.7. In Enchir.c. 94. l. de Præd.Sanct.c.6. 7. 8. 9. l. de Bon.Perseu.c.8.l. de Cor. & Grat. à c. 5. ad 8. lib.14 de Ciuit.c.11. & lib. de Nat. & Grat.c.50.& 55.

LXI. *Ex Princ.* 3. & 6. & 7.

Omnes illi qui omni irradiatione Fidei carent, & auxilio sufficienti carere debent.

LXI.
Ep.105.q.2.ad Simpl. lib.de Præd.Sanct.c.6.In Enchir.c. 86. 103. & in locis proximis concl. cit. 58. 59.60. & suprà à 35. ad 40.

LXII. *Ex Princ.* 3. & 6. & 7.

Non minor est ratio denegandi auxilium sufficiens Infidelibus adultis quàm infantibus: cùm illi peccato Originali jaddant venialia peccata, & infantes solùm habeant Originale.

LXII.
Deducitur ex proximis tribus concl.58.59.60.& ex 14. & ex Principio 3. Habetur clarè lib. de Cor. & Grat. c. 13.& lib.de Nat. & Grat.c.9. & 10.

LXIII. *Ex Princ.* 7.

Si detur homo, qui legem seruet naturalem, is sanè aliqua Fidei luce, & inspiratione Gratiæ præditus erit.

LXIII.
Lib.4.cont. Iul.c.3.l.de spir. & lit.c.36.in expos. epist. ad Galat.l.13. de Ciuit.c.2. & l. 14.c.7.& l.17.c.4.l.de Nat.& Grat. c. 23. serm. de temp. 148.

LXIV.
Lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 22. l. 3. cont. 2 Epist. Pelag. c. 5. in expos. epist. ad Galatas lib. 3. cont. 2. epist. Pelag. c. 5.

LXIV. *Ex Princ. 3. & 7.*

Admisso dari hominem, qui citra opem Gratiæ legem naturalem seruaret, non ideò ei daretur auxilium Gratiæ, cùm haberet peccata venialia. Vnde falsum est illud, *Facienti quod in se est Deus non denegat auxilium*, si de viribus naturalibus accipiatur.

LXV.
Lib. 3. contr. 2. epist. Pelag. c. 5. & lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 22.

LXV. *Ex Princ. 5. & 7.*

Multi infideles cum peccatô Originali & solis Venialibus decedunt, prorsus damnandi.

LXVI.
Lib. 1. Retr. c. 9. lib. 3. de lib. arb. c. 3. lib. de spir. & lit. c. 34. l. 5. de Ciuit. c. 9. & 10 n. 88. l. 2. de Peccat. mer. c. 18. l. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 3. & 9. & 18. ep. 48. & 89. & lib. de Correpe. & Grat. c. 2. lib. de Grat & lib. arb. c. 9.

LXVI. *Ex Princ. 10.*

Gratia efficax non est illa physica, & prædeterminans qualitas, posita: vt voluntas in vnam partem determinetur.

LXVII.
Lib. 1. Retr. c. 9. & l. 2. c. 66. l. 3. de lib. arb. c. 3. ep. 89. lib. 2. de Peccat. mer. c. 18. lib. 1. de Grat. Christi c. 7. & 13. & 25. lib. de Corr. & Grat. c. 2. l. 2. contr. 2. epist. Pelag. c. 9. & lib. de Grat. & lib. arb. c. 9.

LXVII. *Ex Princ. 10.*

Gratia efficax non prædeterminat voluntatem, nec tollit potestatem suspendendi, aut reuocandi actum, nec eâ positâ determinatur per illam voluntas ad actum secundum.

LXVIII. *Ex Princ.* 3. & 4. & 8. & 9.

Gratiæ efficacia non in congruitate illa sumpta ex circunstantiis, & respectu ad voluntatem opportunè vocatam consistit.

LXVIII. Lib. de Cor. & Grat. c. 5. & 11. & 12. ep. 48. l. 1. contr. 2. epist. Pelag. c. 7. & 18. & 19. l. de Prædest. Sanct. c. 20. l. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 16. 20. & 21. tr. 49. in Ioan. & tr. 4. in epist. Ioan. lib. 2. cont. 2. epist. Pelag. c. 9. l. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 19. Vide c. 17. lib. de Grat. & lib. arb. & locos lib. de Cor. & Grat.

LXIX. *Ex Princ.* 4. 8. 9.

Efficacia Gratiæ in propria virtute intrinseca ipsius Gratiæ victrice sita est, cuius victoria in delectatione, & suauitate consistit; opponitur suggestui, & motui concupiscentiæ, & diaboli delectatione ad malum incitantis.

LXIX. Lib. 1. contr. 2. epist. Pelag. c. 3. & l. 2. c. 19. & 30. l. de Cor. & Grat. c. 2. & 11. l. de Præd. Sanct. c. 20. 12. ep. 48. & 50. l. 2. de Peccat. mer. c. 17. & 18. l. 1. de Grat. Chri. c. 24. & c. 18. l. de Grat. & lib. arb. c. 17. 20. & 21. Psal. 57. tract. 25. in Ioan. l. 2. de Grat. Chr. c. 25.

LXX. *Ex Princ.* 8. & 9.

Hæc antecedenter & physicè mouet, & inclinat suauiter in vnam partem, quin determinet ad illam.

LXX. Ep. 48. & 50. & 46. l. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 31. 18. 19. l. de Prædest. Sanct. c. 20. lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 20. & 21. lib. de Cor. & Grat. c. 2. & 11. & 12. tr. 49. in Ioan. l. 1. de Grat. Chr. c. 24.

LXXI. *Ex Princ.* 8. 9. & 10.

Eâ positâ tollitur difficultas, aufertur illa pronitas ad actum malum: tollitur æquilibrium indifferentiæ, & inclinatur voluntas ad actum secundum bonum; ita vt

LXXI. Lib. 2. de Peccat. mer. c. 17. l. de Prædest. Sanct. c. 20. tract. 49. in Ioan.
Ep. 46. & 89. lib. de Grat. & lib. arb. c. 20. & lib. de Cor. & Grat. c. 2.

maneat inclinata, non autem prædeterminata.

LXXII.
Lib. de ſpir. & lit. c. 34. lib. de Grat. & lib. arb. c. 9. ep. 46. & 14. & lib. de Cor. & Grat. c. 1. & 2.

LXXII. *Ex Princ.* 10.

Acceptâ Gratiâ efficaci adhuc voluntas poteſt, aut ſuſtinere actũ, aut oppoſitum efficere, cùm inclinata ſit, non determinata.

LXXIII.
Ep. 48. & 50. lib. de Prædeſt. Sanct. c. 20. l. de Grat. & lib. arb. c. 15. 16. 17. & 20. & 21. & lib. de Cor. & Grat. c. 2. & 11. & 12. ep. 143. lib. de Corrept. & Grat. c. 12. & 13. & 14. lib. de Grat. & lib. arb. c. 20.

LXXIII. *Ex Princ.* 4. 8. 9. 10.

Efficacia non eſt à voluntate, nec redditur Gratia efficax ex cooperatione illius, ſed iam eſt efficax cùm datur, & mouet efficaciter ad actum, nec expectat, aut comitatur tantùm conſenſum, ſed efficit cum voluntate inclinatâ, & liberè conſentiente, ſed actio præcipuè eſt à Gratia vincente, ſtatuente, roborante, inclinante.

LXXIV.
Lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 19. l. 1. Retr. c. 9. l. in expoſ. ep. ad Rom. ep. 46. l. 1. contr. 2. epiſt. Pelag. c. 3. & 7. & 19. lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 20. lib. de Cor. & Grat. c. 14. l. 4. cont. Iul. c. 3. & 4. lib. de Grat. & lib. arbit. c. 15. & 20. lib. de Corrept. & Grat. c. 11. tract. 49. in Ioan.

LXXIV. *Ex Princ.* 8. 9. 10.

Gratia efficax minùs virtutis habet, quàm illa prædeterminans phyſica motio: cùm inclinet, non determinet; moueat, non neceſſitet: & multo plus virium, quàm illa ex opportunitate congrua vocatio, cùm ex ſe habeat vim an-

tecedenter mouendi, & inclinandi voluntatem.

LXXV. *Ex Princ.* 8. 9. 10.

Gratia efficax medium quiddam est inter motionem physicam prædeterminantem, & congruam moralem vocationem, erigens, & mox inclinans, non compellens, & necessitans voluntatem.

LXXV. Lib. de Correpr. & Grat. c. 1. & lib. 2. cont. 2. epist. Pelag. c. 9. lib. 4. cont. Iul. c. 3. & 4. lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 20. & l. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 19. & 30.

LXXVI. *Ex Princ.* 8. *&* 9.

Adiutorium *sine quo* proprium status integri, ac recti, & necessarium ad honestè operandum: hoc non est satis in statu naturæ lapsæ, sed opus est alio potentiore, quod sit *quo* & *à quo* fiat actus.

LXXVI. In Enchir. c. 106. & l. de Eccl. dog. c. 47. l 14. de Ciuit. c. 27. l. de Correpr. & Grat. c. 11. 12. 13. & 14.

LXXVII. *Ex Princ.* 8. *&* 9.

Auxilium *quo* pro vt concomitans & cooperans est, vtrique statui necessarium: illud tamen vt est *à quo* non necessarium naturæ integræ, sed lapsæ omnino necessarium.

LXXVII. In Enchir. c. 106. l. de Eccl. dogm. c. 47. lib. 14. de Ciuit. c. 27. lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12.

LXXVIII. *Ex Princ.* 4. *&* 8. *&* 9.

Si homini lapso solùm daretur adiutorium *sine quo* & *quo* tantùm

LXXVIII. Lib. de Ecclef. dogm. c. 47. lib. de Correpr. & Grat. c. 11. & 12. serm. 156. de verb. Dom.

concomitans, non rectè operaretur, quandoquidem homo rectus cum illo peccauit.

LXXIX.
Lib. 1. Retr. c. 15. lib. de Corr. & Grat. c. 9. & lib. de Bon. Perseu. c. 9. ad Simplic. q. 2. lib. de Dono Perseu. cap. 22. perspicuè, lib. de Corrept. & Grat. c. 7. & 8. & 11. & 12. & clarè c. 13.

LXXIX. *Ex Princ.* 3. 6. 7. 8.

Hominum quidam sunt, quibus nulla omninò Gratia datur: quidam quibus sola inefficax: quidam quibus & sufficiens, & efficax temporaria, & sine dono perseuerantiæ; alij quibus datur Gratia efficax cum perseuerantia.

LXXX.
In Enchir. c. 105. lib. de Bon. Viduit. c. 16. lib. 3. de Peccat. mer. c. 8. l. 1. de Grat. Chr. c. 5. & c. 29. & c. 47. l. 2. de Nupt. & conc. c. 3. & 27. ad art. resp. ad 3. lib. de Gest. Pelag. c. 3. lib. de Grat. & lib. arb. c. 20. & 21. lib. de Cor. & Grat. c. 11. vide caput 15. lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 20. lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 18. perspicuè omninò l. 1. contr. 2. epist. Pelag. c. 2.

LXXX. *Ex Princ.* 9. *&* 10.

Libertas ab indifferentia distinguitur: quod indifferentia est punctum indiuisibile æquilibrij in neutram partem inclinantis: libertas verò recipit magis & minùs, & patitur inclinationes, & impulsus in vtramque partem, quod non patitur indifferentia illa indiuisibilis.

LXXXI.
Lib. 3. de Peccat. mer. c. 8. lib. de Nat. & Grat. c. 45. l. 1. de Grat. Chr. c. 5. & 47. lib. de spir. & lit. c. 4 in Enchir. cap. 105. & lib. de Eccl. dogm. c. 15. & 21. lib. 2. cont. 2. epist. Pelag. c. 2. lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 20. lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 17. & 18.

LXXXI. *Ex Princ.* 9. *&* 10.

Triplex est genus libertatis. Primum, indifferens, & omnino in æquilibrio potestatis, rectâ & in neutram partem pendente voluntate. Secundum; deflectens ab

æquilibrio in bonum, inclinatâ in illud voluntate. Tertium vergens ab æquilibrio in malum, pronâ in illud voluntate.

lib. de Bon. Viduit. c. 16. l. de Grat. Chr. c. 47. lib. 3. cont. 2. epist. Pelag. c. 8. lib. de Fid. & Symb. c. 10. l. 1. & de lib. arb. c. 11. & c. 20.

LXXXII. *Ex Princ. 3. & 4.*

Libertas à peccato, & à miseria propria est Beatitudinis cælestis.

LXXXII. Lib. 1. de serm. Dom. in monte lib. 13. de Ciuit. c. 24. lib. de Cor. & Grat. c. 12 l. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 7. & 8. l. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 11.

LXXXIII. *Ex Princ. 4. & 8.*

Primum genus libertatis indifferens & in æquilibrio, fuit fortassè in Adamo cùm primùm conditus est. Secundum fuit in Adamo, cùm in Paradiso collocatus est. Tertium fuit in Adamo, cùm lapsus est.

LXXXIII. In Enchir. c. 104. & 105. 106. l. de spir. & lit. c. 3. l. de expos. Epist. ad Rom. l. 2. cōt. Gaud. c. 11. Psal. 29. l. 4. conr. 2. epist. Pelag. c. 12. l. 83. quæst. c. 4. l. 14. de Ciuit. c. 11. l. de Cor. & Grat. c. 11. l. de Fid. & Symb. c. 10. l. de Eccl. dog. c. 59. l. 3. cont. 1. epist. Pelag. c. 8. serm. 156.

LXXXIV. *Ex Princ. 4. & 10.*

Primum, & secundum genus libertatis periit per peccatum. Tertium mansit post peccatum.

LXXXIV. Lib. 1. cont. 2. epist. Pelag c. 2. Epist. 107. ad Vital. Ench. c. 30. & 105. 106. l. 12. de Trin. c. 11. lib. de Fid. & Symb. c. 10. l. 1. de lib. arb. c. 11. l. de Eccl. dogm. cap. 49. lib. de Nat. & Grat. c. 49. & 55. l. 22. cont. Faust. c. 78. l. 3. cont. 2. epist. Pelag. c. 8.

LXXXV. *Ex Princ. 4. & 10.*

Homines vt iusti fiant extrahuntur virtute Gratiæ ab isto tertio statu, & reponuntur in secundo.

LXXXV. Enchir. c. 30. 32. lib. de Eccl. dogm. c. 32. l. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 20. 21. serm. 47. de temp.

LXXXVI. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

In omnibus tribus ſtatibus ſeruatur libertas: ſed in ſecundo, & tertio cum quadam pronitate & inclinatione.

LXXXVI. Ep. 46. l. de Gen. imp. c. 1. Enchir. c. 105. l. 1. de ſerm. Dom. in monte l. 1. cont. 2. epiſt. Pelag. c. 2. l. 22. cont. Fauſt. c. 78. l. de Cor. & Grat. c. 1.

LXXXVII. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

In tertio ſtatu libera eſt voluntas: ſed ſeruit peccato. Vnde quando traducitur ad ſecundum, liberatur à ſeruitute peccati, & nobiliùs libera eſt.

LXXXVII. Ep. 89. l. de Eccl. dog. c. 49. l. de ſp. & lit. c. 3. & 30. ſerm. 6. de verb. Apoſt. l. de Gen. imp. c. 1. Enchir. c. 30. lib. de Eccl. dogm. c 32. l. 1. de Grat. Chr. 41. lib. 1. Retr. c. 13. & l. 14. de Ciuit. c. 11. l. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 2. & 3. l. de Grat. & lib. arb. c. 15. l. de Cor. & Gr. c. 1. & 8. & 12.

LXXXVIII. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

In ſecundo & tertio ſtatu augetur, & minuitur liberum, nec enim eſt libertas in indiuiſibili.

LXXXVIII. Lib. 1. de Grat. Chr. c. 41. & c. 47. l. 1. cont. 2. epiſt. Pelag. c. 2. & 3. l. cont. Fortun. l. 1. cont. Iulian. l. de Grat. & lib. arb. c. 15. & 20. & 21. l. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 18.

LXXXIX. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

Homini ex conſuetudine peccanti ineſt pronitas ad peccandum; ac difficillimum ei eſt non peccare: huic, ſi iuſtificetur, & ex habitudine benè operetur, verſâ vice ineſt propenſitas ad virtutem, ac difficillimum ei eſt peccare: ideo quòd in tertio ſtatu erat, cùm peccator, & in ſecundo, cùm

LXXXIX. Lib. 1. q. 1. ad Simpl. n. 442. De ſerm. Dom. in monte l. 1. l. de Fid. & Symb. c. 10. Enchir. c. 105. de ſp. & lit. c. 31. tract. 49. in Ioan. ſerm. 6. de verb. Apoſt. l. 6. cont. Iulian. c. 18. perſpicuè. l. de Cor. & Grat. c. 8. lib. de Grat. & lib. arb. perſpicuè c. 20. & 21.

iustus, in vtroque liber, ſed in vtroque inclinatus.

LXXXX. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

Vis omnis prædeterminans reapſe voluntatem ad vnam tantùm partem ineuitabiliter, totam tollit libertatem ad illam partem: & phyſicam neceſſitatem inducit.

LXXXX. Lib cont. Felicem Manich. 2. l. de Nat. & Grat. c. 66. & 67. & ex l 3. de lib. arb. ſæpe c. 3. lib. de ſpir. & lit. c. 31. & l. 1. Retr. cap. 15. & c. 22. & lib. de duab. animab. c. 12. & cont. Fortun. d. 1. & cont. Secund. c. 12.

LXXXXI. *Ex Princ.* 4 *&* 10.

Vis phyſicè inclinans, & neceſſitas moralis, & moralis impotentia, vel ex ignorantia, vel ex infirmitate orta libertatem minimè tollit, etſi diminuat, & obtundat: cúmque illis in actu ſecundo poſitis ſtat peccatum.

LXXXXI. Serm. 12. de verb. Apoſtol. in Ench. c. 105. l. de Eccl. dogm. c. 39. l. de Nat. & Grat. c. 66. & 67. l. de Fid. & Symb. c. 10. tract. 49. in Ioan. in Ioannem tract. 53. l. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 5. 6. & 15. l. de Nat. & Grat. c. 66. perſpicuè, l. de ſpir. & lit. c. 31. l. 3. de lib. arb. l. 18.

XCII. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

Induratio non eſt ſola ſimplex permiſſio peccati, ſed ampliùs, & pœna, & ſupplicium à Deo inflictum pro peccatis.

LXXXXII. L. de Grat. & lib. arb. c. 23. & l. 83. quęſt. q. 68. & in Exod. q. 18. & tr. 55. in Ioã. & in expoſ. epiſt. ad Rom. prop. 62. & l. 1. Retr. c. 15. l. de Cor. & Grat. c. 11. & epiſt. 115. & tract. 13. in Ioan. ſerm. 88. de temp. l. 2. cont. aduerſ. leg. & Prophet. c. 8.

XCIII. *Ex Princ.* 4. 9. 10.

Induratio duplex eſt: altera per patientiam, altera per potentiam Dei.

LXXXXIII. Lib. 5. cont. Iulian. c. 3. & 4. in Exod. q. 18. & lib. de Grat. & lib. arb. c. 20. in Ioan. tract 53. Epiſt. 105. & 106. lib. 1. ad Simpl. q. 2.

XCIV. *Ex Princ.* 4. 9. 10.

Induratio per patientiam est permissiua. Induratio per potentiam positiua, & Augustino teste *inexplicabilis*.

LXXXXIV. Lib. de Grat. & lib. arb. c. 20. q. 18. in Exod. lib. de Nat. & Grat. cap. 22 perspicuè cont. Iul. l. 5. c. 3. & 4. l. 2. cont. aduers. leg. & Prophet. c. 8.

XCV. *Ex Princ.* 7.

Præter meritum hominis iustificati, quod vocant de condigno, datur aliud meritum ante iustificationem, quod appellant de congruo.

LXXXXV. Epist. 84. & 105. & 106. lib. de Præd. Sanct. c. 2. l. de Cor. & Grat. c. 1. Ad Simpl. q. 2. l. 2. cont. 2. epist. Pelag. c. 17. l. 1. Retr. c. 9. & 23. l. 2. de Peccat. mer. c. 17. l. 4. cont. Iul. c. 3.

XCVI. *Ex Princ.* 3. *&* 5.

Infantes qui decesserunt in peccato Originali cum damnatis censendi, sed in damnatione tamen omnium leuissima futuri.

LXXXXVI. Serm. 14. de verb. Apost. l. 4. cont. 2. epist. Pelag. c. 4. l. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 16. & c. 28. lib. 5. cont. Iul. c. 11.

XCVII. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

Necessitas non peccandi in patria erit: sed hæc non tollet liberum arbitrium.

LXXXXVII. Tractat. 41. in Ioan. lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 7. & 8.

XCVIII. *Ex Princ.* 4. *&* 10.

Libertas Beatorum respectu seruitutis peccati, summa erit, & perfectissima: cùm in eam redigi seruitutem non possit.

LXXXXVIII. Lib. 22. de Ciuit. c. 30. ibid. c. vlt. lib. de moribus eccles. c. 11. lib. de Corrept. & Grat. c. 11. & 12.

XCIX. *Ex Princ.* 10.

Non pertinet ad definitionem liberi arbitrij posse peccare: sed liberi arbitrij, sauciati, & seruientis peccato, cùm Deus sit liber, & non possit peccare.

XCIX.
Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. fol. 150. & 153. serm. 13. de verb. Apost. lib. de spir. & lit. c. 30. lib de Præd. Sanct. c. 15. lib. 22. de Ciuit. c. vlt. lib. de Nat. & Grat. c. 45.

C. *Ex Princ.* 1.

Christus, etsi solis, qui sibi à Patre sunt dati morte sua Prædestinatis ad Gloriam, & quibusdam ad Gratiam temporariam electis profuerit, rectè tamen ob alios respectus mortuus pro omnibus & dici potest & debet: nec id vspiam ab Augustino negatur.

C.
Lib. 6. cont. Iulian. c. 2. & 4. & lib. de Dono Perseu. cap. 12. omnino August. lib. 5. cont. Iul. Pelag. cap. 1. *Saluatorem omnium hominum* Christum dicit.

ARBITER PHILO-AVGVSTINVS.

HÆC mihi libros Augustini adeunti, & responsa petenti, folia recitata. Quæ cordi meo impressi altiùs, quàm vt ex eo *Turbata volent rapidis ludibria ventis*. Tam hærent, vt in animæ partem transierint. Hæc doctrina *amor meus & pondus meum. Ferar quocunque fertur.* Ex quo hanc mentem accepi nobiliùs viuo, ac pluris quàm spiritum, quo vita constat, omnino facio. Nec dubito, quin mihi sit Augustini doctrina perspecta, non quòd ingenio quicquam valeam, sed quòd sic ad eam afficitur animus, vt cœlesti quadam dulcedine imbutus colliquescat.

Æneid. 3.

August. in Cõfes.

THEOS.

At non defuerunt olim: nec desunt modò, qui vel aliter Augustinum accipiant, vel ita acceptum non admodum possint concoquere: cùm dura quædam sensu, & aspera dictu videantur.

A. P. A.

Non eo inficias mi Theosophe. Sed qui aliter intelligunt: ij opinor, aut non integrum Augustinum, aut non integri legunt. Quibus

durior videtur doctrina, ij humana ſapiunt, & ſuis ratiunculis Dei Sapientiam, quà maximè iudiciis valet, metiri volunt: quibus eſt à ſuperbia timendum, quòd Deo priores dare volunt vt iis retribuatur; cùm ſe quodammodo ipſos conentur diſcernere, ac de bonis operibus gloriari.

CHAR.

Planè liber hic vitæ Prædeſtinationem & Gratiam continens, non labris quibuſdam coniecturarum ſugendus: non certis argumentorum dentibus mandēdus: ſed omnino deuorandus, & vel reſpuente ſtomacho concoquendus: vt acerbitate venter amaricetur, & duritie corrodatur.

Apoc. 10.

THEOS.

Exod. 3.

Non me latet Deum hîc velut in Rubo eſſe, ſpinis implicitum, inuolutum flammis obtectum fumo, qui curioſam mentem pungat aculeis, ſtudioſam volūtatem vrat ardoribus, acrem ingenij aciem obtundat caligine: quò non liceat niſi detractis mortalium rationum & affectuum calceis accedere. Nam hîc iudicia diuina maximè dominantur. Qua de re illud diuinitus dictum à Gregorio: *Homo per hoc quod de humo ſumptus eſt, iudicia ſuperna diſcutere di-*

D. Greg. Magn. l. 9. Moral. c. 8.

gnus non est. Nequaquam sufficit sensus carnis vt secreta penetret maiestatis. Rationem de eius iudicio quærere, nihil aliud est quàm contra eius consilium superbire. Augustinus sanè hæc omnia ex sacris scripturarum & Pauli pręcipuè fontibus hausit, nihil nisi earum oraculis definit, vt Dei Interpres esse videatur.

A. P. A.

Memini me paulò antè Paradigma quoddam promittere. Fidẽ oportet meã liberare, & exemplo ostendere, qua sit ratione Augustinus & legendus & intelligendus: quámque eius sit certa constánsque doctrina: lectori recipio, quâ perspicuitate & facilitate huiusmodi hîc à me controuersia enodatur, eâdem cæteras quas in thesibus proposui, Deo dante, explicatum iri.

CAPVT QVÆSTIONIS.

EXEMPLVM igitur esto in nobili difficultate circa libertatem, & necessitatem actuum voluntatis, & rationem peccati: lubricâ inde quæstione exortâ. An, & quâ cum necessitate possit esse peccatum? Aliis negantibus vllâ cum necessitate posse consistere: aliis affirmantibus verâ, id est, simplici cum necessitate posse: cum

violentia & coactione non posse. Vnde fit vt illi omne prorsus necessitatis genus à peccati ratione remoueant: hi solam coactionem excludant: illi, quòd putent nulla cum necessitate stare libertatem posse: hi, quòd existiment cum sola violentia & coactione non posse, cum reliqua omni necessitate posse. Vtrique Augustinum ad se trahunt. Neutri, opinor, iure: quòd vel non vacui Augustinum, vel non integrum legerunt. Nam ille medium quiddam docet: nempe, neque omni necessitate tolli libertatem: neque solâ coactione auferri; atque adeo cum quadam necessitate posse, cum quadam non posse libertatem peccatúmque consistere. Id propriâ quæstione institutâ ostendero.

QVÆSTIO.

De libertate & necessitate peccandi.

ART. I.

Iaciuntur principia quæstionis.

Lib. de ver. Relig. c. 14.

PRIMVM. Auctor est Augustinus: Vt sit peccatum voluntarium ac liberum omnino esse debere. Adeo *vt nisi voluntarium sit, peccatum non sit*. Ac ne quis dubitaret, quid esset voluntarium? liberum dixit; liberũ verò id quod in nostra po-

positum est potestate. Eiusmodi autem esse qui sit *liber animi ad faciendum & non faciendum motus:* quo qui caret, eum certè non peccare: quippe *cui abstinendi ab opere potestas nulla conceditur. Peccati* verò *reum teneri aliquem quia non fecit, quod facere non potuit, summa iniquitatis esse, & insania.* Vnde sic peccatum definit: *Voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Adscribítque *neminem vituperatione suppliciόve dignum esse, qui id non faciat, quod facere non potest.* Deinde ne cui ambiguus esset sensus: aliâ ratione declarauit; cuiusmodi esset ista potestas & libertas abstinēdi, propositâ materiâ, & quasi subiecto peccati: quæ sanè id est *quod caueri potest. Quis enim*, inquit, *peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem, caueri igitur potest.* Ex his & non paucis aliis contra Manichæos locis, quos nusquam Augustinus corrigit, imò confirmat, constat: rationem libertatis omnino esse de ratione peccati.

Lib. de 2. animab. c. 12. — ib. — ib. — ib. c. 11. — ibid. — Lib. 3. de lib. arb. c. 18. — Lib. de nat. & Grat. c. 67.

Secundùm ipsemet Augustinus docet: aliqua esse ex necessitate peccata. *Sunt enim*, inquit, *necessitate facta quædam improbanda: vbi vult homo facere rectè, & non potest.* Additque: *nos interdum nescio qua necessitate teneri, ne præcepta*

Lib. 3. de lib. arb. c. 18. — ibid.

iustitia faciamus. Et alibi tradit, *pœnalem vitiositatem ex libertate fecisse necessitatem*. Ac in eum sensum explicat illud Dauidis, *De necessitatibus meis educ me*. Quin & sæpe id inculcat *pœnam esse peccati iustissimam, vt qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse, cùm velit*. Vnde & nos non modò *inuitos* sed *gementes etiam & flentes interdum peccare* ex illa primi peccati pœna aliquando affirmat. Atque eius hæc est, cùm contra Pelagianos disputat, summa sententiæ. Peccata quæ sunt pœnæ peccati, ea sanè necessitate quadam committi: nec ea citra culpam vinci, vitaríve sine auxilio Gratiæ posse.

De perf. iust. c. 4.

ib. & l. 3. de lib. arbit. c. 18. & lib. de de nat. & Grat. toto.

Lib. 8. cófession. c. 5. Serm. 45. de Temp.

Duo hæc tam sunt Augustini, vt nihil magis. Verùm qui Augustinum legendo truncarunt: partim in eam de libertate doctrinam incidentes, illud arripuerunt: liberum omnino, atque adeo potestatis nostræ fore peccare, omni prorsus necessitate exclusâ: partim in illam de necessitate sententiam incurrentes, aliud vindicarunt: esse peccata, quæ quòd vitari non possent, necessaria essent, atque adeo nos vltra libertatem peccare. Nec defuerunt qui cùm vtrosque locos legissent; nec tamen eos aut vacui, aut integri legissent, pugnare inter se

crederent: ac dum conciliare conabantur, doctrinam suo loco mouerent, & Augustini sententiam corrumperent.

Hac in re multum ego operæ posui, & intentissimè lecto, & accuratissimè expenso Augustino, sic iudico. Peccatum, in eo, quod nullo modo vitari potest, esse non posse. Esse tamen peccata, quæ, quòd ex certa quadam impotentia vitari non possunt, necessaria dicantur: sed ea tamen aliquo modo vitari posse: atque eo esse peccata, quo nostræ potestatis sunt, eo necessaria, quo non explicatæ, ac expeditæ potestatis sunt. Vtrumque vt probem: Occupo. Triplicem in Augustino vitandi peccati rationem inueniri. Primam: cùm liberum est cuique vel actum peccati vel virtutis oppositæ elicere: quam contrarietatis libertatem vocant. Alteram: cùm liberum est abstinere ab actu peccati; sustinendo voluntatem, actúmque continendo, quam contradictionis appellant. Tertiam: cùm liberum est facere vnum vel alterum peccatum: atque adeo peccando vitare peccatum. Prima & tertia ratio est apud Augustinum perspicua. Secunda implexa & inuoluta. Prima citra Gratiam esse non potest: Reliquæ duæ possunt. Primam expressit Augustinus lib. 21. de Ciuit. c.16.

& lib. 1. Retract. c. 15. & lib. de Grat. & lib. arb. cap. 2. & lib. de perfect. iust. c. 6. & ser. 8. inter Parisiens. aliàs de Natal. sancti Vincentij. In quibus tradit *tunc verè vitia superari cùm Dei amore, & bona voluntate superantur.* Hoc autem non nisi Fide, & Gratiâ fieri, ex eodem constat. Tertiam proponit lib. 11. de Trin. cap. 13. & lib. 4. cont. Iulian. c. 3. & lib. 1. de nupt. & concup. cap. 3. vbi docet, *Peccata peccatis tum vitari, tum coërceri:* idque ab infidelibus omni luce Fidei destitutis fieri solere, cùm ex infidelitate operantur. Secundam non exprimit, sed insinuat Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 47. & lib. 50. Homil. Hom. 15. & lib. cont. Secund. cap. 13. & lib. de duabus animabus cap. 12. quorum ea sententia est: *Nostræ potestatis esse consentire, vel non consentire peccato:* in quo est propria libertas contradictionis: nullo inducto actu, sed sola suspensione actus. Quem modum in ipsa peccati definitione indicauit concludens *vnde liberum est abstinere.* Abstinere autem, opinor, carere omni ad volendum motu significando inuoluit.

Igitur quod nullo ex his modis vitari potest, in eo certè peccatum esse non potest: cùm omnino ineuitabile ac necessarium sit. Quod au-

tem aliquo poteſt, in eo & peccatum ineſſe poteſt,cùm non ineuitabile ſit,atque adeo ſuum libero voluntatis motui locum relinquat. Iam quod attinet ad neceſſitatem, id conſtat: ſi vera ſit neceſſitas (erit autem ſi ineuitabile reddat opus) libertatem peccandi adimere, vndecunque tandem illa exiſtat: ſiue ex coactione, ſiue ex ignorantia, ſiue ex influxu, ſiue ex negatione debiti concurſus: adeò vt ſi ex præſcientia, quâ nil magis extrinſecum eſſe poteſt, neceſſitas illa ineuitabilis oriretur, nulla prorſus libertas foret. Tam eſt illud firmum in Auguſtino principium. Nunc ad cauſam: quî ergo neceſſitas illa peccandi manere poſſit, quam & docet ſcriptura, & aſtruit Auguſtinus? Illa quidem intra huiuſmodi libertatem eſt, & in iis, quæ aliquo modo vitari poſſunt, verſatur. Et quidem quadruplex iſtius neceſſitatis principium ab Auguſtino proponitur. Ignorantia, infirmitas, conſuetudo, induratio, quæ duo ferme eodem redeunt. Omnes fortaſſe (propter conſuetudinem dico) pœnæ peccati. Ignorantia, & infirmitas inſita, ex primo & magno Adami peccato relictæ. Induratio ex ipſo inueterato vſu peccandi adſcita: ex quo etiam cæcitas contracta exiſtit. Illæ duæ priores neceſſitates impri-

mis ab Auguſtino vocantur: ex quibus *facta quadam improbanda* id eſt peccata oriuntur. quo nomine non aut concupiſcentiam, aut eius indeliberatos motus: quos potiùs patimur, quã facimus, atque adeò facta dici vix poſſunt, ſed actus ipſos quos elicimus, & quibus peccamus, Auguſtinus deſignat.

ART. II.

De notione liberi & neceſſarij in peccando.

HOc in huiuſmodi quæſtione capitale. Quâ demum ratione huiuſmodi facta, id eſt actus, & neceſſarij, & liberi rationem habeant? Perſpicuè dicam. Duabus de cauſis neceſſitate committi apud Auguſtinum peccata dicuntur. Primùm, quia non fiunt ab arbitrio perfectè libero, ſed addicto, ſeruóque peccati: & quemadmodum ſolet Auguſtinus dicere, libertatem periiſſe per peccatum: non quòd ea perierit, ſed quòd illa prima, recta, & perfecta perierit: ita liberos negat eſſe eos áctus, qui ex ea captiua voluntate naſcuntur: non quòd careant libertate, ſed quòd non ſint ex illa perfecta liberi arbitrij poteſtate. Atque hac ratione omnia quæ admittimus in hoc miſero lapſæ naturæ

ſtatu peccata non libera appellari poſſunt. Vnde Auguſtinus ſolum Adæ peccatum voluntate liberâ commiſſum docet; ac omninò liberum putat, quòd totâ eſt libertate commiſſum, ab homine ſui omninò iuris, & in arce dominij collocato. Ita lib. 1. Retract. cap. 15. *Primi,* ait *in paradiſo fuerunt origo mali nullo cogente peccando: hoc eſt libera voluntate peccando.* Atque ita loqui ſolet de huiuſmodi peccato Adæ, perinde ac ſolum propriè peccatum, & prorſus liberum fuerit. Quod ille cũ peccatis naturæ lapſæ conferens id inter vtraque intereſſe ait, quòd illud à volente & libero, hæc ab inuitis & penè coactis admiſſa: vt illa voluntas Adæ peccantis ſpontanea, & propria; hæc extorta, & aliena videatur. Ita lib. 1. Retract. cap. 15. & 13. & lib. de ſpir. & lit. c. 31. & lib. 8. Confeſſ. c. 10. Ex quo aliud diſcrimen exiſtit. Nam illud: liberum, &, vnde liberum erat abſtinere, ortum: ac proinde propriè ex iuſta definitione peccatum: hæc expreſſa ab inuitis cogente concupiſcentiâ, vnde ægrè ſit liberum abſtinere: pronâ in malum & inclinatâ voluntate. Id cùm aliàs, tum perſpicuè lib. contra Iulianum imperfecto 1. fol. 40. exponit. *Adam quando peccauit nihil in ſe habebat mali, quo nolens vrgeretur ad peccandum. At*

Lib. 1. Retract. cap. 15.

ib. & lib. de ſpir. & lit. c. 31.

per hoc id egit quod iustitia vetat, & unde liberum fuerat abstinere. Et quidem hanc partem definitionis in Adę tantùm peccatum quadrare docet, quòd maximè liberum fuerit: non verò in peccata naturæ lapsæ, quæ cùm non totâ libertate fiant, iis non est liberum abstinere. Sic lib. 1. Retract. cap. 5. explicans suam illam celebrem definitionem peccati traditam libro de duabus animabus cap. 10. cuius particulam, *Vnde liberum est abstinere*, aptat eo sensu totius libertatis ad solum peccatum Adæ: Quæ *propterea*, inquit, *vera est quia id definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati.* Itaque illud peccatum voluntarium, hæc non voluntaria dicit lib. 1. Retract. c. 13. quia *etsi voluntate fiant*, ait lib. de spirit. & lit. c. 31. *non tamen fiunt plena & libera voluntate.* sed rursum ait lib. 1. Retract. c. 15. *vitiosa & peccato seruiente.* Quò spectat aliud ibi adscriptum: voluntatem modò nostram, qua ex gratia peccata vincimus non *tam liberam esse, quàm liberatam*. Itaque Augustinus lib. de Catech. rud. c. 18. *Qui dedit hominibus liberum arbitrium: vt non seruili necessitate sed ingenuâ voluntate Deum coleret: dedit etiam Angelis.*

Ex his, qui primus huiusce peccandi necessita-

ſitatis modus ſit, liquidò apparet. Ac conſtat non tam eam neceſſitatem eſſe, quàm aliam libertatem: cùm tantùm opponatur ſummæ illi, in ſtatu innocentiæ libertati: atque adeò minor libertas maiori opponatur: imò quæ non tam neceſſitas quàm ſeruitus ſit: cùm non arbitrij vis naturalis, ſed illa ingenua & nobilis, ab omni ſpecie ſeruitutis libera facultas auferatur.

Huiuſmodi autem neceſſitas, quòd in omnia, vno excepto primo & magno Adæ peccato, peccata quadret, minùs propria eſt illius loci: vbi traditur; *Neceſſitate facta quædam eſſe improbanda.* Quare altera ratio neceſſitatis quæ rem contineat inquirenda. Ea verò eſt ad notionem genuinam neceſſarij, vt ex aduerſo reſpondet liberi arbitrij poteſtati, accommodata. Igitur Auguſtinus ſentit: neceſſitatem quandam eſſe peccandi, ex qua peccata interdum exiſtant: quæ, cùm ex illa neceſſitate quæ vitari non poteſt, oriantur, improbanda ſint tamen, ac proinde verè peccata. Quæ doctrina conſtans eſt ſatis, ac expedita in Auguſtino. Principia huiuſce neceſſitatis quatuor illa ſunt initio propoſita: Duo tracta ex alio, & nata nobiſcum: Duo acquiſita factáque à nobis. Priora ignorantia, & infirmitas ex concupiſcentia. Poſteriora

consuetudo, & induratio, ex frequentatione peccati. Nec opus est probare, cùm passim occurrant: & ad id quod caput est properem. Tantum adduco locum ex libro 1. ad Simpl. quæst. 1. *Peccatum vnde in carne, nisi ex traduce mortalitatis, & assiduitate voluptatis? Illud est pœna Originalis peccati, hoc est pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur: hoc viuendo addimus. Quæ duo scilicet natura & consuetudo coniuncta robustissimam faciunt & inuictissimam cupiditatem: quàm vocant peccatum.* Omnia, sic ad peccandum trahere, *vt quisque eo motu ductus rectè non faciat, & rectè volens facere non possit:* perspicuè ac constanter ait Augustinus: ac ex singulis *necessitatem peccandi* oriri docet.

Hac statuta: quænam sit, & an cum illa peccatum, & qua ratione stare possit, videndum. Duas igitur necessitates nouit Augustinus: alteram naturalem: alteram pœnalem. Illâ peccatum omnino, & liberum tolli. Hac neutrum auferri tradit. Illud contra Manichæos, hoc aduersus Pelagianos docet: ad vtrorumque errorem confutandum aptè. Nam illis naturam malam ponentibus negabat, quod ex ea existeret peccatum fore, quòd voluntarium non fo-

ret. His rectam & suapte vi rectè agere valētem affirmantibus, reponebat: vitiatam esse ex culpa, debilitatam ex ruina: vnde citra medicinam gratiæ lapsus culparum non à natura quidem, sed à pœnâ inhærente naturæ, existerent. Itaque dum ex priori necessitate naturali fluere posse peccata negat, docet veram eam & genuinam necessitatem esse: quæ rationem voluntatis & arbitrij tollat, ac ineuitabile faciat malum, atque adeo peccato locum non relinquat. Dum verò ex posteriore addita inflictáque naturæ concedit peccata oriri, negat propriam illam & germanam necessitatem fore, quâ non libertas auferatur, nec ineuitabile omninò malum fiat: ac proinde peccatum ferat.

Probemus discrimen, & naturæ necessitatem confirmemus. Perspicuè Augustinus libro de nupt. & concup. c. 11. *Manichæi dicunt, humanam naturam non à Deo conditam bonam. Pelagiani dicunt naturam humanam à bono Deo conditam bonam, sed ita sanam in paruulis, vt non habeant in illa ætate Christi necessariam medicinam. Catholici dicunt humanam naturam à Deo conditam bonam, sed peccato vitiatam Christo medico indigere.* Deinde peccati. *Si non est ista pœna hominis, sed natura: nulla ista peccata*

Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.

ſunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus eſt, ita vt melius eſſe non poßit, ea quæ debet facit, cùm hæc facit. Si autem bonus homo eſſet, aliter eſſet. Nunc autem quia ita eſt, non eſt bonus, nec habet in poteſtate vt bonus ſit: ſiue non videndo qualis eſſe debeat, ſiue videndo, & non valendo eſſe, qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Iam verò quod contra Manichæos ſumit, quî probet, audiamus. Lib. de duabus animabus c. 12. ſic: *Quamobrem illæ animæ quicquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum & non faciendũ motu animi carent: ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.* Idem acutiùs & manifeſtiùs lib. 3. de libero arbitrio. *Si ita data eſt voluntas vt naturalem habeat iſtum motum, iam neceßitate ad hæc conuertitur, neque vlla culpa deprehendi poteſt, vbi natura neceßitáſque dominatur.* Rurſum cap. 16. *Si hoc debet quiſque quod accepit, & ſic homo factus eſt, vt neceſſariò peccet, hoc debet vt peccet. Cùm ergo peccat, quod debet facit. Quod ſi ſcelus eſt dicere, neminem natura ſua cogit vt peccet.* Hoc perſpicuè habet in diſputatione contra Iulianum: cui obiicienti homines natura ſua malos, non fore malos *quia*

esse quisquam nisi quod natus est non potest. Respondet. *Solemus & nos aduersus Manichaeos ista dicere : qui non vitiatam bonam dicunt esse naturam, sed sine vitio & immutabiliter malam, quam secundùm suas fabulas opinantur malam.* Subdit rationem lib. 3. de lib. arb. *Motus, quo huc atque illuc voluntas conuertitur nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quendam quasi cardinem voluntatis suae.* Quae eo item confirmatur. *Nullius vituperatur vitium, nisi* cap. 16. *cuius natura laudatur: aut enim secundùm naturam est, quod vituperas, & non est vitium. Aut si vitium est, vt rectè vituperari possit, etiam contra naturam sit necesse est.* Ex quo concluditur. *Quòd si neque suâ, neque alienâ natu-* ibid. *râ quis peccare cogitur, restat vt propriâ voluntate peccetur. Quòd si tribuere volueris conditori peccantem purgabis, qui nihil praeter sui Conditoris instituta commisit.*

Itaque patet ex innata, quae naturalis sit, necessitate, cuiusmodi Manichaeorum erat, peccatum existere non posse; cùm quod suapte naturâ fit, rectè ad institutam naturam fiat, & quòd ea ita sit comparata, necesse sit fieri: vnde

ex neutro manat fonte peccatum. In rem tandem Augustinus, *Si non est ista pœna hominis, sed natura: nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est ita vt melius esse non possit, ea quæ debet facit, cùm hæc facit.* Hac parte discriminis explorata contra Manichæos: Alteram contra Pelagianos inuestigemus. Horum hæresis erat extremè Manichæorum errori opposita. Naturam etiam post ruinam rectam, & sanam, ac extra vitium esse: atque adeo in eo statu, quo erat Adamus ante peccatum. Hinc illud cōsequens, nexúmque: nempe æquam esse libertatem in vtramquè partem, & ad bene rectéque agendum, & ad malè prauéque operandum: quare in nostra potestate naturæ, & virtutem, & vitium fore: itaque & nos arbitrio nostro prorsus libero peccare, & citra gratiam mereri. Vnde in summa libertate & integritate naturæ nullam omnino esse necessitatem peccandi contendebant: Gratiæque sanantis remedia, ac Excitantis præsidia tollebant, & inserto naturæ merito Adiuuantem conuellebant, & omnem Gratiam ludificabant, quòd initium meriti in naturâ constituebant. Notiora sunt hæc, quàm vt probari debeant. Augustinus contrà statuit: Natu-

Lib.3. de lib.arb.c. 18.

ram post lapsum vitiatam rectum illum statum amisisse, ac ex illo vulnere morbidam quandam affectionem contraxisse: ex qua oriatur peccatum. Cuius radicem inuestigans negat Manichæis, esse naturam; docet Pelagianos, esse vitium inolitum naturæ: quod vocat *peccatum & pœnam peccati*. Quod ex magno illo Adami peccato fluxit, in supplicium peccati.

Opponentibus verò Pelagianis ipsum sibi Augustinum aduersus Manichæos docentem Peccatum esse ibi, *vnde liberum esset abstinere*. ita respondet, vt doceat aliter se, cùm id dixit, *liberum* intellexisse: (quod proximè monuimus) nimirum duobus modis: altero de peccato Adæ, quod omnino tota libertate liberum fuit: altero de omni peccato, quod à mala natura esse non poterat, quod liberum esse non posset: atque adeo sensu eo liberum fore omne peccatum dixisse, vt probaret naturam malam esse non posse, quod si foret, peccatum ab ea non fore, quòd naturale non liberum foret; quemadmodum paulò antè ostendimus. Rursum Pelagianis obiicientibus necessitatem peccati, quasi cum Manichæis Augustinus sentiret: sic occurrit; longè aliter, se, ac illos sentire: illos enim asserere radicem peccati esse naturam; se

Iuliano Pelagiano l. 1. ad Bonif. c. 2. & l. 1. oper. imperf. fol. 124. & 164.

verò non naturam,ſed vitium naturę affirmare: illos malam naturam ponere, ſe vitiatam cõſtituere:illos naturam ad peccatum inſtitutam exhibere,ſe naturam bonam,ſed vitio corruptam ad peccata pronam repræſentare: illos neceſſitatem ex ſe ingenitam & naturalem peccandi inuehere: ſe inolitam aliunde naturæ, pœnalé mque inducere: illos totam omnino libertatem euertere,ſe imminuere, & obtundere:illos omnem ad bene operandum à natura poteſtatem tollere: ſe eam tantùm, quæ naturâ eſſet expedita, auferre: illos cum bono vſu naturæ voluntatem quoque ipſam extirpare: ſe bonum vſum citra gratiam naturæ negare: voluntatem concedere. Apud illos libertate extinctâ nullum vel peccato, vel merito locum fore: apud ſe retentâ libertate, ſed captiuâ, & locũ fore peccandi voluntati ſeruienti, & non peccãdi voluntati à Gratia liberatę. Quare peccatum à natura vitiata & captiua eſſe poſſe, virtutem niſi à ſanata & liberata eſſe non poſſe. Itaque docebat Auguſtinus radicem peccati in natura lapſa, non naturam, ſed vitium eſſe. Quod cùm eſſet in ſingulos cum natura generatione transfuſum, neceſſarium partim, partim liberum eſſe debebat: nam à natura, neceſſita-

ſitatem, à peccato libertatem trahebat: vitium quippe à liberè peccante parente ad nepotes tranſmiſſum aliquid neceſſitatis à parente, aliquid libertatis à peccante acceperat: vt in eo vitio & vis neceſſaria parentis, & libera peccantis ineſſet. Hoc cùm Auguſtinus acutiſſimè vidiſſet, illud aptiſſimè dixit: Ex illo vitio naturæ inolito, quod pœna peccati eſſet, fluere in nos neceſſitatem peccandi; peccandi quidem, atque adeo retentâ, quæ ſatis foret ad peccandum, libertate: ſed minore tamen in nobis quàm in parente fuerat, libertate: cùm in eo fuiſſet liberum arbitrium ſanũ & rectum cum integra poteſtate ad vtrumque iuxtà & bonum & malum expeditâ: in nobis ſit liberum arbitrium ſauciatum & deprauatum pronâ in peccatum & inclinatâ voluntate: cui addicta ſeruitio, etſi ad peccandum retineat libertatem, non tamen habet vſum illum omnino explicatum & liberum in peccando: & caret illâ ad rectè operandum proximâ, integrâ, & & expeditâ poteſtate: quâ demum vt vtatur, oportet à Gratia liberetur. Itaque cùm peccat, libera, ſed captiua tamen peccat: cùm agit rectè, non rectè agit niſi liberata.

ART. III.

Cuiusmodi sit necessitas & libertas peccandi?

MONSTREMVS singula: Primum necessitatem peccandi ex primo peccato. De qua sic Augustinus: primùm lib. 1. Retr. c. 1. *Natura nostra dura necessitas merito praecedentis iniquitatis exorta est.* Deinde: *Poenalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem.* & rursum: *Postquam libera Adam potestate peccauit, nos in necessitatem praecipitati sumus, qui ab eius stirpe descendimus.* iterum: *Peccatis de ignorantia & affectionum necessitate venientibus, quae iam non solùm peccata sunt, verùm etiam poenae sunt peccatorum, plenum est genus humanum.* Tandem: *Sunt necessitate facta quaedam improbanda: vbi vult homo rectè facere, & non potest.* & ibidem: *Illa est peccati poena iustissima vt amittat vnusquisque quo benè vti noluit, cùm sine vlla posset difficultate, si vellet.* & mox. *Sunt reuerâ omni peccanti animae duo ista poenalia, ignorantia & difficultas.* Hæc duo statuit peccatorum in natura lapsa Augustinus principia: quemadmodum & hîc & lib. 2. de peccat. mer. & remis. cap. 17. & alibi præclarè docet. Hac

Lib. de perf. iust. c. 4.
Disput. 2. cont. Secund.
Lib. 1. oper. imperf. cōt. Iul. fol. 157.
Lib. 3. de lib. arb. c. 18.

ſententiâ refellit Auguſtinus errorem Pelagianorum, integram rectámque naturam, ac vti ante lapſum Adæ fuit, ponentium: & peccatum Originale, ac ex eo inflicta naturæ ſupplicia negantium.

Secundum: huiuſmodi neceſſitatem non omninò libertatem auferre, atque adeo in voluntate ſerua & addicta peccato manere, quod ſatis eſſet liberi ad peccandum citra gratiam: & ad vincendum perfectè peccatum ex gratia, antequam teſtimoniis probem ex ſuperiori ratiocinatione demonſtro. Nam Auguſtinus eo diſtinxit radicem peccandi naturalem, quam aſtruebant Manichæi, ab iſta pœnali, quam fatentur Catholici, quòd illa ab ipſamet natura flueret, iſta ex addito naturæ vitio, ac eo vitio quod libero maximè peccato commiſſum, reſultaret. Vnde illa veram, ac genuinam, quæque ſimpliciter eſſet: hæc impropriam & fluxam, quæque non eſſet neceſſitas ſimpliciter, neceſſitatem afferebat: vti proximè diximus. Nunc id locis at non mutis confirmemus. Quidam ad libertatem iuſtam, & in vtramque partem intentam, quam contrarietatis dicunt, pertinent: quidam ad præciſam & imminutam, & vni tantùm parti addictam,

ſpectant. Illis priùs vtendum. Igitur Auguſtinus nuſquam negauit in hoc ſtatu ruinæ eſſe ad rectè operandum poteſtatem: ſed tantùm negauit ſine gratia fore expeditam: affirmãs cum gratia fore explicatam. Quo non amiſſam, ſed ligatam docuit eſſe ad bonum libertatis vſum voluntatis poteſtatem. Idque quantum ſatis erat ad cauendam hæreſim Pelagianorum contendentium æquas eſſe & integras liberi arbitrij vires ad bonum & malum: quo duo illa Fidei fundamenta conuellebant: Peccatũ originale, & Gratiæ neceſſitatem. Nunc teſtimoniis ſuus eſt vſus. lib. 1. de Corr. & Grat. c. 12. *liberum*, inquit, *arbitrium & ad malũ, & ad bonum confitendum eſt nos habere*. Ecce libertas in vtramque partem, id eſt, Contrarietatis. Iterum Epiſt. 2. ad Valentinum, *Catholica Fides neque liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in vitam bonam*. En eadem perſpicuè iuſta, vtrôque intenta libertas proponitur. Ac ne putes de radice tantùm, & in quodam quaſi receſſu poſitâ loqui libertate: patet ex c. 2. lib. de Grat. & lib. arb. & c. 8. lib. 4. cont. Iulian. & epiſt. 94. & c. 34. lib. de ſpir. & lit. & lib. 50. Homil. hom. 12. & lib. 83. quæſt. quæſt. 24. ac perſpicuè lib. 1. Retract. c. 2. & 9. & 26. vbi ait,

In potestate hominis esse mutare in melius voluntatem. eum de potestate ad bene operandum in actus explicata locutum. Sed illud euidens argumentum est, quòd Augustinus eodem omnino sensu, quo Pelagiani liberi arbitrij notionem accipiebant, recipit : & hoc se cum iis consentire : eo tantùm dissentire, quòd illi adiutorium Gratiæ repellebant, apertè testatur. Ita cùm alias, tum lib. 2. de Nupt. & Concup. c. 3. Iuliano secum quasi inductâ Gratiâ liberum arbitriũ euerteret, expostulanti respõdet. *Non est ita vt loqueris, non liberum negamus arbitrium.* Et mox : *liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem vtrique dicimus. Non hinc estis Celestiani, & Pelagiani.* Additque eo esse, quod *liberum esse quenquam ad agendum bonum sine adiutorio Dei* dicebant. Atque de illa ratione liberi arbitrij sibi cum Pelagio cõuenire fatetur lib. 1. de Grat. Chr. c. 31. & 33. & ab eo circa naturam tantùm Gratiæ discrepare. Vnde cùm dixisset Pelagius: *liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus diuino semper adiuuatur auxilio.* rogat Augustinus: *Quo auxilio?* Deinde cùm affirmaret Pelagius, *liberum arbitrium in Christianis iuuari à Gratia :* Augustinus in-

Cap. 1.

quirit: *Quâ gratia?* Vno verbo controuersia tota stabat, quòd Pelagiani dicerent *liberam* ad rectè agendum in statu ruinæ voluntatem: Augustinus *liberatam*. Neque verò hic illis repugnaret: nisi ea voce Gratiam excluderent. Tanti vnum vocabulum erat, vt in eo Fortunæ, non iam Græciæ, sed Gratiæ positæ viderentur. Hinc Augustinus ad Bonifacium lib. 2. cap. 9. *Arbitrium in malo liberum dicimus, ad agendum verò bonum Dei gratiâ liberandum.* & lib. 1. c. 3. *Hæc voluntas quæ libera est, in malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* & præclarè lib. 1. Retract. c. 26. *Arbitrium vt ad rectè faciendum liberum sit, Dei gratiâ liberatur.*

Hanc ipsam Humani arbitrij apud Augustinum libertatem alio nobili argumento confirmem. Qui Augustino euersæ libertatis calumniam imponebant, eo nitebantur, quòd ille tantam ad mouendum gratiæ vim inesse dicebat: vt cogi ab ea voluntas videretur. Igitur liberum ab illo arbitrium ponebatur; cui à Gratia vis fieri videbatur. Hoc à Iuliano sibi obiectum Augustinus lib. contra eundem 4. tradit. Hoc ex Adrumetinis quosdam monachis existimasse, idem docet lib. de Grat. & lib.

Cap. 8.

arbitrio. Et quidem hac ratione fatetur difficillimam intellectu reddi Arbitrij Gratiæque concordiam, quòd cum tanta Gratiæ & necessitate & virtute libertas vix posset consistere. Ita lib. de Prædestin. Sanctor. c. 14. & lib. de Grat. Christi c. 47. & epist. 2. ad Valentin. & lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 18. Vnde summa vis argumento, quòd nunquam Augustinus neget, libertatem voluntati ex Gratia operanti: imò semper affirmet, donari, & stabiliri à Gratiâ libertatem: vt quo illi putabant euerti, eo constitui demonstraret, locos adducamus: lib. de Cor. & Grat. c. 1. *liberum itaque arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ, seruúsque peccati, in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Epist. 107. ad Vitalem. *Responde quomodo ad declinandum à malo & faciendum bonum liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum? Vnde nos si quemadmodum dicit Apostolus, Deus eruit, ipse vtique illud liberum fecit.* & lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. *Per Gratiam fit vt sit homo liberæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ.* Ita sæpe epist.

Cap. 1.

Lib. de Grat. & lib. arbit. c. 15.

Lib. de Cor. & Grat. c. 12.

Ep. 107. ad Vitalem.

105. ad Sixt. lib. de nat. & Grat. c. 53. lib. 1. Retract. c.1.9. 11. 12. 23. lib. 1. ad Bonif. c. 10. lib. de gest. Pelag. c. 6. lib. 1. ad Simpl. q. 1. ac omnino appositè lib. de Cor. & Grat. cap. 11. & 12. vbi sic: *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ Gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur.* Ac, ne quis obiiceret euerti libertatem, occuparat initio c. 2. *Aguntur vt agant, non vt ipsi nihil agant*, & lib. de Grat. & lib. arb. c. 16. *Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum: de quo dictum est; Deus est, qui operatur in vobis velle.* Rationem eam proponit, qua roboret & iuuet, statuat & confirmet, non necessitet, cogátve voluntatem. *Certum*, inquit, *est nos facere, cùm facimus, sed ille facit vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* vnde nusquam in Augustino inuenitur, cùm hac de re loquitur verbum quo aut necessitas, aut violentia significetur. Vnde suprà dixerat, *indeclinabiliter, insuperabiliter*, nec ibi tamen, nec alibi dixerat, *necessariò aut violenter.* Imò positâ iam in voluntate Gratiâ mouente: non aufertur illa potestas in vtramque partem, cùm non prædetermine-

minetur à Gratia voluntas, ſed ſanetur, roboretur, ſtatuatur, inclinetur vt conſentiat: ſed non neceſſitetur, aut cogatur ad conſenſum. Vnde liberè conſentit, atque adeo in eius eſt poteſtate, ſi velit, diſſentire. Hoc perſpicuè docet lib. de ſpiritu & litera cap. 34. *Agit Deus vt velimus, & credamus ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes*, &c. *ſiue intrinſecus vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem: ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Quod rurſus ingerit: tum: *Quæ res,* inquit, *non ſolùm non infirmat quod dictum eſt. Quid enim habes quod non accepiſti? verùm etiam confirmat: Accipere enim & habere anima non poteſt dona de quibus hæc audit niſi conſentiendo.* Nihilominus clarè lib. 50. Homil. hom. 12. *Cùm per Dei adiutorium in poteſtate tua ſit, vtrum conſentias Diabolo, quare non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deliberas? Si enim ſolus Diabolus daret conſilium, & Deus taceret, haberes quo excuſari poſſes.* Tum. *Rogo ergo vos, fratres chariſsimi, quare Satanas ſeducit ad peccandum cùm Deus poſuerit homini in voluntate non conſentire ſatanæ?* Deinde: *Dat diabolus conſilium, ſed Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere vel repudiare, quod ſuggerit.* Neſcio an ſit

hic tertius vtroque loco illustrior? Hic, inquam, tertius ex lib. 12. de Ciuit. cap. 6. depromptus. Igitur propositis duobus hominibus æqualiter affectis circa pulchritudinem vnius corporis, quâ visa vnus ad illicitè perfruendum moueatur, alter in voluntate pudica stabilis perseueret, causam discriminis inquirens, ait. *Quid aliud apparet nisi vnum voluisse, alium noluisse à castitate deficere? Vnde? nisi propria voluntate? vbi eadem fuerat in vtroque corporis & animæ affectio? Amborum oculis visa est eadem pulchritudo, amborum pariter institit occulta tentatio.* Quibus ex locis apparet Gratiam non extinguere libertatem: etiam si efficax sit. Nec tamen inde quicquam contra Gratiæ efficaciam concluditur: nam Augustinus non inquirit causam cur hæc voluntas consentiat, illa dissentiat, sed in prioribus tantùm ait: *Consentire & dissentire liberè*, atque adeo non necessariò *consentire aut dissentire*: in posteriori non discernit voluntates, sed homines: & communi more loquitur: quemadmodum cùm alibi interrogatus, *Cur homo non esset sine peccato?* Dixit, *Possum facillimè ac veraciter respondere, quia homines nolunt:* quæ est ratio quædam communis: At occultior erat alia quam statim adducit. *Sed si ex me quæritur*

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17.

quare nolint , imus in longum. Itaque certum eſt quod aſſumit, ideo hunc cecidiſſe, illum ſtetiſſe, quia *alter voluit, alter noluit*, diſcernendo homines voluntatibus : non tamen exhauſta quæſtio eſt, cùm adhuc inquiri poſſet: *Cur hic voluit, ille noluit?* cui ſanè, non aliter reſponderet, quàm vti lib. de Prædeſtin. Sanctorum c. 5. vbi cùm ſtatuiſſet *Credere, vel non credere eſſe in arbitrio voluntatis humanæ.* adiecit: *Sed in electis præparatur voluntas à Domino.* & infrà. *Illi quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt,* ecce ratio apparens, & obuia, ſed etiam occultam, & intimam addit. *Miſericordia igitur & iudicium in illis voluntatibus facta ſunt.* Prima ratio diſcreuerat homines, iſta diſcernit voluntates. *Cùm aliis,* inquit, *præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.* Sic in eo euentu libro de Ciuitate Dei rationem diſcriminis in voluntatibus conſtituit, quod ſatis erat ad propoſitum, nec vlterius ire inueſtigando voluit cauſam cur illa voluntas tentationi ceſſerit, illa non ceſſerit: quod ſi egiſſet, non ſolius libertatis ſed & impulſus, & auxilij gratiæ rationem habuiſſet. Non id agebat Auguſtinus, vt aut

vim, & beneficia Gratiæ, aut modum operandi cum ea voluntatis explicaret: itaque non eſt mirandum, quòd ſoli libertati diſcrimen tribuiſſet, cùm ne verbum quidem de Gratia feciſſet: ſine qua tamen voluntas tentationem vincere minimè potuiſſet.

ART. IV.

De libertate ad peccandum in ſtatu ruinæ.

TERTIVM probandum eſt in ſtatu naturæ lapſæ remanſiſſe libertatem idoneam ad peccandum: atque adeo liberum fore peccatum. Et quidem videtur id Auguſtinus negaſſe diſputans cum Pelagianis: nam definitionem peccati celebrem quâ vſus contra Manichæos fuerat: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere:* ei obiicientibus (perinde ex ea ſequeretur peccatum ſine gratia, ſolâ voluntate vitari, vincíque poſſe) ita reſpondet vt dicat ſe ſolum Adami peccatum definiſſe, atque adeo *liberum* ita explicat: vt ſit totâ voluntate, integrâ poteſtate liberum, nulli ſeruituti obnoxium, nullius aut ignorantiæ tenebris inuolutum, aut concupiſcentiæ viſco implicatum,

aut vi terroris expressum. Qua ratione in nostra peccata cadere non posset, proindéque non fore illa definitione comprehensa. Perspicuè Augustinus lib. cont. Iulian. 1. operis imperf. *Hic*, inquit, *peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati: De hoc quippe agendum fuit quando mali origo quærebatur: quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum. Sed tu non potes intelligere, aut non vis*, & lib. 1. Retract. c. 15. eadem definitione propositâ subdit: *Propterea vera est quia id definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati.* Rursum alio loco: *Potest videri falsa hæc definitio, sed si diligenter discutiatur inuenitur esse verissima: Peccatum illud quippe cogitandum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati.* Ex quo deduci videtur differentia inter illud primi Parentis & nepotum peccata, quod illud liberum fuit, nostra non libera, sed necessaria. Idque confirmari ex iis quæ scribit Augustinus: *Ipse est Adam, quem nostrâ illâ definitione quæ tibi placuit intuebar cùm dicerem: Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat & vnde liberum est abstinere. Adam quippe omnino quando*

ib. c. 13.

peccauit, nihil in se habebat mali quo nolens vrgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret: Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Ac per hoc id egit quod iustitia vetat, & vnde illi liberum fuerat abstinere. Ecce liberum Adæ peccatum. De nostris quid iudicet audiamus. *Nunc ei qui dicit quod nolo malum, hoc ago: abstinere inde liberum non est.* Non idcircò tamen tollitur ab Augustino libertas quæ necessitati opponitur, imò ne illa quidem quæ seruituti, prorsus aufertur. Satis vtriusque ad peccandum relinquitur : nec Augustinus omninò negat illam definitionem peccatis naturæ lapsæ conuenire : sed eo tantùm sensu, quem Pelagiani extorquebant.

Ac primùm liberum illud Augustinus intelligit, quod est in æquilibrio, & quodam quasi puncto indifferentiæ æquâ in vtranque partem potestate : ab omni specie non modò necessitatis, sed & seruitutis liberatum. Vnde illud arbitrium quod est vel aliquo modo inuitum, vel captiuum, liberum ab eo non dicitur. Ita lib. Retract. cap. 15. *Quod* id est *liberum propterea dictum est, vt hac definitione volens à nolente discerneretur: & sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi*

origo mali, nullo cogente peccando, hoc est liberâ voluntate peccando. Et lib. 1. contra Iulian. imperfecto. *Adam omnino peccauit quando nihil in se habebat mali quo nolens vrgeretur ad faciendum malum. Ac per hoc id egit, vnde liberum fuerat abstinere.* Et lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Cùm de liberâ voluntate loquimur de illa scilicet, in qua homo factus est loquimur.* Quare voluntatem Adami in eo statu *plenam & liberam*, alteram in nostro *extortam vocat.* lib. de spir. & lit. cap. 31. Adamum verò ait: *Sanum & inculpabilem factum & arbitrio libero atque ad iustè viuendum potestate liberâ constitutum*, lib. de nat. & grat. cap. 43. Hoc sensu dixit Augustinus lib. 1. ad Bonif. *libertas periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit.* Ac lib. de Cor. & Grat. cap. 12. *Nunc illa magna peccati merito est amissa libertas.* Ac epist. ad Vitalem, *liberum arbitriũ ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*, & in Enchir. *libero arbitrio malè vtens homo & se perdidit & ipsum*, & mox. *Victore peccato amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* Et epist. 89. *Quomodo libera est voluntas, cui dominatur iniquitas?* Et lib. de perfect. iust. *Victa vitio in quod cecidit voluntate,*

caruit libertate natura. Huiusmodi accepto & retento sensu, patet quid sibi voluit Augustinus cùm negat illam definitionem peccati alij quàm primi Parentis peccato conuenire.

Videamus nunc vtrum supersit alia in voluntate nostra libertas quæ satis sit ad peccandum? Nam si reliqua est illa, non necessariò, sed liberè adhuc peccamus. Et verò superesse constat, sed quam sæpiùs *voluntatem* Augustinus maluit, quàm *libertatem* dicere, ne ansam errandi Pelagianis daret: ac vt potestatem in actum indicaret, seruitutem status non excluderet. Itaque 1. Retract. cap. 15. cùm de peccato Adæ egisset: *Quanquam & hoc peccatum, quo consentitur peccati concupiscentiæ non nisi voluntate committitur.* At ne quis de libera voluntate dubitet, dixerat proximè, *Peccatum, quod nusquam est nisi in voluntate illud præcipuè intelligendum, quod iusta damnatio consecuta est. Hoc enim per vnum hominem intrauit in mundum.* Consentit lib. 1. oper. imperf. *Cùm igitur in hominibus esse fateamur peccata, quæ non necessitate committuntur, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt: vnde ab eis liberum est abstinere:* vbi vtrumque coniunxit, ac quid intelligeret nomine voluntatis expressit, nimirum liberam

cum

cum poteſtate voluntatem: & ſerm. de verbis Apoſt. 13. præclarè: *Agis quidem illo*, id eſt Spiritu ſancto, *non adiuuante liberâ voluntate, ſed malâ. Ad hoc idonea eſt voluntas tua, quæ vocatur libera, & male agendo fit ancilla.* Hîc quid ſentiret de ratione libertatis & ſeruitutis aptè & manifeſtè expoſuit. Ac vt propiùs cum difficultate luctemur: Auguſtinus in ſtatu lapſæ naturæ non negat libertate peccari, ſed tantùm negat totâ & plenâ libertate peccari: nimirum pronâ & inclinante in peccatum voluntate. Ita lib. de ſpir. & lit. c. 31. *Neque enim dici ſolet quiſpiam voluntate feciſſe, ſi quid fecit inuitus.* Ecce opponit voluntario *inuitum: non liberum* imò *coactum* & neceſſarium ſolet appellare. Tum. *Quanquam ſi ſubtiliùs aduertamus, etiam quod quiſque inuitus facere cogitur, ſi facit voluntate facit: ſed quia mallet aliud, ideo inuitus hoc eſt nolens facere dicitur.* Hîc iam explicat quid *inuiti & coacti* nomine intelligat. Deinde, *Malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens à ſe euitare vel à ſe remouere, facit quod cogitur.* Videſis oppoſitæ ſibi, ſecúmque ex aduerſo pugnantis intra ſe liberæ voluntatis imaginem. Tandem, *Ac per hoc ſi facit non quidem plenâ & liberâ*

voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate. En quâ se ratione ex illa quasi lucta explicauit arbitrium? vt aliquid sit in ea colluctatione extritum, aliquid retentum, quod satis esset ad libertatem. Nimirum defuit illud quo inuitus, coactus, & nolens: mansit illud quo voluntarius & liber fecit. Quo inuitus hæsit in voluntate, quo liber transiit in actum: magnâ quidem difficultate: nullâ certè verâ necessitate. Quid? suæ ipsemet mentis faber se Augustinus excuderet. Ergo lib. 1. Retract. c.15. Vbi factâ comparatione peccatorum in statu ruinæ cum Adami peccato: *Quamuis & illa*, inquit, *quæ non immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrantur non omninò possunt sine voluntate committi.* *Coactos*, *inuitos* intelligit. Addit, *Quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit quòd cùm faciendum non sit putat esse faciendum, etiam si non quia voluit peccauit*, id est non toto voluntatis nisu voluit: sed aliquo tamen voluit, quod satis fuit ad peccatum. Pergit: *Et ille, qui concupiscente aduersus spiritum carne non ea quæ vult, facit, si vincitur, concupiscentiæ consentit volens: & in eo non facit, nisi quod vult. Liber scilicet iustitiæ,*

Cap.13.
Cap.15.
Cap.13.

seruúsque peccati. Hoc nebulam dubitationis omnem detersit: etiam qui stimulis actus concupiscentiæ, (quem *inuitum, coactum, nolentem* dicere solet) ruit in peccatum, consentit volens, sed amissâ vnâ libertate id est iustitiæ, retentâ seruitute peccati: Quæ ingenuum quiddam tollit: Liberum non aufert: seruitutem, non necessitatem inducit. Sui similis *est* lib. 1. oper. imperf. contra Iulian. c. 40. & lib. 8. Confession. c. 5. & 10. & lib. de duabus animab. c. 10. & lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 28. & lib. 3. de lib. arb. c. 18. & lib. de perf. iust. c. 2. & 3. & 4. & 6. Quem delectet rei istius pulcherrimam speciem intueri, illustres reperiet certantis cum voluntate concupiscentiæ imagines lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 24. & Psalm. 143. & lib. 6. con. Iulian. cap. 15. in quibus videbit sic vtramque inter se commissam, vt cùm voluntas concupiscentiæ cedat, non ab ea vi deiici, sed sponte ei succumbere videatur.

Quid? quòd ipsa ex definitione peccati, & summâ libertate Adami sumpta argumenta, ea nóstram quoque libertatem ad peccandum confirmant. Nam peccatum Adami, quod *liberum* antonomasticè dixerat: *liberius* alibi

vocat: quo & libera nostra esse, etsi non tam ac illud *libera* demonstret. Sic lib. 8. Confes- sion. cap. 10. *Iam non ego operabar illam*, id est concupiscentiam, *sed quod habitabat in me peccatum, de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.* Dum *liberius* vocat Adæ peccatum peccata filiorum eius libera esse non negat: minus libera fatetur. Idem aliâ ratione admittit lib. 1. Retract. c. 15. inquiens: *Peccatum, quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod iusta damnatio eo. secuta est. Hoc enim per vnum hominem intrauit in mundum.* Dum *præcipuè* dixit, locum aliis peccatis, opinor, reliquit: perinde ac minùs eo libera sint. Sed nil ad idem probandum fortiùs & euidentiùs, quàm illa ipsa definitio peccati antea proposita: & ab Augustino semel de peccato Adæ explicata: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Cùm enim eâ definiri à se primum Adæ peccatum Augustinus semel, vti proximè diximus, declarasset: non negauit eam aliis item peccatis lapsæ naturæ conuenire, quæ quidem propriè peccata sunt, id est quæ simili illi Adæ parentis libertate fiunt: ac proinde pœnæ peccatorũ non

ſunt: cuiuſmodi ſunt ea, quæ ab homine iuſto peccata committuntur. Nam cùm hic ope iuſtitiæ ac gratiæ in ſtatu libero reponatur, quæ admittit peccata ea ſimili Adæ libertate admittit: atque adeo ſimpliciter libera dici poſſunt. Perſpicuè Auguſtinus lib. cōtra Iulianum imperf. operis 1. proximam definitionem nouâ & excogitatâ ratione oppugnantem. *Scias*, inquit, *aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud vtrumque. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem vbi voluntas eſt agendi quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere. Peccatum namque iſto modo definitum eſt, non pœna peccati, non vtrumque. Habent autem tria iſta genera ſpecies ſuas de quibus nunc longum eſt diſputare. Horum ſanè trium generum ſi requirantur exempla primi generis in Adam ſine vllo modo quæſtionis occurrit: multa quippe ſunt quæ agunt homines mala à quibus eis liberum eſt abſtinere: ſed nulli tam liberum, quàm illi, qui Deo ſuo à quo erat conditus rectus nullo prorſus vitio deprauatus adſtabat.* Et rurſum: *Cùm igitur fateamur & illa in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate quæ tantummodo peccata ſunt, vnde ab illis liberum eſt abſtinere.* Hinc apparet non

modò non negari ab Auguſtino veram & oppoſitam neceſſitati libertatem, ſed concedi aliam quæ opponitur ſeruituti: quare apud nos in ſtatu naturæ lapſæ eſſe quæ ſatis ſit ad peccandum libertatem. Ex hoc & illud quoque in vſum noſtrum colligimus: liberũ & voluntarium Auguſtino authore recipere magis & minus: ſummámque eſſe quæ ſit in æquilibrio æquæ in vtramque partem poteſtatis libertatem, quam propriè indifferentiam appellemus. Deinde ex eo velut faſtigio per quoſdam quaſi gradus deſcendere: ſuáque & incrementa & detrimenta recipere, intra libertatis, citra neceſſitatis rationem. Quæ ſanè doctrina ad impulſus Gratiæ, & motus concupiſcentiæ quibus ad benè ac malè operandum excitamur, & tenendos, & cum libertate conciliandos magno eſt vſui futura: quemadmodum nos in theſibus noſtris ſignificauimus.

ART. V.

De duplici neceßitate peccandi.

NVNC ad neceſſitatem, quæſtionis curſum conuertamus. A libertate ceu à contrariis argumenta ſumamus. Illud primum:

duo esse genera necessitatis: Alterũ, captiuum, & seruiens; oppositum ingenuo: alterum, determinatum & addictum vni, destitutum liberâ potestate in actus; libero & indeterminato contrarium. Deinde illam necessitatem captiuitatis non tollere libertatem potestatis & dominij in actus: & cum illa stare posse peccatum. Illam verò determinantem, & addicentem vni tantùm actui voluntatem, omnino repugnare libertati, cúmque ea peccatum non posse componi: Itaque primam esse moralem impotentiam: secundam contrà physicam esse impotentiam: primam vitari posse; secundam non posse: primam non esse veram sed impropriam, secundam genuinam esse & propriam necessitatem. Ac ita esse authore Augustino concludimus. Et hæc quidem penè omnia sunt proximè demonstrata. Duo supersunt demonstranda. Alterum, quæ sit illa physica necessitas, quâ cum peccata stare non possint? Alterum, cuiusmodi sit alia moralis impotẽtia, & quâ ratione ex illa necessitas peccandi existat, ac cum ea demum peccata consistant? His enim duobus expeditis quæstio tota profligatur.

Quod attinet ad primum. Si eiusmodi

necessitas sit, vt eâ positâ peccatum nullo modo vitari cauerívе possit: vndecumque tandem veniat, ea simpliciter necessitas est, & tollit rationem peccati. Quare non tam causa huiusce necessitatis, quàm effectus inspiciendus, siue enim ab intrinseco veniat, siue ab extrinseco, siue ex indeliberatione, siue ex violentia, siue ex simplici necessitate, siue ex coactione, siue ex impulsu, siue ex motu, siue ex parte causæ, siue ex parte medij, siue ex parte obiecti existat, modò actus caueri nullo modo possit libertas ad illum esse non potest. Hoc probant omnia initio cumulata pro voluntatis potestate liberâ testimonia. Sed illa iusta est ac inuicta probatio, quæ ex loco illo lib. 3. de lib. arb. cap. 18. & lib. de nat. & Grat. cap. 67, deducitur. Qui Achilles est. *Quæcunque ista causa est voluntatis si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est vt caueri omninò non possit? si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo potest? Peccatur autem, caueri igitur potest.* Tam hoc perspicuum est, vt nullis inuolui aut obtundi tenebris queat. Nam hic Augustinus proponit

duo

duo illa principia neceſſitatis peccandi infirmitatis & ignorantiæ, quatenus & *reſiſti*, & *falli* inculcat : & tamen negat ex vtroque, niſi vitari cauerique poſſit peccata exiſtere. Itaque non aliâ rimâ quàm eo quo caueri poteſt, peccatum intrat. Niſi hæc ſit, nullum prorſus illud ſit. Quæcunque ſit vis concupiſcentiæ, quæcunque ſit caligo ignorantiæ, ſi quâ vitari ratione poſſit, peccatum erit, ſi nullâ ratione caueri poſſit, non erit. Neque opus eſt Auguſtiniano Theologo omnes ignorantiæ & cupiditatis formas agnoſcere, & ſingulas excutere: vt anxiè quærat vbi ſit peccatum. Vnum illi conſtet, quæ vitari poſſit, in ea peccari poſſe. Atque hac ratione citra tædium & periculum errandi compendium faciet. Nam ea ſumma contentionum omnium eſto. Vitari aut poſſe, aut non poſſe. Vndecumque ineuitabile ſit peccatum, ſiue ex neceſſitate ſimplici, ſiue ex coactione, ſiue ex caligine, ſiue ex irreptione, peccatum non erit. Adeo vt ſi ex diuina præſcientia peccatum ineuitabile fieret, nullum ipſum peccatum foret. Si peccatum hac ratione quærerent Theologi, hoc illud ſigno agnoſcerent, hâc notâ deprehenderent: eſſétque fortaſſe meliùs & conſcientiæ & ſcientiæ

consultum: nec tot clamoribus capita, nec tot ictibus pulpita frangerentur: omnísque & ansa errandi, & errores clarissimis viris affingendi tolleretur. Equidem animaduerti de libero, de necessario, de voluntario, de inuito, de coacto, de spontaneo, déque tota ratione voluntatis Augustinum variè disputasse, hæc omnia vocabula aliâ atque aliâ notione accepisse, & ad diuersos abditæ veritatis sensus accommodasse: nunquam tamen in huiusmodi ratione quâ vitetur, aut non vitetur peccatum quicquam variasse. Hunc cardinem libertatis fecisse, quo cum tota acceptionum machina volueretur, ipse tamen firmus, constánsque mansisset. Itaque interdum nos flentes, gementes, victos, inuitos, repugnantes, nolentes: imò & coactos, atque adeo necessitate peccare interdum affirmat. Aliquando à nobis liberè, voluntariè, sponte, libenter, ac proinde voluntate peccari concedit: nec veretur vt ex hac analogia, periculi quicquam, aut libertati, aut necessitati creetur: modò id certum ac immutabile consistat: *Peccatum in eo quod vitari non potest esse non posse.* Quantacunque enim varietas, ac diuersitas loquendi sit, sensus tamen idem ac integer veritatis erit: atque adeo in

voce aliquantum, in re nihil discriminis reperietur. Quare non possum non vehementer dolere temporum nostrorum vicem, quibus cum summâ disputandi libidine, ingens conuitiorum cohors incubuit: ex qua fit vt Academiæ in factiones diuisæ inter se pugnent, sibíque mutua ex animarum dissensione infamiæ vulnera infligant, quòd quidam earum Principes de Augustini iudicio circa huiusmodi libertatem & necessitatem peccandi, quod ex analogia incertum putant, omninò dissentiant. Qui cùm non nisi verbis, opinor, discrepent, alij tamen aliis ex diuerso loquendi modo errores affingunt: cùm hac vnica ratione cõponi turbæ, & lis tota extingui posset, inquirendo ex iis vlteriùs: Vtrum voluntas sub illa notione siue necessitatis, siue coactionis posset vllâ ratione vitare peccatum? Quod si annuerent, nihil esset cum iis expostulandum: nisi quod minùs propriè loquerentur. Id velim hac in controuersia ratum maneat: quolibet modo Augustinus loquatur, nusquam in toto Augustino reperiri verbum quo dicat, *in re quæ vitari nequeat esse peccatum*. Addo & illud: multos me inuenisse locos in quibus affirmet necessitatem in hoc statu ruinæ esse peccandi, ac ex ea ne-

cessitate peccata existere, atque adeo necessitate peccata committi: nullum me tamen memini reperire, in quo Augustinus concedat actum ipsum peccandi ineuitabilem esse: imò semper docuit ibi peccari, vbi aliquâ ratione vitari possit peccatum: vbi non possit ibi nullâ ratione peccari. Atque hoc ipsum Augustinus inculcat eodem loco. *Reminiscere,* inquit, *superiorum, quæ à nobis tam multa de peccato & voluntate liberâ dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare memoriæ: hoc breuissimum tene. Quæcunque ista est causa voluntatis, &c.* hæc summa omnium; hîc vertitur totius disputationis cardo. Hîc vis & terminus est. Tam hoc Augustino capitale fuit, vt quoties hâc parte à Pelagianis peteretur, acerrimè vigilaret, strenuéque se opponeret, ac omnem vulneris vmbram auerteret. Vt qui non admodum aliis in controuersiis laborabat, in hac intentissimè sibi caueret. Videbat quippe iugulum libertatis peti, vbi euitandi potestas petebatur. Quâ retentâ intentati ab hostibus in libertatem gladij irritis ictibus aërem feriebant. Tres à me sunt illustriores loci proponendi. Primus hic ipse de quo agimus: vbi cùm huiusmodi doctrinam statuisset, & necessitatem quandam

Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.

peccandi faceretur: quæ in lapſantem ex Adæ peccato naturam influxiſſet: ac murmurantes homines quòd in hoc miſero ſtatu peccata vitare non poſſent induxiſſet, (quo liquet de omnibus omnino peccatis locutum Auguſtinum cùm docuit, neminem in eo quod vitare nequit peccare poſſe) eorum ſic querelis occurrit, & non eſſe peccatum ineuitabile monet. *Quibus breuiter reſpondetur vt quieſcant, & aduerſus Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cùm verò vbique ſit præſens qui per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis, iſta tua propria peccata ſunt.* Vtrumque docemur, & in eo quod vitari non poteſt non peccari, cùm non imputetur ad culpam quod inuitus quiſque ignorat; & in quo peccatur, illud vitari aliquo modo poſſe, cùm negligere & contemnere à poteſtate vitandi aliquid proficiſcatur. Illud *ſi*

Lib. de nat. & grat. cap. 67. & ſuprà.

nullus hominum victor existeret, indicat victoriam peccati ad auxiliũ Gratiæ pertinere, atque adeo peccatum vitari aliqua ratione posse: atque eos à quibus possit vitari, si vitare negligant, eâ ratione peccare. Quod si vitari omninò nequeat, in eo minimè peccari, vt verum sit illud: *Non tibi imputatur ad culpã, quod inuitus ignoras.* Nec enim hîc cum infidelibus agit, sed cum iis qui Deum aliquâ fide nouerant, & cum Deo expostulabant. Alius huic & geminus & proximus locus lib. 3. de lib. arb. cap. 24. adductus lib. 1. Retract. cap. 9. & obiter commemoratus lib. de Dono Perseu. cap. 11. Is autem huiusmodi est. *Ad quam miseriam iustæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam nisi Dei Gratia. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum: quamuis ignorantia & difficultas etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est.* Addit lib. Retract. & de Dono Perseuer. Qui locus est multiplici difficultate implexus, & alibi extricandus. Nunc in huiusce tantùm quæstionis vsum ac-

cipiendus. Vbi induxit Auguſtinus hanc geminam radicem peccandi, ſtatim aſſeruit rationem vitandi peccati. Occupauit enim quod obiici poterat, neceſſaria fore ex innatâ radice peccata; aiens vitari poſſe, vt peccata eſſe poſſent. Ita cap. 22. *Ignorantia & difficultas ſi naturalis eſt, inde incipiat anima proficere, & ad cognitionem & requiem promoueri. Quem profectum in ſtudiis optimis, atque pietate quorum facultas ei non negata eſt, ſi propriâ voluntate neglexerit iuſtè in grauiorem, quæ iam pœnalis eſt ignorantiam, difficultatémque præcipitatur.* Ex quo patet illa duo ſemina peccati, non tollere facultatem voluntatis ad vitandum ex virtutis ſtudio peccatum: imò eſſe occaſiones proficiendi monſtratâ auxilij neceſſitate, nec ineuitabile eſſe peccatum; vbi eſt locus negligendi auxilium, & peccatum in negligendo: tandem ſatis liberum eſſe peccatum, ex quo peccatum oriatur pœna peccati. Vnde rectè item deducitur principia illa duo, ſi eſſent naturalia peccandi, multò minus ad peccatum inclinare, quàm cùm modò in nobis ſunt pœnalia. Quod, vt hoc obiter dicam, ſi Auguſtini interpretes expenderent, minus in huiuſmodi loco explicando laborarent. Verùm hoc

aliàs, cùm otium erit nobilem difficultate lubricâ locum explicandi. Iuuat cap. 20. *Quanquam enim*, inquit, *in ignorantia & difficultate nata sit, non tamen ad permanendum quod nata est, aliquâ necessitate comprimitur.* Rursum cap. 22. *Si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini, nullus hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed si proficere noluerit, aut à profectu retrorsum relabi voluerit, iure meritóque pœnas luet. Creator verò eius vbique laudatur, vel quòd eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoauerit, vel quòd eius profectum adiuuet, vel quòd impleat proficientem, atque perficiat.* Iterum cap. 20. *Deus etiam in ipsa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, quærendi & conandi non abstulit daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus.* Vbique inculcat potestatem vitandi peccatum, ad peccandum omnino requisitam: adeo vt in eo quod vitari non possit peccatum non admittat. Nam in illis primordiis si essent naturalia, inesse peccatum negat, quòd vitari non possunt. Hinc illud, *Si naturalis est, nullus rectè arguit.* In effectu inde orto ex voluntate peccatum admittit, quòd vitari potest. *Sed si proficere noluerit, aut à*

à profectu relabi voluerit pœnas luet. Quo res huiuſmodi tota continetur.

Tertius non tam eſt locus, quàm conflatus ex locis. Diſputat ſæpe, ac denſè de peccatis ignorantiæ Auguſtinus. Id obſeruo: vbi peccatum agnoſcit, ignorantiam vitabilem, ſeu vincibilem aliqua ratione eſſe: vbi negat, ibi inuincibilem, ſeu ineuitabilem eſſe ignorantiam. Ac primùm perſpicuè Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Non tibi imputatur ad culpam, quod inuitus ignoras.* Quod generale quoddam effatum eſt. Deinde huc pertinet quod proximè dixerat. *An tanta fallacia eſt, vt caueri peccatum omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt?* Mox admiſſis ex ignorantia peccatis, atque eiuſmodi ignorantiâ, quæ inuincibilis videtur, quòd ex traduce orta peccati originalis: *Si non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt.* Patet ex eo quòd eam opponit naturæ, ineuitabilem omnino non eſſe: ac ex ea eſſe peccata poſſe: cùm ſi natura eſſet, ineuitabilis prorſus eſſet, ac ex ea peccata eſſe non poſſent. Ideo inter vtramque, & pœnam, & naturam diſtinxit: ac libens conceſsit: nulla ex natura fore peccata, qui negaret ex pœna peccati peccata non fore.

Eadem ratione docet Donatiſtas non poſſe fideles à ſua hæreſi alienos ex ignorantia peccare, quòd erant à Donatiſtarũ corpore ſeparati, quos ipſi fideles omnino non norant. Ita epiſt. 48. *Hos*, inquit, *ab hoc crimine innocentes eſſe nempe ipſa ignorantia facillimè oſtendit*, & iterum: *Porro ſi tot gentium populos ipſa ignorantia ſicut dictum eſt innocentes oſtendit*: Præterea alio in loco diſputans contra Creſconium: *Si enim conſcientia lædi non potuit, quia neſciuit, nunc incipit lædi quia ſciuit: velut ſi tunicâ de latrocinio neſciens veſtiretur, ex illo ſit iniquitatis veſtis illa, ex quo cognouerit, & ipſe iniquus niſi abiecerit, & qui neſciens vxorem duxerit alienam, ex illo ſit adulter, ex quo didicerit niſi diſceſſerit.*

Contra Creſcon. l. 2. c. 26.

Accedit celebre argumentum petitum ex illuſtri Ioannis loco: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo:* quem tribus in locis verſat Auguſtinus ea ratione, vt doceat ideo peccaſſe Iudæos non credendo in Chriſtum, quia norant veniſſe Chriſtum: non peccaturos ſi ignorarent, atque adeo in eo quod vitare poterant, peccaſſe, quod non poterant in eo peccare non potuiſſe. Sic epiſt. 50. in

fine. *Aliquod*, ait, *proprium peccatum intelligi voluit, id est, quod in eum venientem non crediderunt, hoc enim non haberent peccatum, si non veniret.* Ex quo tract. 89. in Ioan. ratiocinando colligit, ad quos Christi prædicatio non peruenisset, eos ab huiusmodi peccato excusandos. Itaque tradit: *Habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Idem habet lib. 3. ad Bonif. cap. 3. Vnde, quemadmodum proximè animaduertimus, semper Augustinus facultatem agnouit in anima ad amouendum istud impedimentum, orando, pulsando, gemendo: ne ineuitabilem quis ignorantiam esse putaret. Quemadmodum contra Pelagium lib. de Nat. & Grat. cap. 17. occupauit: *Tractat*, inquit, *iste de peccatis ignorantiæ*, &c. Deinde: *Dum tamen omnia potiùs disputet, quàm vt oret & dicat. Da mihi intellectum*, &c. addit: *Vndè admonemur à Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter, vtique omnibus qui sic petunt & tantùm petunt*, &c. Quare etsi Augustinus interdum videatur significare, ignorantiam ineuitabilem esse peccatum, si attentè audiatur apparebit de illa loqui quæ aliquo modo vitari

poſsit. Sed acuto imprimis & vigilanti opus eſt lectore: vti ex ſubiecto loco planè conſtabit. *Dominus in Euangelio oſtendit grauiùs peccare hominem ſcientem, quàm neſcientem. Nec tamen ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quiſque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſcire, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur de quo dicitur: Noluit intelligere vt bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet: ſed fortaſsis vt mitiùs ardeat: non enim ſine cauſa dictum eſt: Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt: & illud quod ait Apoſtolus: Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum.* Culpâ non vacare huiuſmodi ignorantiam patet ex conſtitutâ ei in vindictam ab irato Deo pœna. Vnde & ſequitur vitari aliqua ratione poſſe; atque adeo non eſſe inuincibilem, vt aiunt, ignorantiam. Id ſubtiliter dixit Auguſtinus cùm dixit: *Tanquam ſimpliciter neſciunt*, non *ſimpliciter*. Nam eo termino, *tanquam ſimpliciter* ſignificauit ignorantiam de qua agebat

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 3.

culpabilem, & pœnâ dignam : non esse simpliciter nescientiam ineuitabilem : sed quandam ignorantiæ formam, quæ speciem ineuitabilis cùm haberet, re vitari aliquo modo poterat: atque adeò digna supplicio; licèt quòd minus esset voluntaria, minore, quàm quæ magis esset libera, puniretur. Quod autem ait Augustinus: *Si propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet*, non obstat quominus ignorantia sit aliqua ratione vitabilis: cùm etsi omnino non audierit, quod crederet, posset tamen aliunde accipere faces aliquas lucis per stricturas & scientiæ, & iuris naturalis: neque enim naturale in nobis lumen extinctum est, sed obrutum: vnde scintillæ quædam emicare posint, & fomite rationis incenso mentem vtcunque illustrare. Vti ex Paulo docet Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 2. vbi eo loco proposito ad Roman. 2. *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, ait: *Non omnimodo deletum est quod ibi per imaginem Dei cùm crearentur, impressum est.* In quibus etsi lux fidei desideretur, neque quo fide destituuntur, eo peccare posint, vti proximè de Iudæis loquendo cum Augustino tradidimus, non deest tamen vis rationis, ex qua

lumen quoddam exiſtat, quo præeunte, ſi non omninò à peccato abſtinere, minùs certè peccare poſsint. Quia, vt inquit Auguſtinus, eodem lib. cap. 27. *Non vſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint.* Vnde fit vt ex ea caligine in qua tamen aliquid vel malignæ ſit lucis, peccatum exiſtat, quod Paulus *mortuum* dicit, quod abſconditum & ſepultum in tenebris ignorantiæ Auguſtinus interpretatur. Quippe qui dictum illud Apoſtoli: *Sine lege peccatum mortuum eſt,* ita explicat. *Non intelligamus niſi tanquam non ſit, latet non apparet, penitus ignoratur tanquam in neſcio quibus ignorantiæ tenebris ſit ſepultum. Nam quod adiunxit: Adueniente autem mandato peccatum reuixit, quid eſt aliud, quàm eminuit & apparuit?*

Lib. 1. ad Bonif. c. 9.

Quare quoties, ac id eſt ſæpiſsimè, Auguſtinus docet peccata ex ignorantia committi, ſemper de illa, quæ aliquâ ratione vitari poteſt ignorantia intelligendus. Illud verò eſt operæpretium obſeruare, cùm vix apparet ratio vitandi peccati, vix rationem peccati apparere: atque adeo pari paſſu ire rationem vitandi cum ratione peccandi. Vnde peccatum

ex alta quadam ignorantia commiſſum *mortuum* dixit Paulus: Auguſtinus *non apparens, conditum, ſepultum:* quod vbi non extabat ratio vitandi latebat ratio peccati. Tam eſt vtraque inter ſe coniuncta: vt inde vel fiat, vel augeatur, vel minuatur peccatum. Nam cùm peccatum omnino vitari poteſt, ſi quis peccet, grauiſſimè peccabit; cùm facilè, magis; cùm difficilè, minus; cùm ægrè, multo minus peccabit: creſcente, aut deficiente grauitate peccati ſecundùm gradus eius, quæ eſt in vitando poteſtatis. Sit hoc igitur in Auguſtini doctrina certiſſimum: Quæ ineuitabilis prorſus eſt ignorantia, quam inuincibilem dicunt, in ea peccatum eſſe non poſſe. Quæ vitabilis aliquo modo ſit, etſi vix ratio vitandi appareat, quam vincibilem appellant, in ea poſſe peccatum reperiri. Ex his conſtat: quæ ſit & cuiuſmodi illa neceſſitas quâ cum peccatum non poteſt conſiſtere: quæ eſt ineuitabilis & fixa neceſſitas: omnino euertens arbitrij liberam poteſtatem.

ART. VI.

Vtrum aliqua ſit neceßitas, qua cum peccatum conſiſtat?

NECESSITATEM peccandi ſuprà ex Auguſtino monſtrauimus : Nunc quî cum libertate huiuſmodi neceſſitas componi queat? inſpiciendum. Ea iam ducto à contraria libertati neceſſitate argumento, quæ ſit, apparet. Nimirum : quæ ex ſumma difficultate impotentiam quandam inducat, quâ voluntas impedita ægerrimè ſe poſſit explicare : quæ ſit tamen aliquâ ratione vitabilis : atque adeo non omnino extra poteſtatem voluntatis.

Et quidem peccata quæ neceſſitate committi ab Auguſtino dicuntur : ea imprimis ſunt, quæ ex concupiſcenta, nobis adnatâ oriuntur : deinde quæ ex inueterata peccandi conſuetudine exiſtunt. Quod ſuprà oſtendimus. Nunc videamus quomodo neutra neceſsitas ſit vera & propria ineuitabiliſque neceſsitas. Ac primùm de prima conſtat. Nam Auguſtinus docet, concupiſcentiam eſſe vitium naturæ, non naturam : ergo docet, non eſſe veram neceſsitatem.* Id ex Auguſtini doctrinâ contra Manichæos patet. Ille enim tradit, ſi natura foret mala

mala, neceſſariò ſecundùm eam & viuendum & operandum: nec aliter quàm illa ferret, agere quenquam poſſe: & quæ mala quiſque faceret peccata non fore, quòd naturalia non libera forent; atque adeo ex vi & inſtitutione naturæ, cui reſiſti non poſſet: quemadmodum antea diximus. Deinde docuit ignorantiam & difficultatem, id eſt Concupiſcentiam, *ſi eſſent hominis primordia naturalia laudandum Deum eſſe*, non alia certè ratione, niſi quòd cum iis poſſet quis rectè cum auxilio Dei operari, ac proinde non neceſſariò quenquam vel ex iis peccandi ingenitis principiis peccaturum. Igitur, vt aiunt, à fortiori, ex Concupiſcentia adnata & adnexa in pœnam nullâ neceſſitate peccata exiſtent. Quod, me certè authore, argumentum Achilles eſt. Nam ſi Concupiſcentia naturalis non tolleret poteſtatem bene operandi, nec ineuitabilem peccandi neceſſitatem inueheret, quî poſſit Concupiſcentia pœnalis facultatem ad rectè agendum auferre, & peccandi neceſſariam vim inducere? Confirmatur ex eo quòd Auguſtinus, quam Concupiſcentiam *neceſſitatem* vocat, *difficultatem* ſolet appellare: quo ſignificat, eo ſenſu neceſſitatem dici, quòd eâ ſe animus diffi-

m

cillimè poſſit explicare. Ita lib. 3. de lib. arb. cap. 20. & lib. 1. Retract. cap. 9. & lib. de Dono Perſeuer. cap. 11. Eadem ratione conſuetudini confert, imò & conſuetudinem dicit, quòd non aliter ad peccandum inclinat, quàm inueteratus peccandi vſus inducat: ex quo cùm moralis tantùm impotentia, id eſt ſumma difficultas exiſtat, neceſſe eſt, vt ſimilis & difficultas & impotentia ex concupiſcentia oriatur. Id ex locis in quibus Conſuetudo ab Auguſtino vocatur apparebit, lib. de Fide & Symbol. *Pars quædam*, inquit, *animæ reſiſtit ſpiritui non naturâ; ſed conſuetudine peccatorum, quæ conſuetudo in naturam verſa eſt ſecundùm generationem mortalem peccato primi hominis*. Et lib. 83. quæſt. q. 70. ad locum Pauli. *Vbi eſt mors contentio tua? Mortem*, ait, *ſignificari arbitror hoc loco carnalem conſuetudinem, quæ reſiſtit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum. Hanc autem mortem peccato meruimus*. Et lib. 1. de Doctrina Chriſt. cap. 24. tractans illum locum: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Dictum eſt hoc*, inquit, *propter indomitam & carnalem conſuetudinem, aduerſus quam ſpiritus concupiſcit, non vt interimat corpus, ſed vt concupiſcentiam eius id*

eſt conſuetudinem malè domitam faciat ſpiritui ſubiugatam : & infrà. *Vt conſuetudo carnalis mutetur in melius.* Præterea. *Non per odium reſiſtente carne, ſed per conſuetudinis vinculum, quod à parentum etiam propagine inueteratum naturæ lege inoleuit.* Tandem: *Id agit ſpiritus in domanda carne, vt ſoluat malæ conſuetudinis quaſi pacta peruerſa, & fiat pax conſuetudinis bonæ.* Perſpicuè verò & aptè in epiſt. ad Galat cap.10. *Quamuis habitet in eorum mortali corpore peccatum, nondum extincto impetu conſuetudinis naturalis, quia mortaliter nati ſumus, & propriæ vitæ noſtræ, cùm & nos ipſi peccando auximus, quod ab origine peccati humani, damnationiſque trahebamus.* Duo hîc ſunt in rem noſtram præclara; alterum, hoc differre inter ſe Concupiſcentiam ab inueterato vſu peccandi, quòd illa ſit naturalis conſuetudo, hic frequentatione actuum acquiſita. Alterum, Concupiſcentiam vſu augeri, quo patet eam non eſſe veram neceſſitatem, cùm recipiat magis & minus, cùm id quod neceſſarium eſt, eandem, opinor, vim rationémque operandi retineat. Idem Auguſtinus docet Serm. 45. de tempore. *Quod dixi,* ait, *de ebrietate hoc de omnibus vitiis, hoc de omnibus cupiditatibus in-*

telligas. Cum aliquibus enim nati sumus, aliquas consuetudines fecimus. Consuetudini ergo semper repugnandum est, quia ipsa concupiscentia cum qua nati sumus finiri non potest quandiu viuimus: quotidie minui potest, finiri non potest. Præterea quòd ista consuetudo non inferat veram necessitatem voluntati, patet ex eo quod Augustinus tradit lib. 1. ad Simpl. q. 1. *Peccatum vnde in carne nisi ex traduce mortalitatis & assiduitate voluptatis? Illud est ex pœna Originalis peccati; hoc est pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur, hoc viuendo addimus. Quæ duo scilicet natura & consuetudo coniuncta robustissimam faciunt & inuictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne.* Perspicuè monstrat hic locus, *Concupiscentiam* quæ antea Consuetudo, nunc & peccatum, & natura dicitur, non inducere necessitatem: cùm non nisi aliâ consuetudine acquisitâ faciat *inuictissimam cupiditatem*. Quare cùm Augustinus eam necessitatem vocat, ac ex ea necessitatem fluere peccandi tradit, ita est intelligendus, vt eam verè necessitatem dicat, quod inolita sit nobis vitio naturæ, peccata verò quæ ex ea fluant non sint necessitate coacta, sed ex morali quadam impoten-

tia, & adumbrata neceſſitate conſecuta. Itaque cùm ait: *Quandiu portamus imaginem hominis terreni, id eſt quandiu ſecundùm carnem viuimus, qui vetus etiam homo nominatur, habemus neceſsitatem conſuetudinis noſtræ.* Significat Concupiſcentiam ineſſe naturæ, & ex ea nos in peccata induci non verâ neceſſitate, ſed quadam ſpecie neceſsitatis. Id ſanè ſignificant voces quibus vtitur, vt vim ſignificet iſtius vel conſuetudinis, vel neceſsitatis. Nam lib. de Doct. Chriſt. cap. 24. Concupiſcentiæ motus, *libidines & inclinationes & impetus* vocat, & lib. Oper. imperf. *legem peccati ſuadentem, iubentem,* & lib. 22. de Ciuit. cap. 22. *Amorem peruerſum, vanam & prauam cupiditatem,* lib. de perf. iuſt. *Deſiderium peccati,* & lib. 1. ad Bonif. cap. 13. *ægritudinem,* lib. 6. cont. Iulian. cap. 18. *Affectionalem qualitatem:* & ibid. cap. 7. *morbum,* & lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 25. *Affectionem malæ qualitatis, & languorem:* Quibus, opinor, vocibus non violentia neceſſitáſve compellens phyſica ſignificatur. Quid? quod eadem quæ Difficultas, & Conſuetudo dicitur, & alio molliore vocabulo appellatur: nempe *Infirmitatis*, vti lib. de Natura & Grat. cap. 35. & lib. 1. ad Bonif. cap. 3. imò & ſua-

uiore *delectationis*, vti lib. 83. quæst. q. 70. & in Enchir. cap. 24. & lib. 1 cont. 2. epist Pelag. cap. 13. quæ certè non vim physicam cogentem, necessitantémque indicant.

Iam verò ab effectibus, quàm sit à genuina necessitate aliena manifestè apparet: lib. 1. contra Iulian. imperf. ait *iubere* & *suadere* lib. 83. quæst. q. 70. & lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 24. *resistere*, & lib. de Cont. cap. 12. *turbare*, lib. 2. de Genesi cont. Manich. cap. 26. *implicare*, & lib. 2. cont. Iulian. *rebellare* & *trahere*, lib. de perfect. iust. *mouere*, lib. 1. oper. imperf. *commouere*, *instare*. Summum lib. 4. cont. Iulian. cap. 14. *impellere*. Quòd si aliquando *cogere* dicit, ita sanè temperandum est vocabulum, vt inclinationem quandam motionémque trahentem ad peccatum significet, quemadmodum iis in locis videre est. Quin ipse suam mentem, ipsemet Augustinus declarauit, ac quid hac verborum turbâ significare vellet aptissimè declarauit lib. 2. de Doctr. Christia. cap 24. *Nonne hinc apparet*, inquit, *in quod velut pondere suo procliuis, & prona sit vitiosa natura?* Illud omnino fidenter dixerim: cùm sæpe in Augustino reperiatur: necessitatem esse peccandi, ac esse peccata necessitate, nusquam

Lib. 22. de Ciu. c. 22.

tamen in eo inueniri, in eo quod peccat quis necessariò & ineuitabiliter peccare: eo sensu, vt illud singulare quod admittit peccatum, nullâ omnino possit ratione vitari. Quâ de re infrà accuratè agemus. Necessitate ex vi concupiscentiæ remotâ, superest alia ex acquisita consuetudine remouenda: Hanc enim & necessitatem dicit Augustinus, & cùm ea inualuerit vinci posse negat: ac ita loqui de illa solet, vt peccata, quæ inde existant necessaria videantur. Itaque lib. 8. Confess. ait: *Dum Consuetudini non resistitur fit necessitas.* Et lib. imperf. oper. cont. Iul. 1. annuit concedentibus esse ex consuetudine necessitatem peccandi, ac persuadet vt parem peccandi vim concupiscentiæ innatæ concedant. Vnde aduersus eum ita concludit: *Cur ergo non creditis saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, vt eo vitiaretur humana vniuersa natura, quantum valet nunc in homine secunda natura? Sic enim à doctis appellari Consuetudinem nos commemorandos putasti.* Eius autem vim summam disput. 2. contra Fortun. proponit. *Hodie*, inquit, *in nostris actionibus antequam consuetudine aliquâ implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non fa-*

ciendi. Cùm autem ista libertate fecerimus aliquid, & facti ipsius tenuerit animum perniciosa dulcedo, & voluntas eadem ipsa sic implicatur, vt postea vincere nòn possit quod sibi ipsa peccando fabricata est. Et rursum in Actis cum Felice Manich. lib. 2. cap. 8. *Hodie*, ait, *liberâ voluntate faciunt homines, consuetudinem, quam cùm fecerint, superare non possunt.* Quare illam vocat, *pœnam frequentati peccati*, lib. 1. ad Simpl. q. 1. quòd quâ ratione ex Consuetudine innata id est Concupiscentia, peccata existunt, eadem ex acquisita peccata nascantur. Huiusmodi necessitatem exaggerat lib. 83. quæst. q. 70. & lib. 8. Confess. cap. 20. & lib. 6. cont. Iul. cap. 7. & lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 12.

Hæc quanquam vera sint: non veram tamen & genuinam necessitatem sed apparentem: id est summam difficultatem, & moralem summùm impotentiam inferunt. Altero id Achille, hoc est inuicto argumento, monstratur. Augustinus concedit Pelagianis Consuetudinem acquisitam esse necessitatem peccandi, ac eo concedit sensu quo ipsi volebant. Atqui Pelagiani magni libertatis defensores non veram & ineuitabilem necessitatem huiusce

Con-

Consuetudinis esse volebant, ergo nec Augustinus asserebat. Propositio constat ex citato proximè libri 1. contra Iulian. imperf. loco. Assumptio patet ex Epist. Pelagij ad Demetriadem: vbi ait, *Neque verò alia nobis causa difficultatem benefaciendi facit, quàm longa consuetudo vitiorum. Ecce necessitatem*, id est *difficultatem*. Et iterum apud Augustinum lib. de Grat. Chr. cap. 39. *Hoc*, id est, *Quod nolo malum hoc ago: asserunt Apostolum in viri peccatoris dixisse persona qui nimiâ vitiorum consuetudine velut quâdam teneretur necessitate peccandi.* Ac vt ostenderet ineuitabile non esse malum, & locum arbitrio ad bonum relinquere addit: *Ab hoc malo liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primo omnia per baptismum peccata dimittit, deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* Cui magistro consentit geminus discipulus Iulianus. Rectè illatam in syllogismo conclusionem probant ex propria Augustini sententia huiusmodi testimonia, quibus hanc ille necessitatem emolliuit: & in difficultatem, & moralem quandam impotentiam conuertit. Nam lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 8. *Sic liberâ voluntate faciunt homines*

Auguſt. lib. 3. cont. Iul. c. 23. & lib. 6. c. 22.

consuetudinem, quam cùm fecerint superare non possunt. Et lib. 1. de serm. Dom. in monte. *Hanc vincere difficillimum est: & tamen hanc ipsam consuetudinem si se quisque non deserat, & Christianam militiam non reformidet, illo duce, atque adiutore superabit.* Iterum lib. 83. quæst. q. 70. Consuetudinis impotentiâ & necessitate exaggeratâ, *Paulatim*, inquit, *surrepens delectatio mortificat animam, vt si se abstinere velit absque molestia & sine angore non possit.* En quò rediit illa vis expressa necessitatis. Rursus lib. 8. cap. 5. *Consuetudo aduersus me pugnacior ex me facta erat.* Et loquens de concupiscentia: *Tantò*, inquit, *amplius in ea voluntas laborabit, quanto maiores ei consuetudo vires dedit.* Vbi non necessitatem consuetudini, sed vires attribuit: quæ & augeantur & minuantur, vnde in Epist. ad Hilar. *Quæ tamen*, id est, *lex peccati, nisi mala postea consuetudine roboretur faciliùs vincitur, non tamen nisi gratiâ Dei.* Hinc patet non insuperabilem eius vim fore, sed difficilè superandam. Confirmat verò maximè hanc explicandi rationem Augustini alio loco sententia: in quo docet quæ quis *non delectationis illecebrâ, sed causâ deuitandæ molestiæ alicuius aut doloris aut mortis* peccata committit,

ea dici quadam necessitate committi. Ecquis verò neget huiusmodi peccata liberè, etsi inuitè tamen committi. Quare compertum omnino sit, authore Augustino, consuetudine, vel innatâ, vel acquisitâ non tolli vitandi peccatum potestatem.

ART. VII.

Tota hæc ratio libertatis & necessitatis peccandi explicatur & confirmatur.

VERVM obiiciet ex Augustino quispiam: Peccata vitari sine Gratia minimè posse. Hanc omnibus non dari. Quare quibus non detur, eos, aut non peccare, aut peccare in eo quod vitare non possunt. Saltem id ab Augustino extorquebitur, homines sine fide necessariò peccaturos: qui docet horum omnia citra fidem opera esse peccata. Hoc argumentum quod afferre tenebras Augustini doctrinæ videtur, magnam est ei lucem allaturum. Sic enim soluitur. Verum quidem est vtrumque: non omnibus Gratiam præstò esse, nec sine illa rectè agi posse. Cùm vtrumque sit Augustini. Non tamen inde sequitur: Peccari in eo quod vitari nequit. Potest enim cum necessitate in

ta est. Ecce enim voluntas nostra ad bonum in communi determinata est, nec circa illud habet libertatem contrarietatis: & tamen in amando bono libera est, quòd non sit determinata ad actus amandi, nec in indiuiduo, nec in specie. Ita res habet in malo peccati: Voluntas sine Gratia ineuitabiliter peccabit; & tamen liberè peccabit, cùm non sit addicta vel huic speciei, vel huic omnino actui peccati: proindéque & speciem specie, & actum actu vitare possit. Illud est autem accuratè obseruandum multò maiorem esse libertatem istam voluntatis sine gratia ad peccandum, quàm illam voluntatis ad bonum: nam voluntas ad bonum naturâ sua & physicè, vt aiunt, est determinata, adeo vt nulla ratione odisse bonum cognitum possit. At verò voluntas infidelis determinata ad peccandum, non naturâ, sed vitio, non physico impulsu, sed defectu Gratiæ, quæ si adsit, in aliam partem id est virtutem conuertetur. Itaque illa determinatio prior voluntatis ad bonum naturalis est, hæc pœnalis ex peccato: Vnde illa simpliciter necessitas est: hæc ex accidenti ob innatum vitiũ necessitas. Neque verò hinc inferas, ratione huiusce differentiæ posse liberam esse & dici illam determinationem vo-

luntatis ad peccandum, ac libertate contrarietatis spoliatam non esse: nam cùm libertas sit quiddam compositum ex physico, & morali, debeátque potestas esse proximè ad operandũ expedita, ad ídque non sit satis illa potẽtia physica, & impedita, non potest aut esse, aut dici libera ad operandum. Quod Augustinus agnouit cùm dixit ignorantiam Iudæorum, si Christum nón audirent, non fore peccatum: quod aliud facere nequirent: cùm tamen sciret, eos si audirent & Gratiam haberent, credere optimè posse. Atque hac idem ratione dixit: *Non satis esse ad operandum bonum liberum arbitrium, nisi Dei gratia liberatum*. Quod autem tota hæc ratiocinatio Augustini sit accuratè probandum. Ac primùm, quod caput est, potestatem contrarietatis non esse omnino ad operandum liberè requisitam, docet contra Iulianum eam obstinatè exigentem Augustinus. Volebat enim ex eo conficere Iulianus voluntatem nostram ex se citra gratiam parem esse & virtuti & peccato, quod Augustinus negat docens nos sine gratia peccatum agere, non virtutem posse: neque hoc lædi libertatem peccandi. Ita enim Iulianus lib. 1. oper. imperf. pag. 146. *Voluntas eo ipso tempore, quo peccat, potestatem habet rece-*

August. tract. 89. in Ioan. & epist. 50. & lib. 3. ad Bonif. c. 3.

August. l. 1. oper. imp.

dere à malo & facere bonum, vt constet ratio libertatis. Cui sic Augustinus respondet. *Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum, liber Deus non est qui malum non potest velle:* Quo Iulianum aptè confutat. Nam quòd Deus non possit non velle bonum, non ideo quæ bona vult necessariò & ineuitabiliter vult. Præterea cùm de infidelibus sine gratia ad peccandum in genere determinatis ageret Augustinus, semper dixit eos ad indiuiduum determinatos non esse, atque adeo vitare peccatis peccata: vt ratio peccandi libera constaret: ac quod vitari posset in eo peccatum esset. Ita lib. de Contin. cap. 12. & lib. 21. de Ciuit. cap. 14. & quæst. 18. super Exod. & serm. in illud Apost. *Omne peccatum quodcunque*, &c. & præcipuè lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 3. vbi sic: *Non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Quod iterum ex ore Iuliani accipit lib. 4. cont. eund. cap. 3. magno in rem nostram momento. Nam ibi conante Iuliano ex hoc loco libertatem æquilibrij statuere æqualem ad virtutem & vitium, vsurpat locum Augustini de vitatione peccatorum, perinde ac qua potestate vitentur peccata peccatis, eâ vitentur virtutibus peccata.

Mi-

Mirari te dicis quod tam excellens meum non vidit ingenium, quantum vos iuuerim quia dixi. Aliis peccatis alia peccata vincuntur. Continuò quippe subditis, atque concluditis dicentes. Perfacile igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuuat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur, inquis, peccata peccatis, quanto magis possunt virtutibus peccata superari? En qua ratione conatur asserere libertatem contrarietatis ad virtutem & vitium, ex asserta ab Augustino libertate contradictionis: etsi subtiliter & vafrè abutatur Augustini sententiâ detorqueátque victoriam de peccatis ad maiores vires virtutis: quasi quod vitium vincatur à vitio, faciliùs à contraria sibi virtute superetur. Cùm non id ageret Augustinus, sed in eo esset, vt inuictè contra Iulianum probaret nullam sine fide & Gratia esse virtutem, ac proinde qui sine illa operarentur, in alia, atque alia subinde peccata esse casuros: adeo vt si vnum peccatum vitare vellent, quod ad libertatem in peccando necessarium erat, aliud peccatum agere deberent, quippe quibus potestas sine Gratia ad virtutem non esset. Quod autem Augustinus hanc defendendæ libertatis rationem, nec clarè, nec frequenter incul-

cat, illa cauſa eſt, quòd minus id ad diſputationem cum hoſtibus Gratiæ pertinebat, qui eius ſemper iugulum petentes liberi vires arbitrij extollebant, aiebántque virtutes ſine Gratia haberi poſſe. Cui vulneri auertendo Auguſtinus intentus eò vires ratiocinationis conferebat, vt neceſſitatem Gratiæ ex infirmitate voluntatis in lapſa natura oſtenderet. Itaque retento quod ſatis erat ad libertatem reliquum Gratiæ tribuebat. Non tamen omiſit exponere: quo pacto amiſſâ æqualitate arbitrij in vtramque partem & libertate contrarietatis, adhuc libera facultas in voluntate ad actus vnius tantùm partis contrariæ, quæ libertas quædam contradictionis eſt, remaneret. Nec verò non inſignis eſt locus quo monſtretur iſta determinatio ad alteram partem contrarietatis cum libera poteſtate in ſpecies actuum actúſque huiuſce rationis. Igitur ita Auguſtinus quæſt. 18. ſuper Exod. *Quamuis vniuſcuiuſque cordis in malitia qualitas, id eſt quale cor habeat ad malum, ſuo fiat vitio, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis, tamen qualitate malâ, vt huc vel illuc moueatur, cùm ſiue hùc, ſiue illuc malè moueatur, cauſis fit quibus propellitur.* Viden' vt cor af-

fectum vitio & deprauatum malitia, addictúmque peccato, habeat tamen diuersos incitatum motus, quibus ad alia, atque alia peccata diuersis rationibus, id est motiuis variato impetu cieatur? Quo certè nihil in rem nostram aptius dici potuit. Suboritur hic scrupulus circa eas quas Augustinus necessitates cum Dauide, necessitudines cum Iob vocat, & ea quæ ex his peccata necessitate existunt, quæque *facta improbanda* idem dicit: An & quâ ratione necessitatis vim obtineant? Et quidem *Necessitates* Augustinus intelligit illa *duo pœnalia* contracta peccato Originali, *Ignorantiam & Difficultatem*, id est principia congenita peccandi: quæ rectè *necessitates* dicuntur, tum quòd insitæ naturæ, tum quòd ex iis necessitas quædam oriatur peccandi, quæ sine Gratia vitari non possit. Ac omnino tota Concupiscentiæ ratio eo nomine significatur: quæ peccati Originalis appendix est. Quod sic Augustinus ac toties expressit, vt superuacaneum sit probare. Illud autem nexum & consequens, de necessitate peccandi inde exorta, sæpe docet Augustinus, & nos proximè multis locis ostendimus. Estque hæc propria cum Pelagio, ac Pelagianis Augustini disputatio. Qui

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 10.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18. & de nat. & grat. cap. 67.

Lib. de nat. & grat. cap. 66.

Supra §. 13. & 14. & lib. de perf. iust. c. 4. & l. 1. oper. imperf. cōt. Iul. ibid. §. 13. & 14.

cùm naturam puram ſtatuerent, vllóque infectam peccato negarent, & bonam eſſe Concupiſcentiam dicerent: nullam eſſe neceſſitatem peccandi contendebant. Quam ex diuerſis Scripturæ fideíque principiis Auguſtinus adſtruebat. Patet ex lib. de Geſt. Pelagij, & de natura & Grat. & lib. de ſpir. & lit. & epiſt. 105. ad Sixtum, & Pſal. 35. & lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. & lib. 3. ad Bonif. & lib. de Grat. & lib. arb. & in Enchir. cap. 81. & ſerm. 4. de verb. Apoſtoli, & lib. de Fide & Symb. & lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 24. & lib. 1. ad Simplic. q. 1. & lib. 2. & 4. cont. Iulian. ac magna prorſus mole lib. 1. oper. imp. contra eundem. Vnde illam Theologi acceperunt qui docent neminem in hac vita peccatis carere: quod ſit quædam, in nobis Concupiſcentiâ corruptis, peccandi, vt ait Auguſtinus, *dura neceſſitas*. Vbi animaduertendum eſt diligenter aliud eſſe neceſſitatem peccandi, aliud peccari neceſſariò. Nam Auguſtinus admittit ineuitabilem neceſſitatem peccandi, negat tamen peccatum vitari non poſſe. Vnde cùm docet neceſſitatem eſſe peccandi, tradit neceſſe eſſe vt exiſtant, fiántque peccata: vt vitari non poſſit eorum in hoc ſtatu ruinæ exiſtentia: cùm au-

tem tradit peccatum non eſſe neceſſarium, vitaríque poſſe, docet peccatum in ſe liberum eſſe & vitabile: atque adeo neceſſitatem cadere ſupra exiſtentiam non ſuper eſſentiam & rationem peccati, ita vt neceſſariò exiſtant libera peccata. Quod philoſophicè dicitur: Peccata in genere, ſeu collectiuè vitari nequeunt, in particulari & diuiſiuè queunt. Qua item ratione Scholaſtici Theologi docent peccata venialia vniuerſim, & collectim vitari non poſſe: ſingillatim & diuiſim poſſe. Rurſúmque à ſimili: Tentationem grauem diuturnam citra gratiam efficacem toto quàm longa eſt tempore, non poſſe vinci, poſſe verò ſingulis momentis ſuperari.

Præterea neceſſitate exiſtere, & neceſſarios eſſe motus quoſdam concupiſcentiæ, quibus ſtimulamur, & agimur, qui non ſint in noſtra poteſtate, imò & nobis & imprudentibus & nolentibus fiant, ante & citra omnem vſum libertatis author eſt multis in locis Auguſtinus. Quare lib. 5. contra Iulian. cap. 7. *naturales*, & cap. vltimo, *ingenitos*, & lib. 4. contra eundem cap. 2. *infrenes*, lib. 2. de nupt. & concup. *inobedientes*, ac *inordinatos* appellat: malos vbique & rationi ac ſpiritui contrarios

ſpecie ſtare libertas in indiuiduo, & ſublatâ libertate contrarietatis manere libertas contradictionis. Vnde non repugnat hominem infidelem ſine Gratia eſſe determinatum ad vnam tantùm partem contrarietatis, id eſt ad malum in ſpecie, & tamen eſſe liberum ad actus malos ſingulares, atque adeo libertate peccare. Nam ille certè non eſt addictus vni tantùm actui peccandi: cùm poſſit varios actus malos, vel eundem per diuerſa, vt aiunt, motiua exercere: quare vitare poteſt illud, vel illud peccatum, illud, vel illud motiuum, alio peccato, & alio motiuo licèt malo, quod Auguſtinus appellat, *vitare peccatum peccato*, & *peccatis peccata coercere*. Vnde fit, vt cùm peccat in eo peccet, quod vitare aliquo modo poteſt. Quod ex Auguſtino docuimus, cùm ſemper vſi ſimus illo termino: *Prorſus, omninò, nullâ ratione*, quem ſemper acutiſſimus mortalium Auguſtinus adhibuit, cùm dixit: *In eo quod vitari non poteſt peccari non poſſe*. Nam vigilantiſſimè appoſuit, *nullo modo*. Occupans quod ſibi obiici poterat: Hominem ſine vlla fide non poſſe non peccare: atque adeo ineuitabiliter peccare. Quod ſic ſoluendum. Illum omninò peccaturum, ſed non niſi in eo quod aliquâ ratio-

ne vitare poterat, peccaturum. Nam etsi non posset vtroque modo vitare peccatum, id est per actum contrarium virtutis, & per alium actum peccati: nec vti in vitando vtroque genere libertatis contrarietatis & contradictionis: poterat tamen vno modo peccatum vitare, id est alio modo & actu peccati, atque adeo altero genere libertatis. Quæ ratio operandi satis est ad merendum in actibus virtutis, & demerendum in actibus peccati: vti nemo Theologus non confitetur. Imò & est hic modus ad asserendam Christi Domini libertatem necessarius. Quippe qui cùm esset (vndecunque id tandem proueniret) impeccabilis, atque adeo sic ad bonum determinatus, vt ineuitabiliter bonus eius actus futurus esset, liberè tamen operabatur bonum, quòd quem exercebat actum virtutis, is aut huius aut illius virtutis esse poterat; quòd si vnus tantùm & singularis ex præcepto Patris futurus erat, ne is quidem non erat liber, cùm ex diuersis motiuis elici posset. Vnde aliquâ semper ratione liber, quod versabatur in eo quod aliquâ posset ratione vitari: vel efficiendo alium actum, vel apponendo vni actui aliud, vel aliud motiuum.

Et quidem ista libertatis ratio firma & cer-

ta eſt. Ecce enim voluntas noſtra ad bonum in communi determinata eſt, nec circa illud habet libertatem contrarietatis: & tamen in amando bono libera eſt, quod non ſit determinata ad actus amandi, nec in indiuiduo, nec in ſpecie. Ita res habet in malo peccati: Voluntas ſine Gratia ineuitabiliter peccabit; & tamen liberè peccabit, cùm non ſit addicta vel huic ſpeciei, vel huic omnino actui peccati: proindéque & ſpeciem ſpecie, & actum actu vitare poſſit. Illud eſt autem accuratè obſeruandum multò maiorem eſſe libertatem iſtam voluntatis ſine gratia ad peccandum, quàm illam voluntatis ad bonum: nam voluntas ad bonum naturâ ſua & phyſicè, vt aiunt, eſt determinata, adeo vt nulla ratione odiſſe bonum cognitum poſſit. At verò voluntas infidelis determinata ad peccandum, non naturâ, ſed vitio, non phyſico impulſu, ſed defectu Gratiæ, quæ ſi adſit, in aliam partem id eſt virtutem conuertetur. Itaque illa determinatio prior voluntatis ad bonum naturalis eſt, hæc pœnalis ex peccato: Vnde illa ſimpliciter neceſſitas eſt: hæc ex accidenti ob innatum vitiũ neceſſitas. Neque verò hinc inferas, rationẽ huiuſce differentiæ poſſe liberam eſſe & dici illam determinationem vo-

luntatis ad peccandum, ac libertate contrarie-tatis spoliatam non esse: nam cùm libertas sit quiddam compositum ex physico, & morali, debeátque potestas esse proximè ad operandũ expedita, ad ídque non sit satis illa potẽtia physica, & impedita, non potest aut esse, aut dici libera ad operandum. Quod Augustinus agnouit cùm dixit ignorantiam Iudæorum, si Christum nõn audirent, non fore peccatum: quod aliud facere nequirent: cùm tamen sciret, eos si audirent & Gratiam haberent, credere optimè posse. Atque hac idem ratione dixit: *Non satis esse ad operandum bonum liberum arbitrium, nisi Dei gratia liberatum.* Quod autem tota hæc ratiocinatio Augustini sit accuratè probandum. Ac primùm, quod caput est, potestatem contrarietatis non esse omnino ad operandum liberè requisitam, docet contra Iulianum eam obstinatè exigentem Augustinus. Volebat enim ex eo conficere Iulianus voluntatem nostram ex se citra gratiam parem esse & virtuti & peccato, quod Augustinus negat docens nos sine gratia peccatum agere, non virtutem posse: neque hoc lædi libertatem peccandi. Ita enim Iulianus lib. 1. oper. imperf. pag. 146. *Voluntas eo ipso tempore, quo peccat, potestatem habet rece-*

August. tract. 89. in Ioan. & epist. 50. & lib. 3. ad Bonif. c. 3.

August. l. 1. oper. imp.

dere à malo & facere bonum, vt constet ratio libertatis. Cui sic Augustinus respondet. *Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum, liber Deus non est qui malum non potest velle:* Quo Iulianum aptè confutat. Nam quòd Deus non possit non velle bonum, non ideo quæ bona vult necessariò & ineuitabiliter vult. Præterea cùm de infidelibus sine gratia ad peccandum in genere determinatis ageret Augustinus, semper dixit eos ad indiuiduum determinatos non esse, atque adeo vitare peccatis peccata: vt ratio peccandi libera constaret: ac quod vitari posset in eo peccatum esset. Ita lib. de Contin. cap. 12. & lib. 21. de Ciuit. cap. 14. & quæst. 18. super Exod. & serm. in illud Apost. *Omne peccatum quodcunque,* &c. & præcipuè lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 3. vbi sic: *Non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Quod iterum ex ore Iuliani accipit lib. 4. cont. eund. cap. 3. magno in rem nostram momento. Nam ibi conante Iuliano ex hoc loco libertatem æquilibrij statuere æqualem ad virtutem & vitium, vsurpat locum Augustini de vitatione peccatorum, perinde ac qua potestate vitentur peccata peccatis, eâ vitentur virtutibus peccata.

Mi-

Mirari te dicis quod tam excellens meum non vidit ingenium, quantum vos iuuerim quia dixi. Aliis peccatis alia peccata vincuntur. Continuò quippe subditis, atque concluditis dicentes. Perfacile igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuuat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur, inquis, peccata peccatis, quanto magis possunt virtutibus peccata superari? En qua ratione conatur asserere libertatem contrarietatis ad virtutem & vitium, ex asserta ab Augustino libertate contradictionis: etsi subtiliter & vafrè abutatur Augustini sententiâ detorqueátque victoriam de peccatis ad maiores vires virtutis: quasi quód vitium vincatur à vitio, faciliùs à contraria sibi virtute superetur. Cùm non id ageret Augustinus, sed in eo esset, vt inuictè contra Iulianum probaret nullam sine fide & Gratia esse virtutem, ac proinde qui sine illa operarentur, in alia, atque alia subinde peccata esse casuros: adeo vt si vnum peccatum vitare vellent, quod ad libertatem in peccando necessarium erat, aliud peccatum agere deberent, quippe quibus potestas sine Gratia ad virtutem non esset. Quod autem Augustinus hanc defendendæ libertatis rationem, nec clarè, nec frequenter incul-

cat, illa causa est, quòd minus id ad disputationem cum hostibus Gratiæ pertinebat, qui eius semper iugulum petentes liberi vires arbitrij extollebant, aiebántque virtutes sine Gratia haberi posse. Cui vulneri auertendo Augustinus intentus eò vires ratiocinationis conferebat, vt necessitatem Gratiæ ex infirmitate voluntatis in lapsa natura ostenderet. Itaque retento quod satis erat ad libertatem reliquum Gratiæ tribuebat. Non tamen omisit exponere: quo pacto amissâ æqualitate arbitrij in vtramque partem & libertate contrarietatis, adhuc libera facultas in voluntate ad actus vnius tantùm partis contrariæ, quæ libertas quædam contradictionis est, remaneret. Nec verò non insignis est locus quo monstretur ista determinatio ad alteram partem contrarietatis cum libera potestate in species actuum actúsque huiusce rationis. Igitur ita Augustinus quæst. 18. super Exod. *Quamuis vniuscuiusque cordis in malitia qualitas, id est quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis, tamen qualitate malâ, vt huc vel illuc moueatur, cùm siue huc, siue illuc malè moueatur, causis fit quibus propellitur.* Viden', vt cor af-

fectum vitio & deprauatum malitia, addictúmque peccato, habeat tamen diuersos incitatum motus, quibus ad alia, atque alia peccata diuersis rationibus, id est motiuis variato impetu cieatur? Quo certè nihil in rem nostram aptius dici potuit. Suboritur hic scrupulus circa eas quas Augustinus necessitates cum Dauide, necessitudines cum Iob vocat, & ea quæ ex his peccata necessitate existunt, quæque *facta improbanda* idem dicit: An & quâ ratione necessitatis vim obtineant? Et quidem *Necessitates* Augustinus intelligit illa *duo pœnalia* contracta peccato Originali, *Ignorantiam & Difficultatem*, id est principia congenita peccandi: quæ rectè *necessitates* dicuntur, tum quòd insitæ naturæ, tum quòd ex iis necessitas quædam oriatur peccandi, quæ sine Gratia vitari non possit. Ac omnino tota Concupiscentiæ ratio eo nomine significatur: quæ peccati Originalis appendix est. Quod sic Augustinus ac toties expressit, vt superuacaneum sit probare. Illud autem nexum & consequens, de necessitate peccandi inde exorta, sæpe docet Augustinus, & nos proximè multis locis ostendimus. Estque hæc propria cum Pelagio, ac Pelagianis Augustini disputatio. Qui

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 10.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18. & de nat. & grat. cap. 67.

Lib. de nat. & grat. cap. 66.

Supra §. 13. & 14. & lib. de perf. inst. c. 4. & l. 1. oper. imperf. cōt. Iul. ibid. §. 13. & 14.

cùm naturam puram statuerent, vllóque infectam peccato negarent, & bonam esse Concupiscentiam dicerent: nullam esse necessitatem peccandi contendebant. Quam ex diuersis Scripturæ fideíque principiis Augustinus adstruebat. Patet ex lib. de Gest. Pelagij, & de natura & Grat. & lib. de spir. & lit. & epist. 105. ad Sixtum, & Psal. 35. & lib. 2. de peccat. merit. & remis. & lib. 1. ad Bonif. & lib. de Grat. & lib arb. & in Enchir. cap. 81. & serm. 4. de verb. Apostoli, & lib. de Fide & Symb. & lib. 1. de Doct. Christ. cap. 24. & lib. 1. ad Simplic. q. 1. & lib. 2. & 4. cont. Iulian. ac magna prorsus mole lib. 1. oper. imp. contra eundem. Vnde illam Theologi acceperunt qui docent neminem in hac vita peccatis carere: quod sit quædam, in nobis Concupiscentiâ corruptis, peccandi, vt ait Augustinus, *dura necessitas*. Vbi animaduertendum est diligenter aliud esse necessitatem peccandi, aliud peccari necessariò. Nam Augustinus admittit ineuitabilem necessitatem peccandi, negat tamen peccatum vitari non posse. Vnde cùm docet necessitatem esse peccandi, tradit necesse esse vt existant, fiántque peccata: vt vitari non possit eorum in hoc statu ruinæ existentia: cùm au-

tem tradit peccatum non esse necessarium, vitaríque posse, docet peccatum in se liberum esse & vitabile : atque adeo necessitatem cadere supra existentiam non super essentiam & rationem peccati, ita vt necessariò existant libera peccata. Quod philosophicè dicitur: Peccata in genere, seu collectiuè vitari nequeunt, in particulari & diuisiuè queunt. Qua item ratione Scholastici Theologi docent peccata venialia vniuersim, & collectim vitari non posse : singillatim & diuisim posse. Rursúmque à simili: Tentationem grauem diuturnam citra gratiam efficacem toto quàm longa est tempore, non posse vinci, posse verò singulis momentis superari.

Præterea necessitate existere, & necessarios esse motus quosdam concupiscentiæ, quibus stimulamur, & agimur, qui non sint in nostra potestate, imò & nobis & imprudentibus & nolentibus fiant, ante & citra omnem vsum libertatis author est multis in locis Augustinus. Quare lib. 5. contra Iulian. cap. 7. *naturales*, & cap. vltimo, *ingenitos*, & lib. 4. contra eundem cap. 2. *infrenes*, lib. 2. de nupt. & concup. *inobedientes*, ac *inordinatos* appellat: malos vbique & rationi ac spiritui contrarios

vocat, & nolentibus ac inuitis nobis fieri tradit. Vtrum verò dici peccata tum eorum semina, tum ij fructus ab Augustino soleant, accuratiùs intuendum. Igitur illè lib. 1. de nupt. & concup. cap. 23. *Peccatum Concupiscentiam* ex Paulo ad Rom. 7. vocat, & rationem reddit, *quòd & peccato facta est*, & *peccatum si vicerit facit*, & lib. 2. oper. imperf. contra Iul. *Eam*, inquit, *Apostolus peccati nomine appellat, quia & de primo peccato originem ducit, & quisquis eius motibus ad illicita consenserit, peccat*. Et lib. 2. contra Iulian. cap. 9. & lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. cap. 13. & lib. de perf. iust. cap. vlt. eadem ratione peccatum à Paulo dici affirmat. Vnde iam constat quo sensu sit *peccatum*, nimirum vt ait Augustinus lib. 1. Retract. cap. 15. *Hoc peccatum de quo sic locutus est Apostolus ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est*. Idem tradit lib. 1. de nupt. & concup. cap. 23. & lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. cap. 13. vbi docet minùs propriè dici *peccatum*, sed *sicut scriptura dicitur manus, quod manus eam fecerit*. Quod alia comparatione æquè aptâ declarat lib. de Nat. & Grat. cap. 67. quæ à lingua ducitur, quo vocabulo non membrum tantùm ori insertum, sed ipsum etiam ab

ipſa prolatum ſermonem dicimus.

De motibus Concupiſcentiæ id obſeruem eos *malos* & *deſideria peccati*, lib. 5. contra Iul. cap. vltimo, *infrenes, rebelles,* & *inquietos,* lib. 6. cont. Iulian. cap. 10. & lib. 4. cap. 1. & cap. 4. & lib. de perf. iuſt. cap. 6. appellari: nuſquam tamen, quod meminerim, vocari *peccata*. Nec enim debuit ſubitos illos animi motus, ſcintillas raptim ex igne concupiſcentiæ exilientes, citò tranſeuntes: nec vel ingenitos, vel deliberatos, peccata dicere: ſed igniculos peccati, cùm præſertim nec hæreant inſtar habitus voluntati, nec vitari poſſint à voluntate. Haud ſanè quiſquam ſcintillas ex igne ſubitò exiſtentes ignem dicat, etſi ex illis ignis exiſtat. Itaque Auguſtinus propriè *deſideria peccati* appellat, lib. 4. contra Iulian. cap. 8. & in. rem maximè cap. 2. *Quid autem agit in carne Sanctorum continentium iſta concupiſcentia, niſi peccandi deſideria? quibus non conſentientes exercent glorioſa certamina?* Itaque illicia ſunt, ſtimulíque peccandi, non peccata: nec æquum eſſet, appellari peccata, ne analogia peccatorum eſſet: quæ non eſt in peccato concupiſcentiæ, quòd vnum & innatum ſit: non multa, & elicita. qua ratione analogia vitatur: quæ à mul-

tis elicitísque inducitur. Nec mihi obiiciat quiſquam locum lib. 3. de lib. arb. cap. 18. quem refert, ac repetit Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 27. *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda vbi vult homo rectè facere, & non poteſt. Nam vnde ſunt illæ voces: Non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi malum hoc ago.* Et mox: *Sed hæc omnia hominum ſunt voces ex illa mortis damnatione venientium. Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt,* id eſt, indeliberati motus concupiſcentiæ. Vti inferiùs indicare videtur cùm ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras: ſed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis: iſta tua propria peccata ſunt.* Vbi *propria* vera & genuina peccata, non fucata, & impropria ſignificat, eiuſmodi erant illa de quibus ſuprà dixerat fuiſſe *improbanda*, & proximè *ignorantiam*, & *infirmitatem* appellarat, id eſt neceſſarios Concupiſcentiæ motus, qui propria peccata non ſunt. Nulla quippe eſt huiuſmodi obiectio, cùm contrarium euincat hic locus, & in primo libri de Arbitrio fonte, & in riuo lib. de Natura & Gratia, ídque tum ex nexu ſententiæ, tùm ex vocum notio-

ne

ne apparet. Etenim lib. de arb. Augustinus agebat de veris ac propriis peccatis, quæque vitari possunt: ac liberè & existunt & fiunt: quæ sunt propriè peccata, quòd omnino caueri possunt. Deinde addit aliud peccati genus quod necessitate committitur, & alteri opponit quod omnino liberè admittitur: ortum ex liberrimo peccato. Ac vt constet hæc esse ex necessitate, sed vera tamen peccata, exempla præsto sunt ea, quibus nemo refragetur. Nam illud Pauli, *Misericordiam consecutus sum quia ignorans feci*, & illud Dauidis: *Delicta iuuentutis mea & ignorantias meas ne memineris*, non motus indeliberatos, sed peccata significant: Deinde quàm ineptè argumentaretur Augustinus si veris ac propriis peccatis ex libertate opponeret, quæ non sunt ex necessitate peccata; sed inculpabiles omnino motus, cùm docere vellet non solùm liberè, sed necessitate peccari: atque adeo duo esse genera peccandi ex libertate & ex necessitate: illa peccata; hæc & peccata, & pœnas peccati. Præterea de veris ac propriis peccatis agi clamant ipsa vocabula, *per ignorantiam facta*, & *necessitate facta improbanda & corrigenda*, nam ij motus quî *facta* rectè dicantur? & quanquam omnino *im-*

probandi dici queant, aptè opinor nequeūt dici *corrigendi*, quod enim necessarium est ac indeliberatum quî corrigi & emendari propriè possit? Ac vt hoc minus cogat. An non cogit illud? *Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Nam opponendo pœnam naturæ in ratione culpæ, nihil efficeret adductis motibus, qui non sunt culpæ, imò naturæ similes, quòd culpæ non sint. Quid? quòd infert tanquam absurdum de quibus agit, ea nulla peccata esse: quo significat velle ipsa illa vera peccata fore. Accedit, quòd de iis factis, quæ ignorantiam & concupiscentiam consequuntur, & in actum prodeunt sermo est, præcedentibus qui in aduersum conentur motibus voluntatis: quos exprimunt illæ voces: *Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc facio.* In quibus est conatus & impetus voluntatis in bonum, qui tamen vincitur à renitente concupiscentia, & cæcante ignorantia: ex quibus illa peccata sequuntur: quæ Augustinus proponit. *Nec mirandum est, quòd vel ignorando, non habet liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quid rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere.* Hæc

puto ad deliberatos voluntatis actus pertinent. Nec minùs illa, *vt qui sciens rectè non facit amittat scire quid rectũ sit, & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cũ velit.* Alia verò actus omnino voluntarios & perfectos exigunt. *Approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare.* Hæc enim non imperfectis illis animi conatibus fiunt: imò contra conantis in aduersum animi impetum in actum prodeunt. Tandem quo pacto de stimulis prauis Concupiscentiæ quæ sunt desideria peccandi, hic accipi locus potest, vbi boni animæ rectè operari volentis motus proponuntur? Nam illud, *Non quod volo facio bonum, & quod odi malum hoc ago:* apertè significat opera quæ deliberata sunt, esse mala, & conatus motúsque inchoatos esse bonos. Facit enim homo contra cupiditatem boni, *Quod volo bonum,* & odium mali, *Quod odi malum.* Habet quippe anima fidelis, de qua hîc loquitur Augustinus, vti motus ad malum malos, ita motus ad bonum bonos: quibus resistens aut bene operatur, aut malè. Hoc autem loco conatus sunt boni, opera verò mala. Vnde apparet non aptè posse de malis stimulis, sed de operibus

eum malis intelligi. Hæc maximam partem quadrant in eundem locum adductum lib. de Nat. & Grat. vbi id & hoc ampliùs confirmatur: quod ibi Augustinus docebat, neminem hac in vita immunem esse à peccato: id est actuali peccato. De hoc enim controuersia erat cum Pelagio, vti nemini non est compertum. Cùm igitur hoc argumento probet Augustinus hanc vitam sine peccatis transigi non posse, non est nisi de veris ac propriis peccatis interpretandus. Quare clausula illius sententiæ: *Ista tua propria peccata* sunt, eò pertinet, vbi, cùm de primi contagione peccati quod maximè liberum fuerat, & nobis traduce infusum egisset, illud tanquam alienum, quòd nos non commisimus, sed contraximus proposuit: vt quæ à nobis sunt admissa, ac ex eo consecuta nostrûm omnium *propria* esse mõstraret.

ART. VIII.

Illustris & valida ex locis Augustini obiectio contra proximam doctrinam proponitur.

DVO supersunt. Alterum dubium: Altera obiectio: & quidem haud parui vtrumque momenti. Remoueamus obiectionem, vt dubio expeditiùs occurramus: ídque faciliùs

explicemus. Contra eam quam tradidimus de vitando peccato doctrinam sentire omnino Augustinus videtur: docens quædam necessaria ineuitabiliter esse peccata: ac ita perspicuè vt negari nullâ ratione possit. Ergo Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 67. locum illum suum tantoperè celebratum lib. 3. de lib. arb. cap. 18. de ratione vitandi peccati sibi à Pelagio obiectum ita explicat, vt non possit cum nostra sententia cohærere. Nos enim, ex eo diximus peccatum eâ esse ratione vitabile, vt in ipso actus exercitio vitari posse deberet. Ita vt non modò per Gratiam vitandum, sed ratione suâ, quòd nostræ aliquo modo potestatis esset, vitandum esset. Hoc autem manifestè negat Augustinus, qui eâ solâ ratione vitari posse peccatum docet, quæ Gratiâ continetur: vt non aliter vitabile sit quàm ope Gratiæ. Illum oportet audire: *Veniamus*, inquit, *ad nos* (eum quippe citarat Pelagius) cuius verba citantis sic proponit. *Item Augustinus Episcopus in libris de libero arbitrio: Quæcunque ista est causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur: An tanta fallacia est,*

Lib. de nat. & grat. cap. 67.

vt caueri omnino non poßit. Si ita eſt: nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt? Peccatur autem, caueri igitur poteſt. En locus. Reſponſum accipiamus. *Agnoſco: verba mea ſunt, ſed etiam ipſe dignetur agnoſcere ſuperiùs cuncta quæ dicta ſunt. De Gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur non de impoßibilitate iuſtitiæ. Poteſt ergo ei cauſæ, quæcunque illa eſt, reſiſti? Poteſt planè. Nam in hoc adiutorium poſtulamus dicentes: Ne nos inferas in tentationem: quod adiutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus. Poteſt peccatum caueri, ſed opitulante illo qui non poteſt falli. Nam & hoc ipſum ad cauendum peccatum pertinet, ſi veraciter dicimus: Dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Duobus enim modis in corpore cauetur morbi malum, & vt non accidat, & vt ſi acciderit, citò ſanetur. Vt non accidat caueamus dicendo: Ne nos inferas in tentationem. Vt citò ſanetur caueamus dicendo: Dimitte nobis debita noſtra. Siue ergo immineat, ſiue inſit, caueri poteſt.* Quo docet vnâ tantùm Gratiâ caueri peccata poſſe: atque hoc tantùm ſenſu dixiſſe poſſe peccatum vitari. Idque confirmant ſequentia: quæ

ad causam Gratiæ faciunt. Addit multum Augustinus momenti illâ paulò antè scriptâ sententiâ. *Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque vt eadem necessitas non sit discat Deo dicere: De necessitatibus meis educ me.* Hoc accepto, & aliâ Augustini arreptâ sententiâ, Deum non omnibus Gratiam dare: manifestum est quibus Gratiam negat, eos peccata vitare non posse, cùm aliter cauere non possint. Nec tantùm hoc consequens ex Augustini doctrina, sed ipsissima eius doctrina est, quippe qui tradit homines ob inuoluntariam, atque adeo inuincibilem ignorantiam, & omni Gratiæ præsidio destitutos peccare: & ob hæc peccata puniri. Ergo lib. de Nat. & Grat. cap. 17. & Epist. 105. ad Sixtum, & lib. de Grat. & lib. Arb. & in Psal. 36. duo proponit ignorantiæ genera: alterum voluntarium eorum qui scire nolunt: alterum eorum qui etsi velint scire non possunt; & vtramque dicit esse culpabilem: cui iusta sit à Deo pœna constituta. Vnum è quatuor eligo locū reliquis clariorem. Is esto ex Epist. ad Sixtum. *Humana superbia tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij excusatam se putat, quando ignorantia non volun-*

tā-

tatis est quod peccat. Ac vt mentem suam aperiat: *Ac per hoc*, inquit, *inexcusabilis est, vel reatu originis vel additamento etiam propriæ voluntatis, siue qui nouit, siue qui ignorat: siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio.* Quare huiusmodi ignorantiam, *miserabiles tenebras* appellat: quæ cùm depelli non posſint reos culpæ homines faciant, & obnoxios pœnæ. Vnde illud, *Ignari, & carni subditi nascimur.* Et aliud: *Peccante primo homine vitium pro natura inoleuit: si vitium pro natura inoleuit: secundùm mentem omnis homo cæcus natus est: si enim videt non habet opus ductore.* Ex quo deducit Augustinus contra Pelagium: non voluntariam tantùm ignorantiam quod aiebat, sed ingenitam & necessariam quod negabat, esse culpabilem: quòd ex peccato nata esset, ac eo infecta pestem ad nos transmitteret. Nam cùm Pelagius diceret: *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non eueniunt secundùm voluntatem, sed secundùm necesſitatem.* Augustinus hanc propositionem hæreticam esse

Lib. de nat. & grat. c. 40.

Lib. 3. de lib. arb. c. 19.

Tractat. 44. in Ioan.

Lib. de gest. Pelag. c. 18. & vlt.

eſſe pronunciat, ac inter damnatas à Pelagio vndecimo loco refert: quòd ſentiret ignorantiâ etiam neceſſariâ, & ineuitabili peccari. Alio item libro eandem Pelagij ſententiam damnat: docétque eum, non ſolum eſſe peccatum: *Non curaſſe ſcire, ſed etiam intelligere velle, nec poſſe & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit.* Præterea contra Iulianum diſputans proteruè negantem neceſſitatem peccandi ex ignorantia ortam ſumma vi contendit: *neceſſe fore vt peccet is à quo ignoratur iuſtitia:* & *qui neſciendo quid facere debeat quod non debeat facere facit.* Aítque. *Multum erras qui vel neceßitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam quod nulla neceßitate commiſſum eſt.* & concludit: *Huiuſmodi peccatis de ignorantia neceßitate venientibus plenum eſſe genus humanum.* Ne cui autem dubium eſſe poſſit quâ de ignorantia ſermo eſſet, præterquam quod ex mente Pelagij & Iuliani ſatis conſtet de ignorantia omnino neceſſaria, & ineuitabili diſceptari, facit locus Auguſtini qui perſpicuè illam & rem totam videtur continere. Is eſt ille celeberrimus ac ſæpe vſurpatus lib. de lib. arbit. 3. cap. 18. de cauendi poteſtate peccati:

ib. c. vlt.

Lib. de nat. & grat. c. 17.

Lib. 1. imperf. oper. cōt. Iulian.

vbi poſtquam dixit Auguſtinus: *Peccatur autem, caueri igitur poteſt.* Perinde ac exciperet ab hac regulâ cauendi certa quædam peccata quæ omnino caueri vitaríque non poſſent, ait: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quadam improbantur & corrigenda iudicantur.* Quo ſignificat huiuſmodi ignorantiam, & quæ ex illa exiſtunt peccata opponi iis quæ proximè vitari poſſe dixerat. Vnde, *& tamen*, inquit, *ſunt*, id eſt. Cùm omnia peccata vitari poſſint: ſunt tamen quædam quæ vitari non poſſunt. Mox occupat obiectionem, aiens, non eſſe mirum quòd iſta vitari nequeant, ita enim ſunt peccata, vt ſint etiam pœnæ peccati. *Sed hac omnia hominum ſunt voces ex illa mortis damnatione venientium:* Ac ne quis aliò elaberetur opponens ea non eſſe peccata, obſtitit dicens: *Nam ſi iſta non eſt pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt.* Vnde apertè concluditur ignorantiam illam eſſe ineuitabilem & cum ea tamen peccari, atque adeo ineuitabiliter & neceſſariò peccari, cùm peccatur in eo quod vitari cauerique non poteſt. Et ſi verò poſteà doceat Auguſtinus huiuſmodi ignorantiam & peccata connexa caueri vincíque ope Gratiæ poſſe, cùm ad id fides ne-

cessaria sit: sequitur omnino eum, qui careat Fide & Gratiâ, illa vincere, & cauere non posse, ac proinde peccare in eo quod vitare non potest.

ART. IX.

Soluitur prima pars obiectionis, & ratio vitandi peccati exactè omnino, ac perspicuè traditur.

VT tota obiectionis, quæ sanè valida est, moles euertatur, ab hoc quod proximè adduximus testimonio incipiendum. Igitur Augustinus contra Manichæos radicem peccati: contra Pelagianos rationem vitandi inquirit. Manichæi ponebant radicem in necessitate naturæ, non in libertate arbitrij: Pelagiani collocabant rationem vitandi in liberi potestate arbitrij, non in auxilio Gratiæ. Contra Manichæos statuebat Augustinus radicem peccati esse non naturam, sed arbitrium, afferens libertatem peccandi, & indifferentiam arbitrij: ad ídque naturam puram, integrámque in statu erecto reponebat, cum æquali ad faciendum & vitandum peccatum potestate. Contra Pelagianos mutato in deterius statu naturæ & arbitrij ex peccati ruina necessitatem peccandi inducebat, negabátque rationem vitandi peccati esse vim arbitrij: & in

auxilio Gratiæ collocabat. Vt errorem Manichæorum refelleret, docebat naturam esse non posse radicem peccati, quòd quicquid ex ea esset: naturale, & necessarium, & omnino ineuitabile futurum esset, cùm peccatum liberum ac in potestate voluntatis esse deberet. Id vt exprimeret, monstrabat peccatum *vitari cauerí*que posse, atque adeo illius radicem non posse in natura, sed in arbitrio collocari. Non negabat tamen Augustinus in statu lapsæ naturæ necessitatem esse peccandi, at eam non ex instituta naturâ, sed vitiata esse: ac ne quis Manichæus falleretur putans ea peccata esse, & vitari tamen non posse, cuiusmodi peccata ex natura ipsi fingebant, occurrebat Augustinus illa peccata esse vitabilia per Gratiam: atque adeo simpliciter vitari posse: vnde constabat longè diuerso modo se habere, ac peccata, quæ affingebant naturæ. Hæc omnino continet ille locus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. Hoc argumentum Pelagiani in vsus suos conuertebant: & in Augustinum retorquebant. Nam id quod dixerat: radicem peccandi, & non peccandi esse arbitrium, vendicabant, aiebántque posse solius voluntatis viribus vitari peccatum; id autem quod addiderat pec-

catum esse vitabile; arripiebant, negabántque peccandi necessitatem: ac suis armis Augustinum petebant: quasi qui docuisset in libero arbitrio esse rationem, & admittendi & cauendi peccatum, non posset docere peccatum sine Gratia vitari, vincíque non posse: & à quo traditum esset peccatum esse vitabile, is tradere non posset necessitate peccari. Sed Augustinus firmiter veritati adhærens stat in gradu: & labi Pelagianos ostendit in eo quod status naturæ non distinguant: se enim rectè de naturâ integrâ rectáque dixisse peccata per liberum arbitrium posse vitari, quod vitiatum debilitatúmque non esset: de hoc aliter in natura lapsa, misera, captiuáque iudicasse: in hanc enim amissâ gratiâ, & rectitudine incubuisse necessitatem peccandi, quam sine gratia vitare non posset.

Nunc locus intelligitur, nec ex eo quicquam contra doctrinam proximè traditam colligitur. Nam quod peccatum vitabile esse debeat, id certum firmúmque esse debet: nisi enim esset, non rectè Augustinus, peccari naturâ non posse, contra Manichæos traderet. Hinc est illud: *Quæcunque ista est causa voluntatis*, ac si dicat: vtcunque cætera se habeant,

siue constent, siue non constent: illud ratum sanctúmque esto: *Si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Hoc spectat ad infirmitatem. Hinc illud: *An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur.* Hoc spectat ad ignorantiam: En duo principia peccandi. De altero id est ignorantia. *An tanta*, inquit, *fallacia est, vt caueri omnino non possit?* Nota, *Omnino. Si ita est, nulla ergo peccata sunt:* Addit: magno momento. *Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo potest?* Rursum obserua, *nullo modo.* Perinde quasi adynaton esset peccatum esse ineuitabile, admirando concludit. *Quis enim peccat?* Hoc tam firmum putat Augustinus, vt non modò cùm naturâ peccatur, quod aiebant Manichæi, sed & cùm voluntate peccatur, quod remittit de suo, non possit ineuitabile omnino esse peccatum: cùm nisi vitari aliquo modo possit, non possit esse peccatũ. Nihil hinc cõtra ea quæ diximus de vitatione peccati cõcluditur. An ex sequentibus quicquam contra vel necessitatem peccandi vel libertatem in peccando euinci possit, accuratè inspiciamus. Ait Augustinus: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur.* Ex illa quasi arce & specula disputationis solitariæ, ac ex naturâ rei,

& vt aiunt ſpeculatiuè, conceptæ, ad praxin mutato iam ſtatu deſcendit, ac in natura lapſa affirmat quædam eſſe neceſſaria peccata. De quibus ſtatim docet: non eſſe æquè ac illa, quæ potuerat, neceſſaria, quod aliquâ ratione vitari poterant: cùm priora nullo poſſent modo vitari. Vnde eſt illud, eſſe *pœnalia peccata*, id eſt certâ quadam neceſſitate, ſed non omnino ineuitabili neceſſaria: quâ ſunt à prioribus notâ diſtincta. *Nam ſi non eſt iſta pœna hominis*, inquit, *ſed natura: nulla iſta peccata ſunt*. Tradit certam quandam neceſſitatem eſſe peccandi, quæ cùm pœnalis eſſet, nec poſſet naturâ vitari, Gratia tamen addita naturæ vitari poſſet. Vnde concluſit radicem peccandi eandem eſſe, id eſt liberum Arbitrium, in omni ſtatu naturæ: cùm nemo niſi voluntate peccet: non tamen eandem rationem vitandi peccati eſſe: cùm in natura erectâ ratio vitandi eſſet arbitrium: in lapſa ratio vitandi eſſet Gratiæ auxilium. Quare illud demum pronuntiat. *Etiam ipſam naturam aliter dicimus cùm propriè loquimur naturam hominis, in qua primùm in ſuo genere inculpabilis factus eſt: aliter iſtam, in qua ex illius damnati pœna & ignari; & carni ſubditi naſcimur: iuxta quam dicit Apoſtolus:*

Fuimus enim & nos naturaliter filij iræ. Itaque id tantùm ex hoc loco euincitur: peccata lapsæ naturæ necessariò ex pœna peccati euenire, quæ necessitas non sit naturæ institutæ, sed damnatæ, rationémque vitandi non in arbitrio seruiente, sed in Gratia liberante quærendam: stante semper in arce veritatis illâ sententia: Peccatum illud demum esse, quod aliqua possit ratione vitari.

Obseruandum tamen Pelagianos cùm de vitando peccato agebant, libertatem contrarietatis statuere, ita vt dicerent esse in arbitrio libero nostro vim ad actum peccati & actum virtutis faciendum: putabántque non posse dari libertatem ad vnam tantùm partem contradictionis quemadmodum suprà diximus: nec distinxisse necessitatem existentiæ, & essentiæ peccati, qùod antè occupauimus. Vnde Augustino impingebant tollere libertatem in peccando, cùm tollebat libertatem ad vincendum ex virtute peccatum: & quæ peccata necessitate fieri dicebat, necessaria esse peccata: atque adeo necessariis omnino actibus & ineuitabilibus peccari: contrà quàm aduersus Manichæos docuerat. Quibus Augustinus ita respondebat. Primùm. Ad peccandum esse in nobis

po-

poteſtatem : non eſſe ad vincendum, niſi per Gratiam, ex virtute peccatum. Cum hac determinatione ad peccandum ſtare adhuc libertatem peccandi. quod exemplo Dei à contrario ſuadebat, qui ad bonum cùm ſit determinatus liberè tamen bonum operatur. Itaque determinationem ad genus, non auferre libertatem ad ſpecies, & indiuidua peccatorum. Neceſſitatem peccandi quæ à ſe poneretur, eſſe ad exiſtentiam peccatorum in genere, non vel ad exiſtentiam in ſpecie, vel in indiuiduo. Quare neceſſe eſſe vt fiant peccata, non tamen vt hæc aut illa fiant peccata, ac proinde fore neceſſarium vt peccata exiſterent, non tamen vt per actus neceſſarios peccaretur. Itaque nunquam in eſſentia neceſſarium eſſe peccatum, in exiſtentia verò quoad genericam neceſſariũ, quoad ſpecies interdum eſſe neceſſarium, quoad indiuiduum nunquam neceſſarium eſſe peccatum: vt cùm peccatur, actu ſemper indiuiduo liberóque peccetur. Non tam ſunt iſta in Auguſtino perſpicua, quòd argumenta non eò duxerint, quò nos deducimus. Sed iacta ſunt tamen ab Auguſtino principia, vnde huiuſmodi doctrina ſequatur. Ille quippe non minus in perſpiciendo acutus, quàm in reſpõdendo aptus cùm omnem

veritatis orbem videret, non omnem tamen explicabat, sed ad nutus aduersariorum se conuertens, quâ parte veritatem petebant, eâ propulsabat, & petitionem aptâ ratione refellebat.

Verùm ex iis quæ disputando tradidit ea consequuntur, quæ ad tuendam causam libertatis in peccando sint satis. Eamus gradatim per disputationum formas, & ad Arcem libertatis ascendamus. Tradens contra Manichæos, *Naturali necessitate non posse peccari.* Statuit liberum omnino fore peccatum. Addens neminem peccare in eo quod non possit vitare. Docet cuiusmodi necessitas sit quæ tollat rationem peccati, & cuiusmodi sit libertas quæ sufficiat ad peccandum. Adiiciens esse quandam peccandi necessitatem ex peccato tanquam pœnam consecutam; ostendit fore quandam necessitatem quæ stare possit cum peccato. Pergens declarare quomodo huiusmodi necessitas vincatur à Gratia demonstrat illam fore necessitatem vitabilem. Hic paulum restitit Augustinus: cùm Pelagiani insurrexerunt obiicientes ex eo sequi tolli libertatem ad peccandum, quòd sublatâ potestate vincendi viribus arbitrij peccatum, manebat arbitrium determinatum ad vnam tantùm partem, id est ad

peccandum. Faſſus id ingenuè Auguſtinus: concedens id genus libertatis ad vincendum virtute peccatum non eſſe in poteſtate lapſæ naturæ. Vrgente Iuliano: ſublatâ huiuſmodi in oppoſitos actus poteſtate non relinqui libertatem in voluntate ad peccandum. Negat Auguſtinus docens non eſſe neceſſariam ad libertatem poteſtatem contrarietatis: cùm ſatis eſſet poteſtas contradictionis. Suaſit exemplo Dei qui malum cùm agere non poſſit, tamen liber eſt ad bonum. Hucuſque rectâ diſputando Auguſtinus proceſſit. Reliqua ex obliquo nos docuit: nam inſtante Iuliano noſtræ poteſtatis eſſe bonum & malum operari, ac proinde dari actus moraliter bonos ad quos naturalis facultas ſufficeret. Reſtitit Auguſtinus negans vllam eſſe in noſtra poteſtate naturali virtutem. Vterque ſanè conſequenter ad ſuam de libertate arbitrij ſententiam: nam Iulianus qui ſanam & valentem & in vtramque partem contrarietatis liberam voluntatem ſtatuebat, vindicabat virtutem & peccatum. Auguſtinus verò qui vitiatam & infirmam, iacentémque inducebat, ſolam ei ad peccandum poteſtatem relinquebat: vnde peccata admittebat, virtutes recuſabat. Propiùs tum

Lib. 1. oper. imp. fol. 150.

agenti, & acriùs se inferenti Iuliano: quod non nosset aliam rationem vitandi peccati, nisi ex contrario actu virtutis, id effecit, vt ab Augustino, quod optandum omnino erat, haberemus. Retentâ enim suâ de potestate peccandi, ac libertate contradictionis sententiâ, docuit rationem vitandi, quam Iulianus in virtute ponebat, in alio peccato esse ponendam. Itaque cùm vitabatur peccatum, quod necesse erat dicere, non per actum virtutis, sed per alium actum peccati vitari. Vnde conclusit, *Non*, id est virtutibus, *vitia coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Totiésque id inculcat, vt vix aliud frequentiùs in hac disputatione occurrat. Quare dubium nemini esse potest, quin Augustinus hanc libertatis rationem tradiderit, quæ contradictionis appellatur: & ab exercitio actuũ sumitur, ac in eo omnino totam de libertate ac necessitate doctrinam contineri. Nec enim, an id rectâ, an obliquâ ratione tradiderit, (modò constet tradidisse) quicquam interest ad causam, cùm præsertim non extra causam tradita videantur ab eo, qui contra Iulianum libertatem illam oppugnantem disputabat.

Lib. de contin. c. 12. lib. 4. contra Iulian. c. 3. qu. 8. in Exod. lib. 1. de nupt. & concup. c. 3.

Hoc itaque vindicato: peccatum in exercitio vitari semper aliquo modo & debere &

posse: constat doctrinam Augustini hanc omnino esse, quam statuimus: Non posse ineuitabilem actum esse peccatum. Argumentis verò in oppositum adductis ita occurritur. Primò ex impotentia rectè operandi sumpto respondetur. Hominem qui Fide careat & Gratiâ: cum ad peccandum in genere determinatum esse: ac non posse agere nisi peccatum: sed tamen adhuc in peccando liberum esse, cùm ad nullum certum peccatum sit determinatum: & in exercitio singula possit vitare peccata: quod satis est ad libertatem.

ART. X.

Pars obiectionis secunda validior eliditur, & integra Augustini circa peccata ignorantiæ doctrina proponitur, & illustratur.

SECVNDVM ex ignorantia ineuitabili & originali ductum soluimus, admissâ illâ Augustini diuisione ignorantiæ voluntariæ, & inuoluntariæ: dicendo, quæ prorsus inuoluntaria & inuincibilis sit ignorantia, in ea actuale peccatum esse non posse: in qua actu insit peccatum eam non omnino inuoluntariam & inuincibilem esse: vti non modò in genere, sed in specie ac exercitio tradidit Augustinus in-

ducto exemplo, *ignorantiæ Iudæorum conditionatæ qui nisi audirent non peccarent.* Et *ignorantiæ fidelium respectu communionis cum parte Donati*, in qua; (etiam dato quòd recta esset Donatistarum hæresis) non peccaret ille fidelis qui cùm eam nesciret ad eam non accederet: & ignorantiæ illius *qui ignorans rem esse furtiuam & feminam esse coniugatam*, ob vtriusque vsum nec furti, nec adulterij tenetur. Quòd autem in aliqua ignorantia inuincibili peccatum agnoscere Augustinus videatur, vti alia exempla suadent, id sic est expediendum. Igitur Augustinus contra Pelagium docet ignorantiam non modò voluntariam, & acquisitam esse, sed etiam ex peccato innatam cum concupiscentia. Id enim negabat Pelagius. Quare cum Augustinus conuincebat, sicuti nobis inerat congenita concupiscentia, ita & inesse ignorantiam, vtramque pœnam peccati, atque adeo & peccatum & causam peccati: sed ita tamen peccatum, vt habitus esset non actus, vti concupiscentia, ex qua tamen ignorantia orirentur actus peccandi, quod omnino verum est, & contra Pelagium dictum. Ex hac doctrina quid velint adducta exempla patebit. Nam quædam eorum monstrant huiusmodi igno-

rantiam non excuſare ab æterna damnatione, cùm ſit pars ſeu appendix originalis peccati, cui damnatio debetur: ac proinde non excuſet, nec liberet à damnatione cùm ad eam pertineat. Ita tamen vt propter eam præcisè vt habitus eſt non augeatur damnatio: nec noua ei, præter originali peccato debitam, pœna adueniat. Vnde vigilantiſſimè Auguſtinus, cùm de hac loquitur ea ſemper verba vſurpat, quæ non nouam & actualem pœnam inducant, ſed quæ pœnam originali peccato debitam ſignificent, & tantùm excuſationem à damnatione remoueant. Id, eo illuſtriore quem adduximus loco perſpicuè habetur. *Per hoc*, inquit, *inexcuſabilis eſt, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis.* Docet: aliam eſſe ignorantiam originalem, & ex ea damnationem: aliam ignorantiam voluntariam & actualem, & damnationem ex ea ſecutam. Itaque neutram à ſuâ damnatione excuſare: illam ab originali culpæ debita, hanc ab ea quæ debetur actualibus peccatis. Vtroſque fore damnandos, ſed tamen diuerſa ratione damnandos, quemadmodum alibi tradit. *Illa ignorantia*, inquit, *quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt neminem ſic excuſat vt ſempiterno igne non ardeat*; vbi illud, *ſic*

excusat, limitem ponit damnationi, vt tantùm non excuset ab illa quæ debetur peccato originali: docens hanc ignorantiam ab inferno neminem liberare. In hoc pares esse hasce duas ignorantias, vt neutra excuset à pœna, & vtramque sequatur damnatio. *Vtriusque*, ait, *non est iusta excusatio, sed iusta damnatio.* Rursum in eo dispares esse, quòd vna grauiùs, altera mitiùs sit punienda, *vt mitiùs ardeat.* Qua ratione solet Augustinus dicere: qui cum solo peccato originali decedunt, damnandos fore: sed in *mitissimâ pœna futuros*, & *tolerabiliùs damnandos.* Quòd autem dixit, *fortasse vt mitiùs ardeat*, significat ibi non de sola ignorantia præcisè agere, sed de illa quæ cum actualibus quibusdam sit peccatis cõiuncta ex illa ignorantia existentibus ob quę sit peccator ille damnandus. sed mitiùs tamẽ, quàm qui sciẽs peccat damnandus: vti constat ex eo quod ait: *Excusatũ se putat, quando ignorantia, non voluntatis est quod peccat.* Qua de re latiùs infrà dicemus. Verùm si præcisè de ignorantia sermo sit, quæ Nescientia sit, & originalis, & ineuitabilis, & *peccati pœna*, hæc vti ab omni excusat peccato actuali, ita nullâ punitur certâ & stata pœnâ: sed ab eâ tamen non eximit, quæ originale sequitur peccatum. Hinc est illud: *Quamuis*

se ipsi excusare videantur, id est peccantes ex ignorantia dicendo non audiuimus: *non accipit tamen hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum, eique obedientiæ dedisse præceptum: nec nisi eius quo malè vsus est libero voluntatis arbitrio, etiam quod transiret in posteros manasse peccatum.* En iam præcisè de ignorantia quâ se excusabant peccatores agit: aitque ipsam in qua erat ratio excusandi non liberari à gehennâ, etsi peccatum actuale non esset, nec actu peccantes constitueret: etsi enim hac ratione peccantes non essent, peccatores tamen esse, id est ex origine peccatores. *Neque enim*, inquit, *damnantur, qui non peccauerunt: quandoquidem illud ex vno in omnes pertransiit, in quo ante propria in singulis quibusque peccata omnes communiter peccauerunt.* Occupat excusationem, dicentium, se quod ignorarent, non peccare, quare nec posse iustos se damnari: occurrens: iustos non esse, qui ex origine peccatores essent, atque adeo damnari vt peccatores, non vt iustos damnari.

Nescio an idem docuerit distinctiùs, cùm dixit: Qui non audissent fidem Christi: & tamen aliunde peccassent, eos ab illo vno liberos fore, quo ignorassent Christum: cæterorum

reos fore. *Dicit Dominus in Euangelio. Si non venissem, & locutus eis fuissem peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Non vtique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis, multísque peccatis: sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo cum non audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asserit: qua possent dicere: Non audiuimus ideo non credidimus.* Secreuit à peccatis ignorantiam illam, sed non exemit à damnatione æterna: Vnde ait, *Dei tamen iustum iudicium, nec illis parcit qui non audierunt: quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Quomodo autem damnet, & quâ pœna puniat istos ignorantes, mox explicat eâ quam proximè citauimus sententiâ. *Et quamuis se excusare videantur*, vbi tota excusandi ratio penes solam ignorantiam est: quæ licèt ab aliis pœnis excuset, ab æterna tamen damnatione non excusat. Itaque loci in quibus tradit Augustinus huiusmodi ignorantiam pœnâ puniri sempiternâ; de eadem intelligendi sunt pœna quâ punitur originale peccatum: ex quo sequitur eam ad huiusmodi peccati genus pertinere.

Quia tamen quidam ſunt loci in quibus videtur Auguſtinus tradere, huiuſmodi ignoranti m eſſe propriè & actu peccatum: cui certa & ſtata pœna reſpondeat: eorum doctrina eſt. Peccatum non ineſſe ignorantiæ ineuitabili, ſed ei quæ & aliquâ ratione vitari poſſit, & ex qua exiſtant peccata. Vnde vtramque fermè Auguſti nus coniungit, id eſt ignorantiam cum appendice peccati, vt cùm ſit certa culpa, & ſtata ei pœna debeatur. Itaque ſinguli ſi expendantur loci illa occurrent verba, quæ huiuſmodi ſenſum contineant: lib. igitur de Nat. & Grat. cap. 17. impugnans Pelagium docentem in ſola culpabili & vitabili ignorantia ineſſe peccatum, opponens aliam ignorantiam non carere peccato, ait: *Aliud eſt non curaſſe ſcire: quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.* Duo hîc obſeruo: Alterum non eſſe neſcientiam, intel igere velle, nec poſſe: cùm nemo velit quin norit; vnde nolle iam inuoluit quiddam ſcientiæ, etſi ru le & inchoatum, quod non poſſit per infirmitatem ſatis cognoſci. Alterum addidiſſe Auguſtinum, *non poſſe intelligere & facere contra*

legem non intelligendo: in quo eſt actionis peccatum ab ignorantia profectum. Quare, qui tum peccat non brutâ ignorantiâ, ſed inerti peccat, & ex hoc peccato in aliud quod non eſt ignorantia incidit. Eadem eſt mens alterius loci Pſal. 35. vbi duas ignorantiæ formas proponens rurſum ait: *Aliud eſt quando quiſque conatur intelligere, & per infirmitatem carnis non poteſt.* Nam conatum intelligendi, lux aliqua mentis præcedit, etſi obtuſa & maligna, quam ſi exterit infirmitas, ei potiùs quàm ignorantiæ culpa tribuenda. Deinde ad illud, *noluit intelligere vt bene ageret,* defectum prioris, id eſt inuoluntariæ ignorantiæ non extra voluntatem ponit. *Videtis quia voluntati illud tribuit, quia ſunt homines qui volunt intelligere, & non poſſunt.* Quî enim velint, quin viderint, quod velle poſſint? Ac ne ſola ignorantiæ cauſa eſſet, addiderat peccatum, cùm dixerat de ignorantiæ peccatis: *Non ſciebam quia peccatum eſt quando dicit homo? Cùm viderit quia peccatum eſt, & deſtiterit facere ipſum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat.* Quòd ſi quis neget peccare quenquam in eo quod ſi malum eſſe noſſet non faceret, & à quo deſiſtit cùm nouit, ſciat is eſſe quædam minuta per

deceptionem, & ſubreptionem peccata, quæ ex venialibus ſunt, & ita admittuntur à nobis vel perplexis, vel torpentibus, vt cùm lux vberior, & vigor animi fortior acceſſerit, & eorum nos pudeat, & ab iis continuò reſiliamus. De quibus Auguſtinus lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 2. refellens Pelagium: *Vnde fit conſequens, vt nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc eſt ne tentatione vincamur, vel cùm fallit & praeoccupat neſcientes, vel cùm premit, atque vrget infirmos.* Et lib. 1. ad Bonif. cap. 3. *Nec enim agit in eis etiam qui ſuadet & decipit, niſi vt peccatum voluntate committant, vel ignorantiâ veritatis, vel delectatione iniquitatis: vel vtroque malo & cæcitatis & infirmitatis.* Vbi apertè docet ne fallaciæ quidem & deceptionis peccata ſine voluntate committi: cuius motus etſi in altâ illâ mentis caligine vix extent, deprehenduntur tamen cùm in iis exiſtit peccatum. Quod ſi vllum eſt aliquâ & luce cognoſcitur, & voluntate committitur, & ratione vitatur. Hac de re perſpicuè ac præclarè Auguſtinus lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 17. qui capitalis omnino eſt locus. *Nolunt*, inquit, *homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet, an iuſtum ſit: ſiue quia*

non delectat. Duo statuit notissima peccandi principia: ignorantiam & infirmitatem. Vnde addidit: *Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem: ne moueatur ad faciendum opus bonum, &c.* Si de ignorantia prorsus ineuitabili sermo esset, non diceret Augustinus: *Nolunt homines*, ergo cùm de eadem ignorantia dicit: *Non possunt*, ea ratione dicit, vt ipsum non posse, intra voluntatem sit. Sed cùm duplex sit voluntas: altera inchoata & imbecillis: altera perfecta & robusta, prima satis est ad peccandum, non ad vincendum peccatum. Quare *velle* dicitur, cùm peccatum: *non posse* dicitur, cùm victoria peccati attenditur. An non id Augustinus hîc docuit? *Tantò enim quidque vehementiùs volumus quātò certiùs quàm bonum sit nouimus, eóque delectamur ardentiùs.* Comparatiuis vsus est terminis: *certiùs, ardentiùs:* vt indicaret, quorum vis maior peccatum vinceret, eorum remissam vinci peccato: & intra vim remissam peccatum esse: cùm ad victoriam intensa opus esset. Hinc est illud: *Fieret*, inquit lib. de spir. & lit. cap. 35. *iustitia, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad iustitiam nos lateret:* Explica-

uit rationem, quâ dixerat aliàs, *non posse intelligere* de illa ignorantia, quæ non esset iusta ad vitandum peccatum scientia: non quòd prorsus esset nesciëntia, sed quòd non esset iusta scientia. Nam quæ non satis esset ad victoriam peccati: ex ea peccatum existeret. Quid? quod addit. *Quis enim nesciat non esse in hominis potestate, quod sciat?* Ecce *non esse in potestate* dicit, de quo dixerat, *Tanta voluntas, quanta sufficit,* docens inchoatam lucem iam alicuius esse & voluntatis & potentiæ: sed, quòd non esset nisi inchoatæ & imperfectæ, nostræ potestatis non esse; cùm eâ vinci non posset peccatum. Geminus ille locus est lib. 1. de peccat. mer. & rem. cap. vlt. *Fit vt per ignorantiam vel infirmitatem non exertis aduersus eam,* id est concupiscentiam, *totis viribus voluntatis, eidem ad illicita nonnulla cedamus.* Vides de qua ignorantia loquatur? nimirum quæ locum facit conatibus voluntatis, nec tamen totam excitat voluntatem: quæ quòd totas vires non exerit incurrit in peccatum.

Hac ratione dubium satis expeditur. Alia tamen ratio est idem faciliùs expediendi: qua item peccandi necessitas ab ignorantia profecta statuitur. Igitur cùm Augustinus docet esse

peccata ignorantiæ, quæ omninò ineuitabilis ac præcisè pœnalis, atque adeo congenita esse videtur, & necessaria esse peccata, & quidem actualia, quibus certa supplicia constituta, ea intelligit peccata, quæ ex illa ignorantia existunt. Qua cum qui operatur cùm in tenebris sit, non potest operando errare: itaque necesse est, vt erret: ac ex errore peccata existant. Duo sunt explicanda. Augustinum de ignorantiæ effectibus locutum, cùm dixit esse ignorantiæ peccata. Et ab illa ignorantia quæ ineuitabilis est, peccata proficisci. Primum constat: nam quoties de illius peccatis ignorantiæ, quæ omnino ineuitabilis, ac pœnalis est Augustinus loquitur, non sistit in ea ignorantia, sed pergit ire ad opera ex ignorantiâ profecta: quibus peccari dicit: & propter quæ puniri dicit. Vt illa ignorantia sit fons & origo peccati actualis: quemadmodum concupiscentia, quæ actu peccatum non est, & peccata in actum inducit. Hoc apparet ex eo quòd Augustinus duo hæc principia peccandi statuit, *ignorantiam & infirmitatem*, eáque coniungit, & committit; quasi vna, eadémque sit in vtraque vis, & ex vtraque ratio peccandi. Id cùm suprà sit & assumptum & monstratum, inculcandi sunt po-

potiùs loci, quàm expendendi. Vnum adduco lib. 1. ad Bonif. cap. 3. *Nec enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi vt peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel vtroque malo & cæcitatis, & infirmitatis.* Ecce ignorantia cum infirmitate coniuncta: ac vti ea est origo peccandi: Ecce ex ea voluntaria & propria peccata, tentatione expressa: fomite incenso: Ecce ignorantia ineuitabilis & pœnalis, concupiscentiæ gemina, quæ idcirco mala appellantur, ne quis peccata esse putaret. Qua ratione Augustinus huiusmodi ignorantiam malum dicere solet, à peccato secernens, quemadmodum lib. 6. contra Iulianum ter *malum* appellat, & peccatum negat. Hinc peccata ex necessitate, sed non ipsa necessaria. Quòd ex necessitate sint loci suprà citati indicant: & initæ contra Pelagium, & Iulianum disputationes dè peccandi necessitate docent. Quòd sint voluntaria tradit ibidem Augustinus, & apertè epist. 105. & lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 2. & 17. & lib. 1. cap. vlt. Quare semper Augustinus culpans ignorantiam opera inducit. Ibi perspicuè. *Necesse est*, inquit, *vt peccet, qui nesciendò quid facere debeat, quod non debeat facere, facit.* En

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. & lib. 1. c. vlt. & lib. de nat. & grat. cap. 35. & lib. 1. ad Bonif. c. 3. & 13. & lib. 6. contra Iul. c. 16.

Lib. 6. contra Iul. c. 16. ter *malum* appellat

Lib. de Gest. Pelag. c. 18. & lib. de nat. & grat. c. 7. & lib. 6. cont. Iul. cap. 16. & l. 1. oper. imperf. & lib. 1. ad Bonif. cap. 3.

Lib. 1. cont. Iul. imperf. fol. 155.

peccatum in *eo quod facit*, & lib. 2. de peccat. mer. & remiſ. cap. 17. *Nolunt homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat.* Viden' vt ad voluntatem & factum procedat? Et lib. de ſpir. & lit. *Attendat, quam in multis offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus placere, vel non diſplicere quod facimus:* An non hîc cum ignorantia factum coniunxit? & lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Nam illud quod ignorans quiſque non rectè facit*, vtrumque nexum; vti & illo celeberrimo eiuſdem libri loco cap. 18. *Etiam per ignorantiam facta improbantur*, ac appendice ex Apoſtolo *ignorans feci*, vltra ignorantiam itur. libro autem de Nat. & Grat. cap. 17. nobilis locus, & requies cæterorum ſit. *Aliud eſt non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.* Vbi non ſolùm actio ab ignorantia profecta ponitur, ſed inter ignorantias diſtinguitur: vt quæ negligentia eſt voluntaria, & vitabilis: in ea ſiſtatur, quòd ea ipſa ſit ante actionem peccatum: illa verò, quæ pœnalis & ineuitabilis ſit, vltrà tendat, & actionem arripiat, vt peccatum con-

trahatur;perinde ac ignorantia sola peccatũ esse non posset, quòd vitari non posset. Huiusmodi autem ignorantiæ *tenebras* ideo *miserabiles* Augustinus appellat: quia cùm peccata non sint, peccata tamen inducunt, quod sanè miserrimum est. Ita lib. de Nat. & Grat. cap. 40. *Confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano; qui scit quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum viuere.* Ecquid enim commiseratione dignius, quàm id quod in ea præclara Augustini sententia lib. de spir. & lit. cap. 3. continetur. *Neque liberum arbitrium quicquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via*, vt cùm *latere* non sit culpa, sed pœna, quem latet, is omnino operãdo peccare debeat.

ART. XI.

An, & quî ex ignorantia peccata existant? & quatenus? quo tota de peccatis ignorantiæ difficultas tollitur.

HIC exigit recta ratio disputandi, vt monstretur ex ignorãtia inuincibili, vt aiunt, & pœnali, peccata existere; ac fieri, vt cùm illa non sit peccatum cum illâ tamen peccetur. Nam id videtur ab omni Theologiæ instituto abhorrere, vt qui ignorat citra culpam, culpam

legem non intelligendo: in quo est actionis peccatum ab ignorantia profectum. Quare, qui tum peccat non brutâ ignorantiâ, sed inerti peccat, & ex hoc peccato in aliud quod non est ignorantia incidit. Eadem est mens alterius loci Psal. 35. vbi duas ignorantiæ formas proponens rursum ait: *Aliud est quando quisque conatur intelligere, & per infirmitatem carnis non potest.* Nam conatum intelligendi, lux aliqua mentis præcedit, etsi obtusa & maligna, quam si exterit infirmitas, ei potiùs quàm ignorantiæ culpa tribuenda. Deinde ad illud, *noluit intelligere vt bene ageret,* defectum prioris, id est inuoluntariæ ignorantiæ non extra voluntatem ponit. *Videtis quia voluntati illud tribuit, quia sunt homines qui volunt intelligere, & non possunt.* Quî enim velint, quin viderint, quod velle possint? Ac ne sola ignorantiæ causa esset, addiderat peccatum, cùm dixerat de ignorantiæ peccatis: *Non sciebam quia peccatum est quando dicit homo? Cùm viderit quia peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat.* Quòd si quis neget peccare quenquam in eo quod si malum esse nosset non faceret, & à quo desistit cùm nouit, sciat is esse quædam minuta per

deceptionem, & ſubreptionem peccata, quæ ex venialibus ſunt, & ita admittuntur à nobis vel perplexis, vel torpentibus, vt cùm lux vberior, & vigor animi fortior acceſſerit, & eorum nos pudeat, & ab iis continuò reſiliamus. De quibus Auguſtinus lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 2. refellens Pelagium: *Vnde ſit conſequens, vt nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc eſt ne tentatione vincamur, vel cùm fallit & praeoccupat neſcientes, vel cùm premit, atque vrget infirmos.* Et lib. 1. ad Bonif. cap. 3. *Nec enim agit in eis etiam qui ſuadet & decipit, niſi vt peccatum voluntate committant, vel ignorantiâ veritatis, vel delectatione iniquitatis: vel vtroque malo & cæcitatis & infirmitatis.* Vbi apertè docet ne fallaciæ quidem & deceptionis peccata ſine voluntate committi: cuius motus etſi in altâ illâ mentis caligine vix extent, deprehenduntur tamen cùm in iis exiſtit peccatum. Quod ſi vllum eſt aliquâ & luce cognoſcitur, & voluntate committitur, & ratione vitatur. Hac de re perſpicuè ac præclarè Auguſtinus lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 17. qui capitalis omnino eſt locus. *Nolunt*, inquit, *homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet, an iuſtum ſit: ſiue quia*

non delectat. Duo statuit notissima peccandi principia: ignorantiam & infirmitatem. Vnde addidit: *Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem: ne moueatur ad faciendum opus bonum, &c.* Si de ignorantia prorsus ineuitabili sermo esset, non diceret Augustinus: *Nolunt homines*, ergo cùm de eadem ignorantia dicit: *Non possunt*, ea ratione dicit, vt ipsum non posse, intra voluntatem sit. Sed cùm duplex sit voluntas: altera inchoata & imbecillis: altera perfecta & robusta, prima satis est ad peccandum, non ad vincendum peccatum. Quare *velle* dicitur, cùm peccatum: *non posse* dicitur, cùm victoria peccati attenditur. An non id Augustinus hîc docuit? *Tantò enim quidque vehementiùs volumus quãtò certiùs quàm bonum sit nouimus, eóque delectamur ardentiùs.* Comparatiuis vsus est terminis: *certiùs, ardentiùs:* vt indicaret, quorum vis maior peccatum vinceret, eorum remissam vinci peccato: & intra vim remissam peccatum esse: cùm ad victoriam intensa opus esset. Hinc est illud: *Fieret*, inquit lib. de spir. & lit. cap. 35. *iustitia, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad iustitiam nos lateret:* Explica-

uit rationem, quâ dixerat aliàs, *non posse intelligere* de illa ignorantia, quæ non esset iusta ad vitandum peccatum scientia: non quòd prorsus esset nescientia, sed quòd non esset iusta scientia. Nam quæ non satis esset ad victoriam peccati: ex ea peccatum existeret. Quid? quod addit. *Quis enim nesciat non esse in hominis potestate, quod sciat?* Ecce *non esse in potestate* dicit, de quo dixerat, *Tanta voluntas, quanta sufficit,* docens inchoatam lucem iam alicuius esse & voluntatis & potentiæ: sed, quòd non esset nisi inchoatæ & imperfectæ, nostræ potestatis non esse; cùm eâ vinci non posset peccatum. Geminus ille locus est lib. 1. de peccat. mer. & rem. cap. vlt. *Fit vt per ignorantiam vel infirmitatem non exertis aduersus eam,* id est concupiscentiam, *totis viribus voluntatis, eidem ad illicita nonnulla cedamus.* Vides de qua ignorantia loquatur? nimirum quæ locum facit conatibus voluntatis, nec tamen totam excitat voluntatem: quæ quòd totas vires non exerit incurrit in peccatum.

Hac ratione dubium satis expeditur. Alia tamen ratio est idem faciliùs expediendi: qua item peccandi necessitas ab ignorantia profecta statuitur. Igitur cùm Augustinus docet esse

peccata ignorantiæ, quæ omninò ineuitabilis ac præcisè pœnalis, atque adeo congenita esse videtur, & necessaria esse peccata, & quidem actualia, quibus certa supplicia constituta, ea intelligit peccata, quæ ex illa ignorantia existunt. Qua cum qui operatur cùm in tenebris sit, non potest operando errare: itaque necesse est, vt erret: ac ex errore peccata existant. Duo sunt explicanda. Augustinum de ignorantiæ effectibus locutum, cùm dixit esse ignorantiæ peccata. Et ab illa ignorantia quæ ineuitabilis est, peccata proficisci. Primum constat: nam quoties de illius peccatis ignorantiæ, quæ omnino ineuitabilis, ac pœnalis est Augustinus loquitur, non sistit in ea ignorantia, sed pergit ire ad opera ex ignorantiâ profecta: quibus peccari dicit: & propter quæ puniri dicit. Vt illa ignorantia sit fons & origo peccati actualis: quemadmodum concupiscentia, quæ actu peccatum non est, & peccata in actum inducit. Hoc apparet ex eo quòd Augustinus duo hæc principia peccandi statuit, *ignorantiam & infirmitatem*, eáque coniungit, & committit; quasi vna, eadémque sit in vtraque vis, & ex vtraque ratio peccandi. Id cùm suprà sit & assumptum & monstratum, inculcandi sunt po-

potiùs loci, quàm expendendi. Vnum adduco lib. 1. ad Bonif. cap. 3. *Nec enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi vt peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel vtroque malo & cæcitatis, & infirmitatis.* Ecce ignorantia cum infirmitate coniuncta: ac vti ea est origo peccandi: Ecce ex ea voluntaria & propria peccata, tentatione expressa: fomite incenso: Ecce ignorantia ineuitabilis & pœnalis, concupiscentiæ gemina, quæ idcirco mala appellantur, ne quis peccata esse putaret. Qua ratione Augustinus huiusmodi ignorantiam malum dicere solet, à peccato secernens, quemadmodum lib. 6. contra Iulianum ter *malum* appellat, & peccatum negat. Hinc peccata ex necessitate, sed non ipsa necessaria. Quòd ex necessitate sint loci suprà citati indicant: & initæ contra Pelagium, & Iulianum disputationes dè peccandi necessitate docent. Quòd sint voluntaria tradit ibidem Augustinus, & apertè epist. 105. & lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 2. & 17. & lib. 1. cap. vlt. Quare semper Augustinus culpans ignorantiam opera inducit. Ibi perspicuè. *Necesse est*, inquit, *vt peccet, qui nesciendò quid facere debeat, quod non debeat facere, facit.* En

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. & lib. 1. c. vlt. & lib. de nat. & grat. cap. 35. & lib. 1. ad Bonif. c. 3. & 13. & lib. 6. contra Iul. c. 16.

Lib. 6. contra Iul. c. 16. ter *malum* appellat

Lib. de Gest. Pelag. c. 18. & lib. de nat. & grat. c. 7. & lib. 6. cont. Iul. cap. 16. & l. 1. oper. imperf. & lib. 1. ad Bonif. cap. 3.

Lib. 1. cont. Iul. imperf. fol. 155.

peccatum in *eo quod facit*, & lib. 2. de peccat. mer. & remiſ. cap. 17. *Nolunt homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat.* Viden' vt ad voluntatem & factum procedat? Et lib. de ſpir. & lit. *Attendat, quam in multis offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus placere, vel non diſplicere quod facimus:* An non hîc cum ignorantia factum coniunxit? & lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Nam illud quod ignorans quiſque non rectè facit*, vtrúmque nexum; vti & illo celeberrimo eiuſdem libri loco cap. 18. *Etiam per ignorantiam facta improbantur*, ac appendice ex Apoſtolo *ignorans feci*, vltra ignorantiam itur. libro autem de Nat. & Grat. cap. 17. nobilis locus, & requies cæterorum ſit. *Aliud eſt non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quadam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.* Vbi non ſolùm actio ab ignorantia profecta ponitur, ſed inter ignorantias diſtinguitur: vt quæ negligentia eſt voluntaria, & vitabilis: in ea ſiſtatur, quòd ea ipſa ſit ante actionem peccatum: illa verò, quæ pœnalis & ineuitabilis ſit, vltrà tendat, & actionem arripiat, vt peccatum con-

trahatur;perinde ac ignorantia sola peccatũ esse non posset, quòd vitari non posset. Huiusmodi autem ignorantiæ *tenebras* ideo *miserabiles* Augustinus appellat: quia cùm peccata non sint, peccata tamen inducunt, quod sanè miserrimum est. Ita lib. de Nat. & Grat. cap. 40. *Confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano; qui scit quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum viuere.* Ecquid enim commiseratione dignius, quàm id quod in ea præclara Augustini sententia lib. de spir. & lit. cap. 3. continetur. *Neque liberum arbitrium quicquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via*, vt cùm *latere* non sit culpa, sed pœna, quem latet, is omnino operãdo peccare debeat.

ART. XI.

An, & quî ex ignorantia peccata existant? & quatenus? quo tota de peccatis ignorantiæ difficultas tollitur.

HIC exigit recta ratio disputandi, vt monstretur ex ignorãtia inuincibili, vt aiunt, & pœnali, peccata existere; ac fieri, vt cùm illa non sit peccatum cum illâ tamen peccetur. Nam id videtur ab omni Theologiæ instituto abhorrere, vt qui ignorat citra culpam, culpam

in eo quod ignoranter agit, committat. Et quidem Augustinus author est, ex ignorantia ineuitabili & innatâ oriri peccata. Cuius doctrinæ series euoluenda, vt appareat & quid senserit, & quod rectissimè senserit. Atque vti suprà distinximus inter ignorantiam, & opus ab ea profectum, ita nunc oportet distinguere inter actus, qui proximè succedunt ignorantiæ, ac ex eo immediatè fiunt, ac genuini eius & integri effectus sunt: & qui remotè ex ea consequuntur; & cùm ab ea proueniant, non tamen integri ab ea, sed ab alia quoque causa proueniunt, etsi ne huiusmodi quidem causa foret, nisi ignorantia mater existeret. Quod aliter & apertiùs dicerem. Inter actus quorum causa est ignorantia, & actus, quibus occasionem præbet ignorantia. Igitur illi primi peccata esse non possunt: hi secundi omnino possunt. Ratio est in promptu. Nam primi sunt ineuitabiles, vti eorum mater ignorantia, ac proinde inculpabiles: súntque errores potiùs, & defectus, quàm peccata. Secundi verò qui occasione accepta ignorantiæ perperam fiunt, cùm extra limites illius se operando extendunt, sunt & vitabiles & culpabiles, atque adeo sunt peccata. Propono exemplum. Gen-

tilis qui de Deo nihil omnino accepit, ignorans Deum inuincibiliter, non peccat ignorando, nec, non colendo Deum quem ignorat, quæ est infidelitas negatiua: itaque actus omissionis ex ignorantia nati peccata non erunt: sed defectus. Is tamen si vlteriùs tendat, & idola colat, omnino peccabit: nam huiusmodi actus, non est præcisè ab illa ignorantia, quæ tantùm erat nescientia Dei, & omissionem Religionis inducebat, in qua esse non poterat culpa, quòd immediatus & integer nescientiæ effectus erat: at idolorum cultus licèt non foret, si ignorantia illa non præcederet, non est tamen integer, & genuinus effectus eius, cùm aliud obiectum habeat, id est cultum creaturæ, quam Deum putat. Ecquis autem non videt aliud esse Deum non colere, aliud creaturam pro Deo habere? Eadem ratione fieri potest, vt in quibusdam homo non peccet, quòd ea ineuitabiliter ignoret, & in quibusdam peccet, quòd occasione vsus ignorantiæ limites transcendat, & illicita committat. Quare ea in his vadis quæstionum tanquam bolis præferenda, & adhibenda: vt quicquid inuincibiliter ignoratur, & quod fit inuincibiliter ignorando, nullatenus peccatum sit: in quo ta-

men recedatur ab ignorantia, & irrepat aliqua malitia, peccatum ſit. Ex quo veriſſimum eſt: neque eſſe culpam in ignorantia inuincibili, nec in eo quod inuincibiliter ex ea fit: & multa ex ea peccata conſequi, in quæ neceſſe ſit incidere ex occaſione ignorandi.

Hæc eſt omnino Auguſtini doctrina, qui cùm aſſeruiſſet in eo quod vitari non poteſt, peccari non poſſe; id de ignorantiæ inuincibilis actibus docuit: & rurſum cùm affirmaſſet: ex illa ignorantia, quæ innata nobis & ineuitabilis eſt, peccata tamen oriri, tradidit eam ſæpe occaſionem eſſe peccandi, cùm eâ quis abutebatur ad illicita perpetranda. Primum contra Manichæos docuit, ſecundum contra Pelagianos ſtatuit: illi dicebant neceſſitate peccari; hi negabant ex neceſſitate peccari. Auguſtinus medium vindicauit: non peccari neceſſitate, ſed ex aliqua neceſſitate peccari: nempe ex ignorantia & concupiſcentia, quæ cùm neceſſitatis forent, ex iis tamen peccata orirentur: Subtilitérque diſtinxit in ipſa neceſſitate quod vitatur, & quod non vitatur. quod vitatur in eo peccatum admiſit, quod non vitatur ab eo peccatum excluſit. Conuicit Manichæos negans vbi neceſſitas ſit ibi

culpam esse : conuicit Pelagianos docens ex necessitate culpas existere, non quòd ipsa necessitas peccatum esset, sed quòd esset occasio peccandi. Audiamus Augustinum acutè ac verè in ipsa ignorantia rationem culpæ à necessitate distinguentem. Primùm capitali loco, agens de principio peccati, vti est ignorantia innata pœnalis, ex qua deceptio & fallacia existit, vnde oritur peccatum: ait, *An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur.* Hîc apparet ignorantiam, nisi sit fallacia culpam non inferre. Inferre autem cùm caueri potest. Addit: *An tanta fallacia est, vt caueri omnino non possit? Si ita est nulla peccata sunt.* Itaque iam quid intersit inter ignorantiam ineuitabilem & vitabilem vides. Quod illa non possit aut esse aut inducere peccatum, nisi vitari, vincíque possit. Iam sentis ignorantiam secum peccata deuoluere. Nec enim audires: *Nulla ista peccata sunt*, cùm de sola ignorantia sermo esset, nisi ea culpæ in agendo vel causa, vel occasio esset. Clausulæ summa vis est. *Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo potest?* Non solùm ad id quod agimus de ratione vitandi peccati, sed ad id quod egimus de culpa secuta ex ignorantia ineuitabili, cùm ma-

Lib. 3. de lib arb. c. 18. & lib. de Nat. & Grat. cap. 67.

nifestè ex hoc loco appareat, fieri posse, vt fallacia culpabilis ex inculpabili ignorantia existat: & tunc peccari: si autem fiat, vt nulla sit ex ea ignorantia fallacia, tunc peccatum esse non posse, quod integra est ratio ineuitabilis ignorantiæ: nec ex ea effectus culpabilis alius existit. Clarior in eo quod sequitur res est. *Non tibi*, ait, *deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Nam distinguit inter ignorantiam ineuitabilem, & vitabilem: & à prima remouet culpam, à secunda ex prima sed cum aliqua voluntate existente, non remouet.

Vide lib. de nat. & grat. c. 17.

Deinde lib. 1. contra 2. epist. Pelag. cap. 3. apertè ait: ignorantiam, eiúsque indiuiduam comitem concupiscentiam, cùm non sint peccata, fomites tamen esse peccati, & occasiones peccandi. *Nec enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi vt peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis.* Ignorantiam non dicit peccatum, sed ex ignorantia cum voluntate peccatum oriri: vnde tentator non contentus ignorantiâ ea vtitur tanquam occasione & fomite peccandi, quo constat eam culpam non esse, cùm si foret, satis tentatori futura esset ad culpam: &

ex ea naſci peccatum cùm tentator illâ abutatur ad inferendum peccatum. Par omnino & ſimilis ſententia eſt vtriuſque loci lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 2. vbi ſic: *Fit* ex Pelagij dogmate conſequens, *vt nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc eſt in tentatione vincamur, vel cùm fallit, & praoccupat neſcientes, vel cùm premit atque vrget infirmos.* Ecce eadem diſcriminis inter neſcientiam & fallaciam, & tentationis ex neſcientia ſine culpa ad fallaciam cum peccato imago proponitur. Et cap. vltimo lib. 1. *Fit, vt per ignorantiam vel infirmitatem non exertis aduerſus eam totis viribus voluntatis eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus.* Apparet, non illicitam eſſe ignorantiam, id eſt culpam: ſed per eam quaſi inſtrumentum culpam voluntate committi; idem alterius ſenſus eſt loci lib. de Nat. & Grat. cap. 35. *Licet mori ſine peccato dum ſubinde veniâ deletur; quod ſubinde vel ignorantiâ, vel infirmitate committitur.* Eadem ratio eſt ignorantiæ, & infirmitatis, tum quod vtraque congenita, & ineuitabilis, tum quod neutra culpa eſt, tum quod ex ambabus peccatum exiſtit. Conſentiunt loci ex lib. 1. ad Bonif. cap. 9. & lib. 83. quæſt. q. 66. & lib. de contin. cap. 33. & in

u-

Enchir. cap. 81. & epist. 154. & in Fragm. 3. ser. 1. Ille verò maximè insignis est locus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 3. *Aliud est nescisse, aliud scire noluisse: Voluntas quippe in eo arguitur de quo dicitur: Noluit intelligere vt bene ageret: Sed & illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audiuit, omnino quid crederet, sed fortaßis vt mitiùs ardeat: Non enim sine causa dictum est. Effunde iram tuam in gentes: quæ te non nouerunt.* Certè de illa ignorantia loquitur, quæ ineuitabilis sit, quam *tenebras* proximè dixerat & excusationis quædam effugia, dum ait, *Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quisque requirat excusationem.* qua ratione solet congenitam nescientiam, & ortam ex ea ignorantiam significare. Statuit ergo, ab huiusmodi ignorantia nescientiæ filiâ, peccata quædam existere, non in ignorando, sed in operando, quæ ad damnationem pertineant, licèt minùs grauem, quàm sit illa scienter malè operantium. Itaque iuuat excusatio non ad pœnam deuitandam, sed minuendam. Atque vt hoc obiter dicam: ne quem

conturbet ille modus loquendi: *Qui tanquam simpliciter nesciunt*, in quo audio turbari. Augustinus videtur duas hîc ignorantias posuisse: alteram nescientiam, & tenebras; congenitam: alteram ignorantiam fidei, & legis: ortam ex defectu audientiæ: vtramque sine culpa; sed quòd illa prima innata & ex omni parte tenebrosa erat, ideo simpliciter *nescientiam* dixit: secundam quòd in iis erat, qui aliqua ex parte lumen haberent, licèt legis & fidei lucem nullam cernerent, non simpliciter nescientiam, sed tanquam simpliciter nescientium ignorantiam appellauit: & in neutra culpam agnouit, quòd ineuitabilis esset: ex vtrâque culpam nasci admisit, ob quam quisquis malè ageret puniretur. Quare id quod antea dixi, huic omnino sententiæ accommodandum: quâ, opinor, vera loci intelligentia continetur.

Ex ignorantia igitur ingenitâ & ineuitabili posse remotè, imò & debere in agendo peccata existere Augustinus manifestè docuit refutans opinionem Pelagij dicentis: *Hominem prauigilare debere ne ignoret: idcòque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentiâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset*, &

Lib. 6. cont Iul. c. 1. lib. de Nat. & Grat cap. 17.

Lib. de Gest. Pelag. c. 18.

Celestij affirmantis, *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm necessitatem.* Quam etiam damnatam ait à *Sancta Synodo, & Dei Catholica Ecclesia.* Vbi animaduertendum eâ ratione damnatam proximam Celestij propositionem, quòd dixerit, *illã ignorantiam non subiacere peccato*, non quòd dixerit *non esse peccatum.* Nam aliud est esse peccatum: aliud subiacere peccato, id est peccatum inferre, & inducere. Vnde in eo damnatur, quòd neget peccatum ex illa ignorantia existere: non quòd neget eam esse peccatum. Itaque Pelagius & Celestius docebant: solam voluntariam ignorantiam, quæ esset peccatum, inducere peccata: Augustinus docet etiam ignorantiam congenitam causam esse peccati: Vtrique ad suam sententiam accommodatè. Pelagius & Celestius, quòd sublato peccato originali, nullam nec ignorantiam, nec concupiscentiam admittebant: vnde òmnia peccata omnino libera in se & in causa esse dicebant: atque adeo multos à culpis venialibus prorsus immunes adstruebant: Augustinus, quòd admisso originali peccato tenebras & concupiscentiam congenitas asserebat;

Cap. 19. & 33. ibidem.

quare peccata in se libera, in causa necessaria ponebat: quo fieret vt ex subreptione peccata quædam orirentur, à quibus nemo mortalium liber esset.

Ita lib. de Nat. & Grat.

Ad rem propiùs. Quod omnino quis ignorat, & quod prorsus ignorans committit, in eo culpam actualem Augustinus non ponit. Quod ita ex illa fit ignorantia, vt in illud subrepat circunstantia aliquo modo vitabilis, ab eo culpam non remouet Augustinus. Hinc illud, *Necesse est vt peccet, qui nesciendo quid facere debeat quod non debeat facere facit.* En principium ignorantiæ sine peccato in se quatenus ait: *Nesciendo quid facere debeat.* En peccatum in effectu, cùm inquit, *Quod non debeat facere facit*, mutauit terminum, non dixit *quod nesciat facere*, sed *quod non debeat facere.* Aliud enim est *non debere*, aliud *non scire. Non scire* ante omnem libertatem est. *Non debere* intra libertatem. Confirmat quod addit. *Necesse est vt peccet à quo ignoratur iustitia.* Distinguit inter peccatum & ignorantiam, & mox: *Non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantia necessitate commisit?* Viden' vt faciat peccata ignorantiæ effecta, nec peccata necessitates dicat, sed orta ex necessitate? Tum in rem meam.

Lib. 1. oper. imperf. côt. Iulian.

ibid. fol. 159.

Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed vt non obsit ista necessitas donat ille cui dicitur, de necessitatibus meis erue me, animaduertit aliud esse *necessitatem esse:* aliud *obesse necessitatem.* Nam, ne sit, optandum est. Ne obsit, orandum. Nec enim in eo quod est peccamus: sed cùm obest tum peccamus. Quemadmodum & de concupiscentia innatá diximus. Hinc fit, vt quis partim ignorando non peccet: partim ignorando peccet: cùm ex vna innoxia in aliam noxiam labatur ignorantiam peccato inuolutam. Vti Augustinus docuit cõiungens more suo Concupiscentiam & Ignorantiam: lib.1.ad Bonif.c.13.vbi refutat Pelagianos statuens baptismo dilui omnino reatum Concupiscentiæ, etsi maneat ipsa Concupiscentia: & addit, *Peccata autem sunt quæ secundùm carnis concupiscentiam, vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur.* Hæc verò, inquit, *fiunt, siue in eius* (id est concupiscentiæ) *consensionibus, cùm ab eo quod libet vincitur quod placet; siue cùm per ignorantiam malum quasi bonum, placet.* Radix, peccatum non est, fructus tamen, est peccatum: quod extra radicem luxuriat. Quemadmodum fieri potest, vt tanta sit vis ignorantiæ, vt cùm factum perperam sit, non idcirco

peccatum ſit. Quod ſolent dicere materiale peccati. Hoc Auguſtinus ſcitè lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui neſciens peccauit, non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt. Quamuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum.* Tum. *Quia ergo voluit fecit, etiam ſi non quia voluit, peccauit, neſciens peccatum eſſe quod fecit, ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti non voluntate peccati.* Liberat ignorantia voluntatem à culpâ, quoniam in re peccati factum voluit, peccatum noluit: etſi verò peccaſſe dicatur non tamen peccando deliquit. Vnde, *nolens peccauit* quia rem peccati præſtitit; ſed peccatum in ea non admiſit, quia non vidit. Eadem ratione Auguſtinus in Pſal. 35. *Non ſciebam,* inquit, *quia peccatum eſt, quando dicit homo? Cùm viderit quia peccatum eſt & deſtiterit facere ipſum peccatum; quod ideo faciebat, quia ignorabat*, diſtinguit inter voluntatem faciendi, & voluntatem peccandi. Quæ doctrina eo confirmatur, quod ſuprà exemplo tunicæ, & vxoris alienæ ex Auguſtino adduximus.

Lib. 2. contra Creſcon. cap. 16.

Monuit me hoc illius quem maximè celebrari video loci, de ignorantia Abimelechi;

qui à me præteriri non poteſt, cùm non ille mihi, ſed ego ei vocanti reſpondeam: & in omnem ille partem diſputationis doctrinam contineat: eóque aptè longiſſima controuerſia terminetur. Igitur cum Iuliano Auguſtinus confligens lib. 3. cap. 19. proponit illius errorem negantis peccatum originale, & ex eo malum concupiſcentiæ & ignorantiæ, quòd diceret non contrahi alienum peccatum: nec debere nos alieni luere pœnas peccati: quare ignorantiam & concupiſcentiam quas ineſſe nobis non negabat, non eſſe malas, imò bonas, non vitia, ſed virtutes, dotéſque naturæ: atque adeo ignorantiam iuſtitiam nominari. Id agit hoc cap. 19. Iuliani verbis Auguſtinus adducto quo vtebatur Abimelechi Regis exemplo: qui cùm Saram (ignorans vxorem eſſe Abrahæ) ducere vellet, à Deo excuſatur, quippe qui *in corde mundo feciſſet*. Vnde colligit Iulianus ignorantiam tantùm abeſſe à peccato, vt ad munditiem, & iuſtitiam pertineret. Exhibeamus Iuliani ſententiam: deinde Auguſtini repræſentemus. *Dicis* (ait Auguſtinus verba referens Iuliani) *ex hoc intelligi debere perfectam ignorantiam iuſtitiam nominari: quia dixit Deus ad Abimelech qui cum Sara*

erat

erat concubiturus, ignorans quòd vxor esset aliena: Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc: & ideo nascentium statum generantium voluntate non lædi. Id quàm acutè & verè Augustinus refutet, etsi iucundum, non est tamen aptum referre. Vindico quod hæret causæ: & ex eo istud paulò pòst traham. Deueniens refellēdo ad huiusmodi Abimelechi ignorantiam sic ait: *Non attendisti homo, qui non vis iudicio diuino quenquam non suis, sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuerit, vt Abimelech peccaret, quamuis nec ipse adulterino corde peccauerit, & Deus quantulumcunque eius peccatum in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret.* Cuius loci difficultas in eo est quòd huiusmodi ignorantiam Augustinus inuincibilem agnoscat, & tamen in ea peccatum admittat. Esse autem eius sententiâ inuincibilem: patet eo quod concedit Iuliano ex scriptura assumenti, Abimelechum *in corde mundo fecisse.* Etenim sic Augustinus: *Neque enim ait Regi, sciebam quia cor habes iustum, aut quia cor habes mundum: cùm scriptum sit, Beati qui mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt: tu autem istum Abimelech ad peccatoris propōnis exemplum. Sed sciebam, inquit Deus, quia in*

corde mundo fecisti hoc. Non omnia, vel quacunque alia, sed hoc in quo adulterij conscientiam non habebat. En inuincibilem ignorantiam! At in ea culpam Augustinus agnoscit: dum ait, *Non attendisti quomodo fieri potuerit, vt Abimelech peccaret, quamuis nec ipse adulterino corde peccauerit, & Deus quantulumcunque eius peccatum, in mulieribus vindicaret.* Ecce peccatum! Igitur in ignorantia ipsa inuincibili peccatur. Hoc nodo ita se stringunt aliqui, vt dicant in ignorantia omnino inuincibili & ineuitabili admissum esse ab Augustino peccatum. Quidam negant, & aiunt admisisse quidem in hac ignorantia peccatum, sed non esse illam inuincibilem ineuitabilémque ignorantiam. Censent nimirum Abimelechum non omnino rem satis explorasse, atque adeo illi culpam aliquam negligentiæ licèt leuissimæ obrepsisse: atque hoc esse illud Augustini *quantulumcunque peccatum.*

Et quidem primi toto, vt aiunt, cælo: secundi aliquâ parte cæli, sic Augustinum voco, aberrant. Neutri rem, opinor, attingunt. Nam primos ita refello. Si Augustinus in huiusmodi ignorantia culpam agnosceret: certè non in inuincibili tantùm, sed in inculpabili pone-

ret culpam; atque adeo sibi contradiceret. Augustinus quippe inculpabilem hanc ignorantiam facit: nec vllum in ea vestigium culpæ agnoscit; tum quia illud: *in corde mundo fecisti hoc*, de ignorantia adulterij intelligit, & hac in re Iuliano assentitur: tum quia Iulianum reprehendit quòd istum *Abimelech ad peccatoris proponat exemplum*, quo mundum hac in parte significat: tum quia perspicuè excipit à culpa istam ignorantiam, & in aliis admittit culpam. *Non omnia*, inquit, *vel quæcunque alia, sed hoc in quo adulterij conscientiam non habebat*. Quo nihil dici potuit manifestius ad remouendam omnem culpam ab huiusmodi ignorantia: cùm Augustinus velit, vt tam alienus esset Abimelech ab omni conscientia adulterij, vt munditiem illi omnino addixerit, nolueritque eam aliis actibus & circunstantiis communicare, quòd propria solius innocentiæ in ignorando esset. Hinc ait, *non omnia, vel quæcunque alia, sed hoc*, significans culpari potuisse in aliis Abimelechum, sed hac in suspicione adulterij minimè culpari potuisse. Vnde qui eum in hac ignorantia peccasse dicit, ait in ignorantia inculpabili culpam esse.

Ex quo item alij refutantur, qui affirmant

Abimelechum apud Augustinum ex aliquâ negligentia peccasse. Nam si hac ratione peccauit, omnia corruunt quæ nunc adduximus Augustini argumenta: nec enim aut mundus hac parte esset, nec peccator non esset, nec in aliis tantùm peccator esset: & aliquâ adulterij conscientia teneretur. Cùm illa negligentia ad conscientiam adulterij pertineret: etsi nòn esset adulterij conscientia.

Igitur cùm Augustinus ab hoc desiderio ducendi Saram adulterij omnem culpam remoueat, mundúmque eum ac innocentem statuat: & peccatum tamen quantulumcunque agnoscat, propter quod vxorum eius sit vulua conclusa: in quo peccarit, quærendum. Id cùm Augustinus non dicat, diuinandum. Leue quidem peccatum esse ab Augustino habemus, id est, *quantulumcunque*. Indicio arrepto coniecturam facio. Peccatum immodicæ concupiscentiæ fuisse: quæ in libidinem degeneret. Qua ratione vel in coniugij vsu culpam Augustinus admisit, qui noluit vt ille complexus liberorum procreandorum causa institutus, in libidinem declinaret: ne frui se mutuò coniuges, sed vti viderentur. Quare cùm licitum & sanctum connubij vsum doceat, vt nemo Au-

gustino altiùs matrimoniũ euehat, rectæ tamen ei rationis limites quosdam præscribit, quibus honestas contineatur, extra quos si quando concupiscentia immoderato cupidinis æstuebulliens se effundat, in libidinis culpam degeneret: quæ licèt venialis in re licita, culpa tamen ob excessum sit. Quare peccare coniuges venialiter docet: *Quando non propagandi voluntate, operam creandis filiis impendunt, sed lasciuiendi voluptate exaturandæ cupidini inseruiunt.* Et verò si iam peracto coniugio peccant hac ratione coniuges: eâdem planè posset ante illud institutum Abimelechus peccare.

Ita Aug. lib. 1. de nupt. & concup. c. 4. & 15. & 24. & lib. 2. cōt. Iulian. c. 10. & lib. 3. c. 16. & lib. 4. c. 3. & lib. de bono cōiug. cap. 10. & in Enchir. ad Laurent. cap. 78.

Hinc fit, vt mundus esset à sordibus adulterij, & sese labe cupidinis inquinaret. Nihílque ex hoc contra propositam doctrinam loco inferatur: imò ex eo illa rursum validè confirmetur, cùm in eo quod prorsus ignorauit, mundus fuerit: quem vitare excessum potuit, in eo peccauerit. Nullâ adulterij, quod nesciuit, aliquâ libidinis cui se dedidit, conscientiâ pollutus.

Ita Aug. lib. de peccat. origin. cont. Pelagian. & Celest.

Itaque nullum ego locum nancisci potui ad ea quæ hactenus tradidi de ignorantia confirmanda aptiorem. Primum enim vindico. Quæ sit ineuitabilis, & inuincibilis ignorantia, eam

expertem peccati esse. Secundum, cum ea aliud posse peccatum occultum consistere: cuius ratione pœna incurratur. Tertium, subrepere posse culpam in actionem quæ bona & iusta esse videatur; atque adeo interdum in re quæ vitari non posse creditur, esse rationem vitandi. Tandem illud manifestius facere volo, quod dudum agitabam. Persuadere quibusdam Theologis nullum prorsus apud Augustinum discrimen esse quoad rationem vitandi inter ignorantiam vel iuris positiui, & naturalis, vel iuris, & facti: vt in altero ex ignorantia inuincibili peccari possit, in altero non possit. Cùm illud verissimum sit, hoc omnes ignorantiæ formas conuenire, vt quæ vitari possint, peccata inferant; quæ non possint vitari, non inducant. Nec ego, vel accuratissimè lecto Augustino discrimen illud potui reperire: nisi quòd vti aliàs dixi, difficilius sit vitari ignorantiam iuris naturalis, quàm positiui. Atque hoc ipsum hîc, me authore, locus conuincit. Nam cùm Iulianus ignorantiam facti in Abimelecho adduxisset, vt probaret esse iustitiam, Augustinus assumpsit ignorantiam infantium, quæ totius iuris & facti ignorantia est: ac omnino tenebræ: ac ex ea ducit argu-

mentum contra Iulianum, quaſi hæc illi reſponderet: ac eadem vtriuſque ratio eſſet habenda: quòd nollet inter haſce ignorantiæ formas, ſiue ad rectè ſiue prauè agendum diſcrimen aliquod intereſſet. Ipſum audiamus. *Cur ergo eos nominas iuſtos, ſi perfecta ignorantia iuſtitiæ nomine nuncupanda eſt? nihil eſt namque perfectius ignorantiâ paruulorum; nihil ergo vocetur & iuſtius. Vbi eſt quod ſuperius aſſerendum putaſti, nec iuſtos naſci paruulos, nec iniuſtos, quod futuri ſunt actibus ſuis; ſed tantummodo infantiam innocentiæ dote locupletem? An non verba tua ſunt vbi dicis: homo igitur innocentia quidem plenus, ſed virtutis capax naſcitur: aut laudem, aut reprehenſionem ex propoſito accedente meriturus? nunquid virtutem dicturus es non eſſe iuſtitiam? quomodo igitur infans nondum plenus eſt virtute, ſed capax, cùm plenus ſit ignorantia, quam dicis iuſtitiam?* Vnde conſtat eandem prorſus vtriuſque ignorantiæ rationem haberi; nec in qua ſpecie formáve iuris ea verſetur, ſed qua ratione vinci vitaríve poſſit inſpiciendum.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 19.

Quæ ſit apud Auguſtinum vera & germana ratio libertatis, & quâ ratione Deo creaturíſque conueniat?

QVOD fit plerunque, vt quæ magis neceſſaria ſunt, ea difficiliùs comparentur, id prorſus in hac quam ſuſcipio quæſtione apparet; quæ cùm magno futura ſit vſui, tot eſt tamèn difficultatibus implicita, vt intentionem animi mei fregerit, & ſtudium omne conſumpſerit; coëgeritque ſæpe in medio cogitationis curſu hærere, ac penè de aſſequenda veritate deſperare. Quæ quoniam per ſe difficilis, ex multis & diſſitis Auguſtini locis erat colligenda, ac ob eius acumen ingenij, & profunditatem doctrinæ à communis intelligentiæ ſenſu remota, non potuit à me niſi magno cum labore deprehendi. Eam minus fortaſſe latè, quàm operosè tractare eſt animus, quod aliàs ſim ex inſtituto facturus: vt miſſo in tot articulos ſanguine, neruos hîc collocem, vt ne qua mei parte Auguſtino non ſeruiam.

Igitur Manichæi totam libertatem inductâ naturali neceſſitate, fatóque tollebant: Pelagiani

ni vnius tantùm libertatis formam quę quasi in æquilibrio bilancis esset, nempè indifferentiam admittebant. Augustinus vltra naturam, libertatem & vltra indifferentiam, formas libertatis alias recipiebat. Affirmabat potentiam esse in nobis liberam, & natura sua æquè potentem ad vtrumlibet bonum & malum, atque adeo indifferentem, quo in statu Adamus esset conditus integrâ & inuiolatâ potestate. Quam liberum Arbitriũ proprio vocabulo appellabat: cuius vis in illâ æquali ad vtramque partem facultate sita esset. Quâ liberum arbitrium tanquam genuinâ notâ plerunque afficit, vt liberum sit arbitrium, voluntas in illo æquilibrio potestatis. Nec de naturâ & virtute insitâ potentiæ Augustinus vnquam dubitauit. Sed de vsu ipsius potentiæ, & explicatione in actus secundùm statuum diuersitatem variè docuit: quòd vidit impeditâ illâ liberrimæ facultatis potestate adhuc alias libertatis formas superesse. Id cùm non vidissent Pelagiani, totâ prorsus libertate intra vnam indifferentiæ formam redactâ, putabant, qui eam quomodocunque impediret, eum totam euertere libertatem. Vnde cùm scirent Augustinum in lapsâ naturâ non æquè explicatam ad bonum & malum potestatem agno-

ſcere, voluntatémque ex ſe ad peccandum potentem dicere; ad rectè operandum ſine Gratiæ auxilio expeditam negare: & rurſum eandem voluntatem à gratia efficaci erectam, & impulſam, ad bonum indeclinabiliter moueri: vt quantum ſine auxilio Gratiæ ad peccatum prona, tantùm eius ope ad virtutem propenſa eſſet, & vtroque modo æquilibrium illud tolli: aiebant auferri ab Auguſtino libertatem.

Et quidem Auguſtinus indifferentiam illam in ruinæ ſtatu dimittebat, libertatem tamen ad peccandum retinebat, diſtinguens inter indifferentiam & libertatem: ſeruitute admiſſâ, verâ ſemper neceſſitate à peccato excluſâ. Cùm verò de virtute Gratiæ efficaciter mouentis & agentis in bonum voluntatem ſermo erat, aiebat Auguſtinus non modò non eâ lædi, ſed potiùs ſtatui & augeri libertatem: cùm à captiuitate & ſeruitute peccati liberaretur: vnde non libera iam voluntas, ſed vlteriùs liberata dicebatur. Ex quo patet Auguſtinum duplicem ſtatuiſſe vltra indifferentiam duas adhuc formas libertatis. Vnam poteſtatis in actum: alteram exemptionis à ſeruitute: vtramque recipientem magis & minus: nam qui

peccabat, etsi seruus peccati, adhuc retinebat actum in potestate, cùm vitare posset alio actu peccati: & aut magis, aut minus seruus esset, cùm aut frequentiùs, aut rariùs peccabat: Qui verò iustus erat quò sanctiùs agebat, eò longiùs à captiuitate recedebat: ac ita liberior reddebatur.

Apparet iam triplex forma libertatis. Vna indifferentiæ in naturâ secundùm se spectata, quā Pelagiani agnoscebant: & Augustinus non negabat. Alteram exemptionis à seruitute peccati: quæ liberatio erat: quæque libertas status rectè dicatur. Tertia potestatis in actum, quanquam amissâ indifferentiâ, in quocunque statu relicta. Duæ primæ perspicuæ sunt. Tertia & vltima obscurior & omnino explicanda.

Primùm videndum, An sit? Deinde quænam, & cuiusmodi sit? indagandum. Tandem quî & quibus insit? statuendum.

Esse illam patet: & nos proximè ex Augustino ostendimus: adducto testimonio de libertate Dei ad non peccandum: constabítque aliis de libertate Christi Domini, & beatorum infrà, cùm ad rem propiùs venero, adducendis.

Ea verò in hac quæstione continetur: Quænam & cuiusmodi sit? Prima sit ex contrariis coniectura. Duplex apud Augustinum necessitas. Vna seruitutis, seu captiuitatis, opposita iuri, & dominio, & libertati velut ingenuæ, ac nobili: altera violentiæ, & coactionis, & necessitatis ineuitabilis, opposita potestati, electioni, libertati potenti, ac suo se arbitrio cienti. Illam necessitatem seruitutis, hanc, vt analogiam vitem, compulsionis dixerim. Illa naturæ magis opponitur: hæc statui. Illa vi agit: hæc pondere. Illa fortis & valida hæc iners, & grauis. Illa rapit & torquet: hæc deprimit, & trudit voluntatem. Seruitus magis indifferentiæ opponitur, quæ est apex dominij voluntatis: Vis magis opponitur liberæ potestati: in qua est genuina ratio libertatis. Eripitur enim per vim potestas flectentis se pro libito in omnem partem voluntatis.

Omissa interim libertate ingenuâ & seruitute, ad aliam, quæ caput est, libertatem, & necessitatem ex vi conuertamur.

§. I.

IGITVR libertatem propriè potestatem voluntatis in actus Augustinus intelligit: vt vo-

luntas eo libera ſit, quo ſui actus domina & potens eſt : ita vt in conſtituendá ratione libertatis præſcindat à reſpectu ad obiecta Auguſtinus, & intra voluntatem & actus ſe contineat : & eorum terminis definiat libertatem. Hoc docet vbique: lib. de lib. arbit. cap. 3. & lib. de Nat. & Grat. cap. 45. & 47. & lib. 1. ad Simpl. q. 1. & lib. de ſpir. & lit. cap. 31. & lib. 3. contra Maxim. cap. 14. & lib. 1. de Nupt. cap. 6. & lib. 1. Retract. cap. 31. & lib. 2. cap. 1. & lib. 5. de Ciuit. cap. 10. Ille omnium inſtar ſit: *Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum quod in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe quod habemus.* Vbi ſermo eſt de ipsâ cùm ſe in actus explicat voluntate : vt illa indicat ſententia; quòd voluntatis liberæ tam ſit propria ratio poteſtatis, vt ne ipſa quidem voluntas, voluntas eſſet, niſi cùm vult, eſſet in poteſtate. Illa itaque poteſtas voluntatis in ſuos actus, cùm operatur, illa ipſa eſt libertas voluntatis. Sic enim lib. de Nat. & Grat. cap. 47. *Nonne parum attendit non eſſe in poteſtate noſtra poſſe odorari, vel non poſſe: ſed in noſtra poteſtate eſſe, hoc eſt in libera voluntate odorari, vel non odorari?*

Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.

Hinc iam apparet quæ ſit neceſſitas contraria libertati : Nempe, illa quæ tollat huiuſmodi poteſtatem. Nam, *Nec voluntas*, inquit, *eſſe poterit, ſi in poteſtate non eſt*. Quare qui velit Auguſtinianæ libertatis rationem agnoſcere, mentem defigat in ipsâ cùm actum elicit voluntate, & videat an ita eliciat, vt ſit domina ſui actus, ac volens, ac potens exeat in actum; ab obiecto interim, omníque alia ratione præſcindens.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.

Huiuſmodi autem poteſtas radix eſt aliarum & poteſtatum & libertatum, eámque vti genus, formæ variæ contrahunt. Vnde & maior, & minor erit ſecundùm eas ratio libertatis. Nam in Deo eſt libertas ad bonum, non ad malum. Eadem in Chriſto Domino: eadem in beatis reperitur. At in Angelis viatoribus, & in Adamo innocente fuit libertas indifferentiæ in æquilibrio, cum æquali ad bonum & malum poteſtate. Hæc eadem datur interdum in homine iuſtificato per Gratiam in ſtatu ruinæ. Quæ in Adam fuit libertas arbitrij: in nobis autem eſt libertas Gratiæ. In homine verò lapſo & peccatore alia libertas inuenitur citra Gratiam ad peccandum: cum eâ quam ſuprà diximus poteſtate vitandi. Quare aliud eſt in Auguſti-

no indifferentia, aliud libertas, cùm indifferentia ſit ſpecies libertatis.

Illud oportet animaduerti: non ſemper eſſe maiorem libertatem & perfectiorem poteſtatem, vbi eſt maior & perfectior indifferentia: cùm Auguſtinus dicat liberiores fore beatos in patriâ, cùm peccare non poſſint, quàm fuerint Angeli & Adam in via Innocentiæ: cùm poterant ex ſumma indifferentia peccare, & non peccare. Ita lib. de Cor. & Grat. cap. 12. *Prima libertas erat poſſe non peccare: nouiſſima erit multò maior non poſſe peccare,* & c. 11. *Arbitrium tunc ita liberum erat, vt bene velle poſſet & malè. Quid autem erit liberius libero arbitrio? quando non poterit ſeruire peccato? Quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti?* Sanè ſi perfectio libertatis in indifferentia eſſet: liberior eſſet homo in ſtatu ruinæ, quàm foret in patria: cùm in ruina ſit indifferens ad malum & bonum ſuo modo; nullo autem ſit modo indifferens in patria ad vtrumque, ſed bono tantùm addictus. Abſurdum item eſſet dicere perfectiorem eſſe humanam libertatem, quàm diuinam, quòd homini ſit indifferentia ad malum & bonum: Deo autem non ſit niſi poteſtas ad bonum.

Nec minùs id accuratè obſeruandum, Auguſtinum radicem indifferentiæ ad malum, impotentiam & defectum putaſſe: vt pars illa eò vergens, imperfectio quædam eſſet & vitium. Vnde tantùm abfuit ab opinando ad veram libertatis rationem requiri: vt ad defectum abiecerit, non ad poteſtatem admiſerit. *Eſt enim*, ait lib. 2. contra Secund. cap. 15. *Peccatum voluntarius defectus: quo anima rationalis ad ea quæ infra ſunt condita conditore ſuo deſerto declinat affectum.* Vnde principium iſtius defectus inueſtigans, adductâ ex contrario diuinâ naturâ, inquit lib. 11. de Ciuit. cap. 10. *Eſt bonum ſimplex & ob hoc ſolum incommutabile, quod eſt Deus. Ab hoc bono creata ſunt omnia bona: ſed non ſimplicia, & ob hoc mutabilia.* Quare lib. 5. de Ciuit. cap. 10. Poſſe peccare impotentiæ tribuit. & Epiſt. 56. *Vnde*, inquit, *colligitur non ob aliud res deficere, vel poſſe deficere niſi quod ex nihilo facta ſunt.* Hinc quo magis ad Deum acceditur, eo à peccato magis receditur. *Aliud eſt enim eſſe Deum, aliud participem Dei. Deus naturâ ſuâ peccare non poteſt: particeps verò Dei ab illo accipit, vt peccare non poßit.* Hac ratione beatis in patria plenam & perfectam aſſignat libertatem: quia peccare non

Ita lib. 12. de Ciuit. c. 6. & 7. & 9. perſpicuè.

Lib. 22. de Ciuit. cap. 30.

non possunt. *Quid* enim *liberius libero arbitrio quando non poterit seruire peccato? Multo quippe liberius erit quod omnino non poterit seruire peccato,* vti Augustinus sæpe inculcat.

Lib. de Nat. & Grat. c. 35. & in Enchir. cap. 105.

Itaque quò magis quis ad peccatum pendet, eo minus liber est: & magis seruit peccato. Vnde Adamus erat eo genere libertatis liberior, quia in arce indifferentiæ constitutus omnino in potestate habebat ab eo peccandi defectu abstinere. *Quippe qui sanus & inculpabilis factus, & libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate liberâ constitutus. Nunc verò magna illa peccati merito est amissa libertas.* Etenim *non libera voluntas dicenda est quandiu est vincentibus, & vincientibus cupiditatibus subdita.* Recuperabit plenissimam libertatem diuinæ similem. Cùm *erit illius ciuitatis & vna in omnibus, & insuperabilis in singulis voluntas libera: ab omni malo liberata, & impleta omni bono fruens, indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum.*

Lib. de Nat. & Grat. cap. 43.

Lib. de Cor. & Grat. c. 12.

Epist. 44.

Lib. 22. de Ciuit. c. 30.

Hinc patet illam potestatem voluntatis in actum in qua est formalis ratio libertatis generica propria Dei, & participata à creaturis ab indifferentia in bonum & malum præscindere: Quæ illam contrahit ad naturam crea-

tam & defectibilem, cuius est propria ob imperfectionem: quemadmodum discursus est proprius humanæ cognitionis.

§. 2.

AGE verò cum difficultate luctemur. Quâ ratione actus omninò indeclinabilis ad malum esse possit in potestate voluntatis? De libertate illâ summâ & diuinâ à Christo Domino & beatis participatâ loquor. Igitur cùm voluntas à se, ex ingenitâ sibi potentia proposito à debita cognitione obiecto elicit actum, complacendo sibi, & veluti volendo actum, dicitur liberè operari: & in potestate actum continere: præcisa interim consideratione ab obiecto, ab indifferentiâ, ab aliis circunstantiis, quæ comitantur aut subsequuntur istam potestatem in actum. Hæc est germana ratio illius primariæ libertatis apud Augustinum: cùm voluntas deliberato motu & voluntario, libenter ac potenter sui iuris, & domina effecta prodit in actum, in quo sibi complacet, quémque eliciendo delectatur: nullâ aut vi contorta, aut necessitate compulsa, aut indigentiâ coacta: aut subreptione attentata: non partim volens, partim inuita; sed tota libens, integra

tota; vti suæ voluntatis, non alienæ potestatis.

Rem subtiliùs ex Augustini acumine expendamus. Actus vt sit nobis liber, debet esse in nostra potestate; nam nisi sit, non erit noster nec liber: qui primus est gradus in hac ratione libertatis. Ita Augustinus in illa celebri dissertatione cum Euodio: docet enim liberum nobis esse, quod in nostra est potestate, id est, quod habere voluntarij possumus. Itaque etsi beatitudo donetur à Deo, atque adeo status beatitudinis non sit liber, tamen ipsa fruitio quæ volendo fit, libera futura sit: quod velle beatitudinem, est voluntatis; quamuis poni in statu beatitudinis, sit Dei. Idque ad præscientiam extendit: nam cùm præsciri beatos nos fore, liberum nobis non sit; cùm Dei sit; velle tamen beatitudinem liberum nobis est, quia velle nostræ potestatis est. Ac concludit: *Voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia in potestate est, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Ecce prima velut conditio libertatis: esse meæ facultatis, quod volo: & cùm volo. Vnde quæ in nobis fiunt inuitis non libera sunt, quia nostræ facultatis

Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.

non sunt, vti est mors, & motus concupiscentiæ, qui fiunt in nobis præter voluntatem, imò & reluctante sæpe voluntate. Quibus exemplis Augustinus vtitur: ac ex iis à contrario probat libertatem. Sic lib. 15. de Ciuit. cap. 10. *Si necessitas nostra illa dicenda est qua non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus efficit id quod potest, sicut est necessitas mortis manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse.* Et lib. 1. de Nupt. cap. 6. *Quid est quod oculi, labia, lingua, pedes, & manus,* &c. *vt ad opera sibi congrua moueantur positum in potestate est,* &c. *vbi autem venit vt filij seminentur ad voluntatis nutum membra ad hoc opus creata non seruiunt.* Idem docet de motibus Gratiæ excitantis: qui idcirco fiunt in nobis sine nobis, quia non sunt à nobis, id est non nostræ potestatis. *Non est in nostra potestate cor nostrum, & nostra cogitationes.* Cùm tamen nobis liber sit consensus, aut dissensus. *Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem: sed consentire vel dissentire propria voluntatis est.* Hæc ratio inchoata libertatis opponitur impotentiæ, & necessitati ex indigentia potestatis. Quemadmodum probat Augustinus conferens motus passionum in

Lib. de Dono Perseu. cap. 13. & lib. 2. cõt. Iul. c. 8. Lib. de spir. & lit. cap. 34.

Lib. 26. contra Faust. c.

Christo, & in nobis, docens eos esse liberos Christo, quòd eos haberet in potestate, & pro libito admitteret, & deponeret; nobis non esse liberos, quòd inuiti eos patimur: nec pro voluntatis arbitrio moderamur.

vlt. lib. 83. quæst. q. 80. in fine.

Vt sit autem illa potestas completa & libera, non debet esse per modum naturæ, cui inest etiam facultas habendi suas functiones & actus: At Augustinus contra Manichæos distinguit voluntatem à naturâ. In eo igitur differt à potestate naturæ illa potestas libera voluntatis, quòd natura imperio & pondere naturali fertur & truditur: at voluntas operatur ex iudicio, & ratione, & deliberatò elicit actum, quem vult: & in ipso puncto determinationis, vult obiectum, & actum: vt non modò in obiectum feratur, sed & actum ipsum volendo imperet, ac in ipso sibi virtute complaceat, & delectetur. Qua ratione fiet, vt etsi actus voluntatis determinatus omnino sit ad vnum obiectum & motiuum: in ipso tamen puncto determinationis, cùm elicitur ex deliberatione, suam iustam libertatem habeat, voluntatis beneficio prodeuntis in actum complacendo, & delectando se de actu: vt volendo fiat ipsa volitio: & imperetur velle obiectum

à voluntate. Atque hoc ipſum eſt habere actum in poteſtate primâ ratione, & veluti genericâ libertatis. Nam voluntas delectando ſe, & complacendo ſibi imperat, & elicit actum: cum deliberatione & delectatione. Hæc eſt, me authore, Auguſtini de ratione primariâ & capitali libertatis ſententia: locos appello. *Quid tam*, inquit, *in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt.* Et, *Certè ipſum velle in poteſtate eſt.* Iam in lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. præclarè. *Optimè de te veritas clamat: Non enim poſſes aliud ſentire, eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cùm volumus facimus. Quapropter nihil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt. Ea enim nullo prorſus interuallo mox vt volumus præſto eſt.* Ita loquitur quaſi duo ſint voluntas & actus: imperetúrque actus à potentia, id eſt volitio à voluntate. Vnde ponit exemplum in eo quod facimus, quod eſt opus imperatum extrinſecus à voluntate: eóque vtitur ad explicandum quomodo res ſit in poteſtate voluntatis; perinde ac nihil interſit inter modum, quo fit opus, & quo fit volitio: ac eodem modo ſit in poteſtate volitio intra voluntatem, quo eſt opus extra voluntatem. Nonne hoc ſignificat illa ſententia: *Ea enim nullo prorſus interuallo, mox vt*

Lib. 1. de lib. arb. c. 12. 13. & 14. lib. 1. ad Simpl. q. 1.

volumus, praesto est? Ac ne quis putaret satis esse illam ipsam volitionem, nec aliùd ab ea distinctum poni in cuius ea potestate sit: ita loquitur vt appareat actum ipsum volendi alium esse à voluntate volente. Interim hoc tantùm agimus, nec dum de ratione ac modo distinctionis disputamus, vt constet non satis esse ad hanc libertatem, nec potestatem, vt actus ipse sit per se volitio, sed vlteriùs exigatur, vt voluntas ipsum antecedenter deliberatò eliciat vt potestas eius sit penes voluntatem. Manifestè Augustinus lib. 2. Retract. cap. 1. *Non dicimus esse in potestate nostra, nisi quòd cùm volumus fit.* Puto quòd inter illud *volumus,* & illud *fit,* est distinctio. nam velle distinguitur à facto. Pergo: *Vbi prius & maximè est ipsum velle.* Ecce *velle* actu, id est *volitio* inter ea quæ fiunt numeratur. Ergo seruatâ proportione, vti quæ agendo fiunt distinctâ à factis voluntate fiunt; ita quæ volendo fiunt, id est volitiones, distinctâ suo modo voluntate fiunt. Addit, *Sine quippe vllo interuallo temporis praesto est voluntas ipsa, cùm volumus.* Quasi diceret: id interesse inter actus externos, & internos voluntatis; vt illi aliquo interuallo temporis sequantur imperium motúmque voluntatis; hi tem-

poris interuallo excluſo voluntatem ſequantur, vt ſit antecedentia inſtantis, vel naturæ voluntatis ad volitionem, cum diſtinctione motus & poteſtatis. Id innuit cùm geminat verbum, *Præſtò eſt voluntas cùm volumus*. Nam quid opus erat iterare: ſi ſatis eſſet ad id quod docebat ipſa volitio? Illud item *præſtò eſt* indicat volitionem obedire antecedenti motui voluntatis. Aliud demum confirmat hanc mentem: quòd Auguſtinus eadem phraſi vtitur, cùm loquitur de voluntate & opere. Etenim lib. 1. Retract. cap. 22. ſic ait: *Cùm enim hoc ſit in poteſtate quod cùm volumus facimus: nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt.* Facit quod ait lib. 1. Retract. cap. 21. *In poteſtate noſtra non eſt niſi quod noſtram ſequitur voluntatem.* En diſtinctio: Igitur actus voluntatis cùm ſit in noſtra poteſtate, ſequitur voluntatem. Iam verò dubitationem tollit ille locus lib. 2. de lib. arb. cap. 19. *Noli mirari, ſi cæteris per liberam voluntatem vtimur, etiam ipſâ liberâ voluntate per eam ipſam vti nos poſſe: vt quodammodo ſe ipſa vtatur voluntas quæ vtitur cæteris.* Dixit *quodammodo* ne quis putaret actu aliquo reflexo opus eſſe ſuper actum elicitum volendi: aut opus eſſe alio actu imperante diuerſo

Et lib. 3. de lib. arb. c. 3.

uerſo ab actu imperato : cùm neutrum ſit neceſſarium : ſed tantùm complacentia quædam & delectatio voluntatis quaſi antecedens, & illiciens actum : vt ſit quædam præcedentia naturæ quæ inferat volitionem, tam cum ea coniuncta : vt vix reapſe deprehendatur diſtinctio : atque adeo non poſſit actus ipſe voluntati deeſſe. Quod non prætermiſit Auguſtinus: *Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt, nullo quippe interuallo temporis præſtò eſt voluntas.*

Lib. 1. Retract. c. 22. & c. 1.

Nec id erit nouum conſideranti, quàm diuersè ſe habeat voluntas ad actus indeliberatos, quos primò primos & indeliberatos appellant, cùm hi volitiones ſint, & fiant in voluntate, & à voluntate : ac ſæpe diu in ea conſiſtant. Quos tamen Auguſtinus negat eſſe in poteſtate voluntatis & *fieri cùm volumus :* non alia ſanè causâ, niſi quòd non fiunt à voluntate volente : ſed prodeunt à voluntate indeliberatâ, atque adeo non volente : cùm tamen videamus eos ferri in obiecta, & eſſe volitiones obiectorum : ergo non dicuntur actus voluntarij, neque liberi, niſi quòd non procedũt vti cæteri actus, volendo. Atque hoc ipſum quo diſtin-

guitur ipſa productio actus deliberati à productione actus indeliberati, eſt illa germana ratio libertatis in voluntate, iuxta doctrinam Auguſtini: qui eos negat eſſe in poteſtate noſtrâ, *cùm tamen conſentire iis vel diſſentiri, voluntatis, atque adeo poteſtatis noſtræ ſit:* non ſolùm quòd dum conſentimus poſſimus diſſentiri, ſed etiam quòd præcisè ille conſenſus ſit in noſtrâ poteſtate, & liberâ voluntate fiat: vt non ſit ſolùm libertas reſpectiua ad actum contrarium, in quo eſt indifferentia; ſed etiam in ſe abſolutè conſideratâ poteſtate voluntatis ad conſenſum, præſcindendo à poteſtate diſſenſus. Ecquis enim non videt præciſo reſpectu ad diſſenſum ſtare integram ad illum conſenſum eliciendum poteſtatem voluntatis? imò, ſi demus nihil intellectum de diſſenſu cogitare, non ideo non erit ille actus in poteſtate voluntatis. Nam poſſe voluntatem diſſentiri, ad indifferentiam quidem addit, ſed non, opinor, detrahet poteſtati, atque adeo nec officit huic genericæ quam Auguſtinus tradidit libertati. Itaque actus ille eo modo quo fit, liber eſt: quia fit à deliberatâ, & volente fieri voluntate.

Lib. de ſpir. & lit. c. 34.

Quod certè manifeſtiùs apparebit, ſi obſer-

uemus, quàm sint in vnica potentia varij, diuersique conatus, & motus: sibi sæpè contrarij & repugnantes: vt certare in nobis videantur voluntatis quasi quædam partes factiosæ. Qua de re multa superiùs diximus, cùm egimus de necessitate peccandi; & multus solet esse Augustinus dum versat illud Apostoli: *Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago*, & tradit sæpe nos inuitos peccare. Quod cùm sit, experimur in nobis contrarios motus in diuersa abeuntis voluntatis. Nam actu quodam peccamus: & nisu quodam renitimur à peccato: vt illa volitio peccati sit quodammodo extorta à seruiente & misera voluntate. Quod nisi quotidie experiremur, haud facilè crederemus in vnica voluntatis operatione duos tam sibi oppositos motus reperiri. Igitur ex iis apparet quâ ratione voluntas nostra præter actum quem elicit habere possit nescio quid conatus vltra actum, quo vel ei repugnet, vel consentiat. Vnde iam intelligitur quid sit habere actum in potestate: & omnino liberâ potestate. Quis enim neget cùm peccamus inuiti, minus esse in nostrâ voluntate dominij in peccatum? Quare Augustinus dixit, nos non omnino liberos peccare, sed certâ quadam necessitate

Lib. de Nat. & Grat. c. 64. 67. & lib. 1. ad Simp. q. 1.

peccare: non solùm quòd inclinemur à concupiscentia ad peccandum, sed etiam quòd contra nisum voluntatis & non totâ libertate peccemus: quòd non sit actus ille peccandi in nostra integra potestate: cùm sit extra ius & dominium illius inuitæ & repugnantis voluntariæ potestatis.

§. 2.

VIDEO obiici mihi ab Scholasticis posse huiusmodi rationem libertatis non distingui à ratione voluntarij, vt quod ego liberum dico illi voluntarium appellent. De quo ego non contendo; tantùm vendico hoc ipsum ab Augustino liberum appellari: & animaduerto aliquam rationem liberi in eo apparere: à quo præscindit ratio voluntarij. Nisi fortè voluntarium vocent actum deliberatum, & quod omninò sit à voluntate plenâ, & sibi in actu complacente: cuiúsque nulla sit pars inuita, vel renitens. At hoc sensu inuoluit quiddam liberum: & distinctum ab illa indifferentiæ facultate. Quâ item præcisâ, manet quædam ratio libertatis. Nam eò quærendo vrgeam aduersarios. Si à Deo vnus & certus ob vnum certum motiuum actus cum singulis circun-

ſtantiis Chriſto Domino præciperetur. Vtrum liber aliquo modo futurus eſſet? Si affirment conſentiunt. Si negent, ego contrà opponam: adhuc quiddam libertatis ſupereſſe in actu alio reflexo acceptante illum actum, & volente: qui actus haud dubiè liber eſſet. Imò & in ipſo actu præcepto eſſet poteſtas voluntatis, quòd ipſum, aut intendere poſſet, aut remittere: & ſi vera eſſet noſtra ex Auguſtino ratiocinandi forma in ipſa determinatione voluntatis probante actum, & ſibi de eo complacente aliqua ratio libertatis eſſet: cùm nulla tamen eſſet indifferentiæ: nec quoad ſpeciem, nec quoad indiuiduum, nec quoad motiua, nec quoad circunſtantias, vti ſupponitur.

Ita docet Suarez. I. tom. in 3. partem diſput. 37. Sect. 4 ad finem.

Non eò hoc dico quòd ſentiam huiuſmodi rationem libertatis ſatis eſſe ad meritum: cùm videam ſemper ab Auguſtino requiri aliam ad merendum libertatem, quæ communiter recipitur, nempè contractam ad libertatem indifferentem, id eſt arbitrij ſiue eligentis vnum præ alio, ſiue potentis abſtinere ab vno indiuiduo, & in aliud declinare, iuxta traditam ſuprà doctrinam de poteſtate vitandi peccata, & de ratione duplicis libertatis, quæ contrarietatis, & contradictionis appellatur. Quæ

ſanè eſt libertas viatorum; cùm ea de qua loquimur ſit propria Dei & Beatorum; atque adeo alia ratio libertatis, veluti abſtractior, & generica, & intra poteſtatem intimam voluntatis conſtituta: quámque indifferentia conſequatur, & contrahat ad aliam formam & ſpeciem libertatis.

Atque vt tota huiuſmodi doctrina conſtet, obſeruo apud Auguſtinum quinque eſſe ſecundùm totidem ſubiecta ſpecies libertatis. Prima Dei. Quæ vel eſt ad intra, vel ad extra: ad intra circa ſe: ad extra erga creaturas. Neutra in Spiritus Sancti productionem cadit: cùm ſit per modum naturæ determinatæ, non voluntatis conſiliantis, & deliberantis. Vnde quamquam ſit voluntatis, non eſt Dei vti volentis, ſed vt erumpentis in productionem, ſupra omnem rationem deliberandi, & ex iudicio rationis volendi. Quâ ratione docet Auguſtinus Filium à Patre genitum eſſe, quemadmodum ipſe eſt Deus. id eſt naturâ ſuâ, præſcindendo ab omni voluntate. Itaque duo diuinæ libertatis obiecta proponit Auguſtinus bonum ad volendum, malum ad nolendum: & duo alia ſtatuit: Deum eſſe in vtroque liberum, etſi non indifferen-

Lib. 26. de Trinit. c. 20.

tem ad vtrumque. Nam ita contra Iulianum exigentem indifferentiam ad libertatem: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum? Liber ergo Deus non est qui malum non potest velle?* Nec id tum semel, sed antè iam dixerat. Vnde constat sine indifferentia contrarietatis dari in Deo libertatem. Alterum: respectu partis determinatæ: id est amoris boni, & odij mali Deum adhuc esse liberum: præscindendo à libertate contradictionis. Etsi eam Augustinus non negat. Sed aliam libertatem voluntatis erga actum (vt ita dicamus) admittit: sic vt illa volitio boni in communi sub hac etiam ratione libera sit. Ac de eo loqui Augustinum patet, nam dicit: *An potiùs intelligere debes esse quandam beatam necessitatem qua Deus iniustus non potest esse.* Ecce in eo ipso quod est liber, agnoscit *necessitatem*, & in eodem agnoscit libertatem. Id constat ex alio loco in quo aduersus Pelagium ait. *Dicere non audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.* Patet verò de ipso *velle* in se quoad speciem loqui: non autem de voluntate respectu vnius vel alterius boni, quod potest in exercitio velle cum potestate

Lib. 1. cõt. Iul. oper. imperf.

electionis. Nam licèt hoc sit verum, non id Augustinus agebat. Vti apparet ex argumento Pelagij dicentis: *Voluntatis arbitrio priuari, quidquid naturali necessitate constringitur:* cui sic Augustinus respondet. *Perquam absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus quia id omnino nolle non possumus nescio qua & bonâ constrictione naturæ.* Vbi de libertate sermo est, cùm *voluntas* apud Augustinum respondentem: *Voluntatis arbitrio* Pelagij, debeat respondere. Imò & in hac ipsa *beatâ volendi bonum necessitate* laudem quærit *voluntati*, id est liberæ voluntati diuinæ. Ita Tract. 53. in Ioan. *Sicut ergo quod Dominus negare se ipsum non potest, laus est voluntatis diuinæ: ita quòd illi non poterant credere culpa est voluntatis humanæ.* Relatio opinor voluntatis diuinæ ad volũtatem humanam culpâ non vacuam, significat diuinam voluntatem liberam. Quid? quòd ait *negare se ipsum non potest,* actus est, & obiectum certum & determinatum: & tamen in eo admittit libertatem: vti admiserat in obiecto generico, & voluntate non ad vnum particulare bonum determinatâ. Quin existimo, si Augustinus rogaretur: vtrum, supposito quòd Deus vnum tantùm bonum in

Lib. de Nat. & Grat. c. 46.

in indiuiduo ſibi volendum proponeret liber in volendo futurus eſſet? dictūrum: adhuc in eo volendo liberum, eâ qua diximus ratione fore. Idque huiuſmodi exemplo *non negandi ſe ipſum* manifeſtè, me authore, probatur. Nam ego certè non video, quomodo circa obiectum negandi ſe ipſum, verſari queat indifferentia, vel electio voluntatis diuinæ? Ne tamen hinc inferas: quâ libertate Deus non poteſt negare ſe ipſum, eadem & homines non poſſe credere: nam comparatio in eo eſt, ſicut Deus negare ſe non poteſt ex ſumma rectitudinis poteſtate, ita homines non poſſe credere ex maximâ ſeruitute & miſeria voluntatis obſtinatæ: nam, cætera, Deus mutari non poterat, cùm voluntas humana poſſet deficere, & mutari.

Hinc iam apparet cuiuſmodi diuina libertas ſit, nimirum facultas illa ſumma Dei in actum ſuum (more noſtro loquimur) prodeuntis, ex dominio, & abundantia poteſtatis ad rectitudinem ordinatæ: & non per modum naturæ, ſed facultatis ex ratione operantis. Quæ certè in altiſſima libertatis arce ſita eſt, nullâ ex obiecto, & circunſtantiis neceſſitate: illius tantùm compos quæ beatam inducat in

non peccando immutabilitatem, quam Augustinus pulchrè appellat *beatam necessitatem*.

Suprà lib. 1. oper. imperf. cont. Iul.

Quid de Christi Domini libertate sentiat Augustinus ex hac notione diuinæ libertatis agnoscitur. Statuit enim: sic eum esse comparatum, *vt nullum in se metum malæ voluntatis admitteret*. &, *Vt nullum posset habere peccatum*, &, *cui ipsa gratia quodammodo naturalis fieret, quæ nullum peccatum posset admittere*. Itaque cum ab illa potestate deficiendi in peccatum liberum docet, ac eo liberiore præditum arbitrio, quòd eâ indifferentiæ ad malum parte careret. *Nunquid metuendum*, inquit, *fuit, ne accedente libertate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat ac tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat?* Radix istius libertatis illa sanè, quam in Deo ostendimus, nempe illa summa ex recta ratione & amore summi boni in actu bono firmitas ex complacentia ipsius voluntatis operantis, quasi se ipsam ad actum eliciendum imperantis, & suprà se ipsam quodammodo reflectentis, ac ex placito deliberato volitionem cum summâ delectatione elicientis. Quâ tandem ratione vel ad meritum constituendum in voluntate Christi Domini

Lib. de Cor. & Grat. c. 11. In Enchir. c. 36. Ibid. cap. 40.

Lib. de Prædest. Sanct. c. 15.

grauissimi huiusce ætatis Theologi vsi, totam hanc de Christi Domini libertate obscurissimam quæstionem, cùm modos omnes percurrissent, & penè improbassent, profligarunt. Et sanè ad merendum per actum omninò ad indiuiduum ex certo motiuo & certis circunstantiis determinatum, vix potest alius excogitari. Quare etsi non negandum voluntatem Christi etiam eo modo fuisse liberam, vt vnum bonum eligere posset præ alio, quæ item electio datur in beatis circa alia bona creata; verùm hâc præcisâ, imò & sublatâ ex addictione ad vnum ineuitabili, superest adhuc altiùs illa euecta libertas, summæ, & liberæ ex complacito, actus eliciendi potestate. Hic tamen liberè operandi modus proprius tantùm fuit illius cui diuina natura communicata: cuique gratia facta est, Augustino teste, *quodammodo naturalis*. A quo cùm longissimè absint reliquæ ratione præditæ creaturæ, non sibi debent eandem ad merendum rationem libertatis arrogare. Certè non minùs desiperet, qui id homunculus auderet, quàm si vellet abiecto discursu, & ratiocinandi facultate purissimam illam, & abstractam à concretione mortalis intelligentiæ cognoscendi rationem vindicare.

Suar. 1. tomo in 3. p. d. 37. s. 4. ad fin.

In Enchir. cap. 40.

Aliud enim eſt eſſe in rerum natura formam illam ſubtilis, & defæcatæ libertatis: aliud eam nobis, dum ſumus in hoc miſero lapſæ ruinæ ſtatu accommodari. Quod ſi Auguſtinus tantum diſcriminis poſuit inter liberam ſtatus erecti, & lapſi poteſtatem: quid mirum ſi aliquid inter beatorum & viatorum, Dei & creaturarum libertatem intereſſe dixit: quo inducto diuerſa, ſed vera tamen poteſtatis liberæ ratio appareret. Cur autem, cùm tanta ſit mentis in cognoſcendo diuerſitas, non ſit etiam aliqua in operando voluntatis? Ac vt ratio cognitionis eâ diuerſitate non tollitur, ſed formis ſuis ſpeciebúſque diſtinguitur, ita nec hiſce acceptis euertitur ratio libertatis?

§. 3.

TERTIA libertas eſt beatorum tum circa Deum amando illum, tum circa peccatum nolendo illud: & in vtroque cùm aliter eſſe non poſſit Auguſtinus agnoſcit libertatem: imò multò maiorem quàm in via, cùm aliter poterant, libertatem. Itaque, ait, *eos indeficienter frui.* & *impleri omni bono inſuperabilem voluntatem. Amorem illius boni immutabilem eſſe* & *inamiſſibilem voluntatem pietatis, & æquitatis.*

Lib. 22. de Ciuit. c. vlt. & lib. 14. de Ciuit. c. 9. In En-

atque adeo *peccare non posse. malè velle non posse.* quod *necesse iis sit nolle peccare.* & *nolle bonum deserere.* At hoc ipso eos maximè liberos fore affirmat. *Quid enim erit*, inquit, *liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato? Magis*, ait rursum *erit liberum à delectatione peccandi ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Erit enim potentius quo peccare non poterunt.* Itaque in illa ipsâ, *quam dicit necessitatem non peccandi*, summam libertatem agnoscit; ac ne quis putet eam solum esse respectu status seruitutis, & metaphoricam, vt aiunt, libertatem: docet lib. 3. de lib. arb. cap. 5. *Perpetuam illam tuendæ iustitiæ voluntatem: liberam esse voluntatem*, & confirmat exemplo Dei: quem summè liberum in nolendo malo esse vult. *Certè*, inquit, *Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Eo igitur liberos admittit quòd actum illum amandi Deum, quem eliciunt: etsi ex obiecto necessarius sit, tamen summâ ratione, summâ deliberatione, summâ complacentia, & suauitate eliciunt: nullâ parte voluntatis inuitâ, nullâ repugnante, nullâ tergiuersante, nullâ oscitante, sed totâ consentiente, volente, inhærente, vt omnino sit actus

Enchir. c. 5. lib. de Cor. & Grat. cap. 11. Lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. Lib. de Cor. & Grat. c. 11. Lib. 22. de Ciuit. c. vlt. Lib. 14. de Ciuit. cap. 9. Lib. 22. de Ciuit. c. vlt.

ille in poteſtate voluntatis: illum accipientis, & amplectentis, & probantis: ac nunquam ab eo ceſſare volentis. Quare licèt aliunde neceſſitas in obiecto ſit, cùm ea non tollat, imò iuuet illam rationem amandi & complacentiam amoris, quò maior illa eſt, eo maior eſt voluntatis in volendo libertas, quia maior eſt virtus, & poteſtas, & ſatisfactio voluntatis. Hoc autem manifeſtò docet Auguſtinus diſputans cum Euodio putante beatitudinem ex diuina præſcientia & poteſtate liberam non fore. Aiebat enim is: ſe beatum eſſe non poſſe, niſi & Deus præſciret, & bearet: in ſua autem poteſtate neutrum eſſe: ita ſe non liberum beatum fore. Vnde: *In me fiet quod beatus ero*, concludebat: & vrgente Auguſtino: *Tu ergo inuitus beatus es?* Reſpondebat: *Voluntas Dei mihi eſt neceſſitas.* Rem itaque ſic tranſigit Auguſtinus: Ait Deum & præſcire & donare beatitudinem: nec aliter me beatum eſſe poſſe, niſi vti præſciuit, & dedit, me tamen liberum fore beatum. Quia nimirum *voluntate* beatus futurus ſum, id eſt *liberâ voluntate*. In quo ſit autem libertas? hoc opus, hic labor eſt. Erit qui putet ex modo loquendi Auguſtini, eo liberam fore voluntatem, quòd actus ſit voli-

Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.

tio, id est non nisi voluntatis actus: vt tota ratio volendi sit, in eo quod non est *coactio*: sed voluntatis vera volitio, quæ cùm ea sit, coactio esse non potest. Concludit enim Augustinus: *Quòd si fieri non potest, vt dum volumus, non velimus, adest vtique voluntas volentibus.* Videtur quippe docere non aliter nos *liberè velle*, nisi quòd actum volendi elicimus: & quia non nisi voluntate volumus.

Ibidem.

Sed longè alia est mens Augustini: nam hac ratione & actus indeliberati voluntatis: & illi quos ex parte facit inuita, liberi apud Augustinum essent, cùm sint *volitiones*, & quidem hæ secundi generis, deliberatæ. Augustinus autem omnino negat primos liberos fore, quòd nullo modo sint in nostra potestate: secundos autem non omnino liberos esse vult, quia non omnino sunt in nostra potestate: cùm sint ab inuitis. Vnde solet libero inuitum opponere. Imò vt hic opponit. Igitur non satis est ad libertatem, vt actus sit volitio, sed aliquid amplius exigitur: quo liber euadat: nimirum illa in puncto determinationis rationabilis, & cum summâ satisfactione deliberatio voluntatis, & quasi voluntas volitionis cuique volitio deesse non potest: quia est in potestate voluntatis:

Ibidem.

§. 1. nec resistet voluntati. Quod iam antè accuratè probauimus: & ex hoc loco libri 3. de lib. arb. cap. 3. probamus. Nam perspicuè: *Non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi quod nobis cùm volumus deest.* Igitur præmittit *volumus* ei quod speratur, & deesse potest. *Dum autem volumus si ipsa voluntas deest nobis, non vtique volumus.* Illud *dum volumus*, significat determinationem ad volendum certâ quadam volitione: quæ cùm volenti deesse in statu beatitudinis non possit, fieri nequit vt non velimus. Vnde addit: *Quod si fieri non potest, vt dum volumus, non velimus, adest vtique voluntas volentibus.* Quasi de duabus voluntatibus agit: quarum vna succedat alteri: & quarum altera sit in alterius potestate. *Voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.* Id est: *quod cùm volumus facimus.* Hæc autem duo sunt *velle & facere*. Quare cùm addit, *Adest voluntas volentibus*, docet facere nos volitionem, præuolendo quodammodo illam, vnde ait, *Nihil tam in potestate, quàm ipsa voluntas est:* & *Porrò quia est in potestate libera nobis est.* Iterum: *Nec aliud quicquam est in potestate, nisi quod volentibus adest.* Hinc est illud: *Velit nec possit.* quod sæpissimè repetit; cùm

Lib. 1. Retract. c. 22.
Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.
Lib. 1. Retract. cap. 22.
Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.

cùm de duabus quasi pugnantibus inter se voluntatibus disserit. Sic enim lib. de Contin. cap. 13. & lib. 83. quæst. q. 70. & lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 24. & lib. 4. contra Iulian. cap. 14. & lib. 14. de Ciuit. cap. 2. & 5. & lib. de perf. iust. cap. vlt. Nec minus illud: *Ab eo quod libet vincitur quod placet.* Cùm *nos* scilicet *ad sentiendum siue consentientes mente, siue repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellimur.* Vnde illæ animæ partes apud eundem diuersæ & colluctantes: *partem* quippe *animalem* dicit *appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur: partem quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro: partem quæ carnalibus gaudiis tenetur.* Hac ratione, *Anima caro* nominatur lib. de Fide & Symb. cap. 10. & lib. 14. de Ciuit. cap. 2. & 5. vnde est illud: *Sibi ipse, id est, voluntati eius animus, eóque inferior caro eius non obtemperat; ipso namque inuito & animus plerumque turbatur,* &c.

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.
Lib. 4. cont. Iul. cap. 14.
Lib. 2. de Genesi cont. Manich. cap. 13. 11. 14.

Igitur apud Augustinum libertas non est cùm homo vult partim nolens renitente voluntate: partim volens obediendo concupiscentiæ: quia etsi eliciat actum volendi deliberatum peccando: ille tamen non procedit à voluntate imperante omninò & complacente: nam id

prorſus ab Auguſtino exigitur in quocunque ſtatu quòd ſit ratio generica libertatis. Ita lib. 1. ad Simpl. q. 1. *Si autem quod nolo hoc facio conſentio legi. Conſentit legi, non in quantum facit, quod illa prohibet, ſed in quantum non vult, quod facit. Vincitur enim nondum per gratiam liberatus.* & infrà: *Trahitur ad malè operandum concupiſcentiâ dominante.* vt ſerm. 4. de verb. Apoſt. *Legem audiuit, peccatum vidit, conatus eſt vincere, ſuperatus atque proſtratus eſt.* & lib. 2. ad Bonif. c. 4. *Qui inuitus facit, procul dubio & per hoc in animo non facit. Mauult enim omnino non facere.* Nam ait lib. 1. ad eundem cap. 9. *Aliud eſt benefaciendi voluntate bene facere, aliud ad malè faciendum ſic voluntate inclinari, &c.* Vnde conſtat non ſolùm velle ipſum actuale conſtituere voentem, ſed opus eſſe, vt ipſum velle ſit à voluntate probante, & ex integro volente. Non quidem per alium actum, ſed per quandam determinationem rationabilem delectabilem, & ſibi omnino complacentem. Nam vt rectè Auguſtinus. *Duæ ſunt voluntates, vna earum tota non eſt, & hoc adeſt alteri, quod deeſt alteri.* Cùm igitur tota ſibi aderit, libera prorſus erit omni libertate: cùm non aderit, non omnino libera erit, imminu-

Apud Proſper. in ſent. ſent. 178.

tâ libertate. Quòd autem præter ipsam volitionem, & ante ipsam præcedat quidam veluti motusin voluntrae radix volitionis, & inclinatio ad ipsam: ratione cuius sit ipsa præuolita quodammodo & imperata volitio: satis existimo probari in Augustini schola, eo quòd illa volitio libera est ratione genericâ: quæ habetur in nostra potestate. Sunt autem quædam volitiones apud Augustinum liberæ, imò & summè liberæ, quæ ratione suæ immutabilitatis, & obiecti aliter esse non possunt, quàm sunt: igitur vt sint in potestate necesse est, vt sint in complacentia & imperio voluntatis ex ratione, & satisfactione operari volentis: in quo sua sit quædam ratio potestatis. iuxta illam Augustini regulam: *Illud est in nostra potestate, quod fit cùm volumus*, à se explicatam lib. 2. Retract. cap. 1. *Non dicimus esse in nostra potestate, nisi quod cùm volumus fit: vbi prius & maximè est ipsum velle: sine vllo quippe interuallo temporis præstò est voluntas ipsa cùm volumus*. & lib. 1. Retract. cap. 22. *In nostra potestate non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem*. cui si adiungas illud: *Vbi prius, & maximè est ipsum velle*. tota opinor, confecta res est. Nam illa, quæcunque sit, tandem deliberata placitáque

volitio, quæ à voluntate imperante & complacente dicitur, ſuam habebit formam, & ſpeciem libertatis: etſi non omni prorſus ratione libertatis exhauſtâ. Ne cui autem huiuſmodi ſententia antecedentis iſtius voluntatis ad volitionem motus inſolens videatur, facit idonea Theologorum authoritas, qui affirmant: *In voluntate eſſe motus quoſdam, quibus voluntas afficitur, qui non ſint volitiones, ſed affectiones voluntatis ad illam rem, à cuius bonitate tangitur, & allicitur ad volendum eam. Nec ſolùm huiuſmodi motum in hominibus, ſed in Angelis etiam antecedere volitionem.* Et, *Volitiones liberas quæ ſunt in noſtra poteſtate non præcedere, ſed potiùs ſequi voluntatem, qua volumus illas eſſe, & idcirco fieri quia illas fieri volumus: vt ex Auguſtini verbis manifeſtè colligitur. Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit: nam particulam illam* ſi *appoſitam verbo* vult *non purè conditionalem eſſe, ſed cauſalis locum obtinere.* In quos ego authores multo poſtquàm hæc ſcripſeram, incidi: nec enim huius alium authorem habui, quàm Auguſtinum ſententiæ. De qua vberiùs aliàs & exactiùs me tractaturum recipio,

Molina in cont. q 14. nu. 13. diſp. 45.

Richard. diſput. de lib. arbit. lib. 2. c. 2. § 1.

Illud interim moneo: ſi cui inſtitutæ huiuſce de libertate & neceſſitate peccandi quæſtionis, & exponendæ Auguſtini mentis ratio placuit, eâdem à me illi reliquas grauiſſimas controuerſias ad Auguſtini mentem explicatum iri. Ne quis me tamen à ſcholaſticâ diſceptandi ratione abhorrere putet, volo aliam ſuſcipere quæſtionem, eámque ſcholarum more tractare, vt appareat Auguſtinianæ doctrinæ dignitatem non eſſe ab huiuſmodi contentioſi pulueris diſputationibus alienam, imò ſi ad methodum redigatur, omnino ex ea omnes penè difficiles de rebus fidei ac Theologiæ controuerſias definiendas: id quod nos iam Deo auſpice inſtituimus, eóque dante perficiemus.

QVÆSTIO ALTERA.

DE NECESSITATE GRATIÆ ad opera naturalia, & moralia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Opúsne sit gratia Christi ad cognoscendas veritates naturales?

COGNITIONVM quædam sunt speculatiuæ, quædam practicæ: illæ sistunt in puro intuitu rerum; hæ vlterius dirigunt voluntatem ad opus: naturales vtræque sunt sensuum ministerio comparatæ: & ab intellectu naturali virtute elicitæ. De vtrisque agitatur quæstio. An haberi possint sine gratiæ auxilio? non illo quidem inhærentis, & sanctificantis, sed transeuntis, & auxiliantis. Et verò vt distinctè procedamus; primi generis, cognitiones: secundi autem generis, cogitationes dicamus: & scholastico more quæstionem in articulos; doctrinam in conclusiones coniiciamus. Sit igitur hac in re

Prima conclusio. Intellectus suâ virtute naturali potest cognoscere veritates naturales, ad quas eius facultas naturalis extenditur,

Probatur: quia huiuſmodi veritates & ſcientiæ ſunt merè naturales, neque excedunt vires intellectus, qui naturâ ſuâ fertur in verum, nec tanta eſt in cognoſcendo difficultas, vt doctrinarum præſidio, & propriâ induſtriâ vinci non poſſit. Ergo nulla eſt gratia Chriſti neceſſaria. Probatur ſecundò auctoritate Auguſtini 1. Confeſſ. cap. 7. & lib. de ſpir. & lit. cap. 12. & ſerm. 55. de verbis Domini. & præcipuè lib. 1. ad Simpl. q. 2. vbi ait: *Non ſolùm bonum ingenium, ſed & honeſtas & vtiles diſciplinas interdum comparari ante gratiam ſalutarem.* Huc ſpectat quod ait epiſt. 105. *Chriſtum non eſſe mortuum, vt aut Philoſophi, aut Mathematici efficeremur.* Huius ſententiæ ſunt Suarez tom. 1. de Grat. lib. 1. de neceſſit. Grat. cap. 1. & Vaſquez 12. diſp. 188. cap. 2.

Suarez. Vaſquez.

Secunda concluſio. Cognitio Dei vt eſt prima cauſa, & veritates morales ſpeculatiuæ, naturaliter ſine auxilio gratiæ comparari poſſunt. Hæc eſt aliquanto difficilior, ſed certa & conſtans contra Nominales: qui negant vllo modo Deum naturaliter cognoſci poſſe: Nititur teſtimonio Pauli ad Romanos 1. *Quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis.* Quod citant & illuſtrant Suarez citatus, & Bellar-

Vide Suarez tom. 1. de Grat. lib. 1. cap. 1. num. 5. Suarez. Bellarm.

minus lib. 4. de Grat. & lib. arb. cap 1. & 2. & auctoritate Augustini sæpè docentis, legem & doctrinam non esse gratiam contra Pelagium: quòd illud naturaliter fieri possit, atque adeo fide humana credi, quæcumque proponantur. Vnde à fortiori colligitur alias veritates morales naturaliter citra gratiam posse acquiri: nam si ipsa nuda propositio legis diuinæ & naturalis scriptæ in tabulis cordis nostri naturaliter fieri sine gratia potest: Maiori certè iure potest naturalis Dei cognitio, & Moralium veritatum perceptio comparari. Deinde ratione suadetur: quia noster intellectus non est destitutus lumine rationis, ad inuestigandum auctorem rerum omnium Deum, & ea quæ honesta & recta sunt intelligenda. Hanc etiam tradunt Suarez & Vasquez citati.

Tertia conclusio. Huiusmodi veritates multo faciliùs haberentur in statu puræ, quàm lapsæ naturæ. Hæc est Augustiniana, & nostra, contra Suarium & Vasquium, ac reliquos, qui nullum admittunt discrimen inter statum integritatis & ruinæ. Probatur hac ratione: quia tunc promptior & expeditior esset ratio cognoscendi: cùm multo minores essent tenebræ

nebræ ignorantiæ: neque tam concupiſcentia lumen rationis obſcuraret, & aciem mentis obtunderet. Confirmatur ex Auguſtino lib. 1. Retract. cap. 9. & lib. 22. de Ciuitate. cap. 22. & lib. de Nat. & Grat. cap. 13. & 22. & eſt Bedæ in Lucam cap. 10. & Fulgentij lib. de Incarnat. & Grat. cap. 12. & 13. & D. Thom. 4. contra Gent. cap. 52. docentium hominem in ſtatu ruinæ contraxiſſe vulnus ignorantiæ: quod aliquid certè debuit operari; itaque quas in diſciplinis capeſſendis tenebras ignorantiæ experimur, quíque nobis in addiſcendo errores contingunt, non ſunt, vt ait Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Hanc tueri debent Aluarez, & Pennottus, qui ſentiunt hominem per peccatum non ſolùm ſpoliatum fuiſſe gratuitis, ſed etiam vulneratum in naturalibus.

Beda. Fulgent. D. Tho.

Aluarez lib. 6. de Auxil. d. 45. & 46. & 47. Pennottus in Propugn. lib. 9. c. 7. nu. 5.

Circa cogitationes, quæ voluntatem inducunt ad rectè operandum, grauis quæſtio eſt. Hæ quippe cum bonis, & honeſtis actibus cohærent; & initia quædam virtutum ſunt, & ſemina. Vnde longè maior de illis diſceptatio. Recepta plurium Theologorum opinio eſt, huiuſmodi cogitationes naturalis eſſe poteſtatis & à natura noſtra haberi: nec ad id

dd

alio quàm naturali concursu opus esse. Ita sentiunt Soto lib. 1. de Nat. & Grat. cap. 20. & lib. 3. cap. 4. Vega in opusc. de iustificatione. Driedo de capt. & redempt. gen. hum. tr. 2. cap. 1. Bellarm. lib. 5. de Grat. & lib. arbit. & lib. 4. cap. 1. & 2. Suar. tomo 1. de Grat. lib. 1. cap. 2. Theod. Smising. tr. 3. disp. 6. q. 6. nu. 303. Rationes tres sunt. Prima, sunt quædam morales cogitationes honestæ quæ ex naturali lumine deciduntur: v. g. honorare parentes, subuenire egenis: ergo oblato, vti fit, harum cogitationum obiecto, naturaliter concipiet intellectus cogitationem rectè operandi, vnde voluntas ad faciendum opus incitetur. Secunda, si qua est necessaria Gratia ad hasce habendas cogitationes, vel ea est ordinis naturalis, vel supernaturalis: non supernaturalis, cùm illæ cogitationes non sint supernaturales, sed naturales: naturalis verò Gratia esse non potest, cùm nulla sit Gratia naturalis, quòd si qua inuehitur ea est à mente Patrum antiquorum prorsus aliena. Tertia, si ad istas cogitationes necessaria antecedens Gratia esset, hac subtractâ homo peccare non posset contra legem naturæ: quia cùm ex se non posset rectè cogitare, nec rectè operari posset: vnde si non pos-

Soto, Vega, Driedo, Bellarmin. Suarez, Smising.

ſet ſine Gratia cogitare, non haberet facultatem bene agendi, atque adeo non peccaret prauè operando.

Altera eſt huic contraria ſententia: quæ ait: cogitationem honeſtam moralem inducentem ad actũ ex fine & omni circunſtantia honeſtum & bonum, naturaliter citra opem Gratiæ haberi non poſſe, atque adeo omnem illam Gratiam Chriſti eſſe. Hęc eſt Gregorij in 2. diſt. 28. q. 1. art. 2. concl. 2. & ad 29. q. 1. a. 2. Capreol. diſt. 28. art. 3. ad argumenta cont. 2. concl. Gaſpar. Caſal. lib. 1. de quadripart. iuſt. cap. 32. & Vaſquij 1. 2. diſp. 190. & Aluarez lib. 6. de Auxil. diſp. 50. Quanquam moderni loquantur de cogitatione ad actum veræ virtutis moralis naturalis, qui ſit omni ex parte rectus & honeſtus: nam de actibus aut indifferentibus, ſi qui ſunt, aut imperfectis, arbitrantur naturali virtute, ac proinde cogitationes ad eos requiſitas contineri. Fundamenta ſunt. Primum, quia ſi huiuſmodi cogitatio, & actus ex illa ortus naturales eſſent; ac in poteſtate noſtra foret, & rectè cogitare, & honeſtè operari: ſequeretur eſſe in nobis initium aliquod meriti, cuius Deus habere poſſit, & quodammodo debeat rationem: nam certè ille actus aptus eſſet me-

Gregor. Arimin. Capreol. Gaſp. Caſal. Vaſquez, Aluarez.

reri aliquid, & aliquam diſpoſitionem ad beneficia Gratiæ ſecum adduceret. Quod videtur olere neſcio quid Semipelagianum. Secundum, quia ſi poſſemus naturaliter honeſta cogitare: & cogitãdo rectè operari: poſſemus etiam naturali virtute vincere leues quaſque tentationes: quod non eſſe noſtræ facultatis, Patres Eccleſiæ docuerunt. Tertium: quia ſi huiuſmodi cogitationes noſtri arbitrij & iuris eſſent, non eſſet opus illas à Deo poſtulare: ſed Eccleſia iubet pro iis obtinendis ad Deum preces fundere, ergo non ſunt noſtri dominij, nec poteſtatis.

Vtraque ſententia pro ſe citat Auguſtinum, neutra aut non eſt Catholica, aut non probabilis. Inter Authores tamen poſterioris ſententiæ non admodum conuenit, quænam ſit illa Gratia ſine qua nec honeſtè cogitemus, nec operemur. Nam Aluarez haud dubiè ſupernaturalem gratiam poſtulat. Vaſquez contrà ſatis eſſe naturalem contendit: quam ſpeciale & maius auxilium vocat: ac per Chriſtum donari, ac proinde ex eo Gratiam dici, quod ex miſericordia Dei ſit, & extra ordinem curſúmque communem donatum. Itaque diſtinguit auxilium in naturale & ſupernaturale: naturale ait ad actus virtutis naturalis requiri, ſuperna-

Aluarez. Vaſquez.

turale ad actus supernaturales. Addit verò se huiusmodi auxilij primùm Compluti authorem fuisse: postea Romæ illud tradidisse, & cum Bellarmino contulisse, eique mirè Cardinali placuisse.

Ex his ego sententiis secundam probo: sed aliquid in ea desidero. Itaque adiicio duo, & tertiam quandam viam propono: sed ex Augustini doctrina. Primum: displicet illa distinctio actuum inuecta ab his Auctoribus, imperfectorum ex defectu circunstantiæ, & perfectorum ex concursu omnium circunstantiarum. Si enim actus primi generis indifferentes esse velint, non admitto actum aliquem humanum indifferentem: si velint esse prauos, sed minùs tamen, quàm alios, prauos: iam non sunt ex gratia Dei: si malint esse rectos & bonos, omnium erit eadem ratio habenda. Cur enim, quæso, si actus illi boni sunt & honesti, non fient à Gratia? si ideo opus est fieri, quòd sunt honesti & boni? Atque adeo si quæ cogitationes honestæ practicæ ad huiusmodi actus inclinent, eas sanè immitti à Deo propter Christum dixerim, siue inefficaces sint, siue efficaces. Hoc est primum quod in sententia Aluarez & Vasquez non probo.

Alterum est contra Vasquium, qui in eo vehementer displicet, quod naturale auxilium pro Gratia induxerit, & Gratiam appellarit: qua certè ratione, & notione nemo Patrum Gratiæ adiutorium vel intellexit, vel affecit: & quanquam aduocet patronum Bellarminum, non ideo cedam, & assentiar: pergámque affirmare vtrumque hac in re minùs, quàm æquum erat, rectè sensisse. Nusquam enim Augustinus, nusquam reliqui Patres huiusmodi naturale auxilium aut inuexerunt, aut inuectum Christo Domino tribuerunt. Imò pugnare cum ratione Gratiæ docuerunt. Itaque si qua cogitatio sancta, si quis impulsus motúsque rectus voluntatis, si quid honesti sensus à Deo immittitur, id omne, vt sit ex Gratia, à supernaturali quæ donum sit Dei, & ex Christi meritis, debet proficisci. Quare sit

Prima conclusio. Omnis cogitatio, & actus honestus moralis est à Gratia supernaturali Dei & Christi. Probatur primò: quia isti actus vt sint boni & honesti debent dirigi ad vltimum finem, & ex nulla circunstantia vitiari: quod quidem in hoc misero lapsæ naturæ statu sine auxilio Gratiæ fieri videtur non posse, cùm sit maximè arduum & difficile tam purum actum

emittere: Igitur cùm emittitur iam ex Gratia Dei & Christi supernaturali est. Probatur secundò: quia admisso huiusmodi genere actuum naturalium bonorum ex naturali auxilio, necesse est admittere statum quendam in altera vita iis respondentem. Vnde fiet vt tres sint status in altera vita, Beatorum, damnatorum, & aliorum qui naturaliter ex isto auxilio rectè vixerint: atque adeo locus inter manum dexteram & sinistram, quod alienum est ab sacris Scripturis. Probatur tertiò: quia si detur in hoc statu vis naturalis ad istos actus, & auxilium sit naturale, fieri potest, vt multi Gentiles honestè operentur; quibus sanè, cùm iam operentur ex beneficio Christi, maior sit ratio dandi gratiã supernaturalem: imò æquum sit dari eam iis tam bene operantibus: quod sanè est ponere initium quoddam meriti in natura, & Gratiam meritis reddi, & virtutem crucis euacuari.

Nec soluuntur argumenta, si dicatur, his actibus respondere præmium in hac tantùm vita: & omnino naturale: quemadmodum de Romanis tradi solet, eos ob virtutes naturales orbis imperium accepisse, & de Sibyllis ob virginitatem dono Prophetiæ affectas fuisse. Nam hæc responsio impugnatur primò, quia indi-

gnum eſt maximè dicere, actibus bonis, ex intentione vltimi finis, nullum præmium in altera vita reſpondere: & cùm homines animos habeant immortales, actiones animorum mercede ſola mortali remunerandas. Deinde quia bona iſta temporalia plerumque conceduntur hominibus prauis, ac tyrannis, nec ea exempla Romanorum & Sibyllarum valent: cùm inter Romanos latiùs & potentiùs imperarint, qui deteriores fuerunt, vti Marius, Sylla, Cæſares, hodiéque Turcæ imperent latiſſimè. Sibyllis contigit Prophetia ob cauſas nobis occultas, nam ſi propter virginitatem contigiſſet, certè multis aliis virginibus Ethnicis celeberrimis contigiſſet.

Contra Vaſquium verò propriè argumentor. Si homo in ſtatu naturæ lapſæ eaſdem omnino habet ad operandum vires, quas haberet in ſtatu puræ naturæ, cur quæſo maiore hoc auxilio naturali ad rectè operandum indigebit? vel enim auxilio minore in illo operari poſſet, vel non? ſi poſſet, cur indiget nunc maiore, cùm eaſdem habeat vires? ſi non poſſet, non eſſet illi homini rectè prouiſum, cùm deſtitueretur auxiliis naturaliter debitis & ſufficientibus? Quid? quod illud auxilium, quodcunque

cunque illud tandem foret, quo in ſtatu naturæ homo rectè viueret, non eſſet ex meritis Chriſti cùm eſſet naturale: ergo eiuſdem modi erit iſtud, quo Vaſquez ait indigere in hoc ſtatu naturæ lapſæ, quòd ſi maius & alterius rationis ſit, oportet eſſe ſupernaturale, vt ex meritis Chriſti ſit. Cur enim quæſo iſtud auxilium naturale erit à Chriſto, ſi intra naturæ facultatem continetur? aut qua ratione Cruci Chriſti, cuius omnino ſupernaturalis virtus eſt auxilium illud puræ naturæ congruum tribuetur? Sanè adiutorium Chriſti eſſe, argumentum eſt, non niſi ſupernaturale eſſe. Senſus Vaſquij Auguſtino eſt prorſus contrarius, qui ipſam propoſitionem legis atque doctrinæ Chriſtianæ, negat Pelagio eſſe Gratiam, niſi, *altiùs à Deo & cum ineffabili ſuauitate dicatur infundi.* id eſt niſi ſit ſupernaturaliter inſpirata. Qua de re nos multa cum Auguſtino dicemus, præcipuè probando concluſionem 46.

Animaduerto tamen huiuſmodi contentionem cum Vaſquez poſſe de vocabulo tantùm fieri. Conuenimus enim in eo quòd indiget natura noſtra auxilio ſpeciali Dei, quod ſit ex meritis Chriſti ad quodcunque opus honeſtum; ſolùm differimus, quòd ille vocat auxilium illud

naturale, ego ſupernaturale fore contendo. Quod componi facilè queat, ſi Vaſquez quod ſupernaturale quoad modum auxilium dicit, in ſubſtantia ſupernaturale ponat: dicátque omnino eſſe ſupernaturale.

Argumenta contrariæ opinionis ita ſoluuntur. Primo petito ex facilitate actionis honeſtæ & congruæ naturæ, reſpondemus negando facile eſſe in hoc ſtatu ruinæ actum bonum ſine Gratia agere: ídque ad miſeriam noſtram & Gratiæ neceſſitatem ſpectare. Secundo concedimus opus eſſe gratia ſupernaturali, nec vllum agnoſcimus cum Auguſtino actum bonum in hoc ſtatu niſi ſupernaturalem. Tertio infrà ex Auguſtini ſententia reſpondebimus: ac ex iis quæ ſuprà diximus in quæſtione de neceſſitate & libertate peccandi, iuſta, & congruens apparet reſponſio.

ARTICVLVS II.

Proponitur hac in re Auguſtini ſententia, & exactè declaratur.

TRIA ſunt probanda. Primum, Auguſtinum reieciſſe illos actus bonos naturaliter & honeſtos, medios inter prauos, & rectos

ordinis ſupernaturalis : atque adeo nullum actum niſi aut veræ virtutis, aut vitij agnouiſſe. Secundum, omnem omninò actum bonum opus Gratiæ & ex meritis Chriſti eſſe. Tertium, huiuſmodi adiutorium Gratiæ non naturalis eſſe ordinis, ſed ſupernaturalis. Quo fiet vt Auguſtini mens appareat, quam ego ſyncerè propono, vti ſtudioſiſſimè inueſtigaui.

Quod attinet ad primum : Pelagiani inducebant genus quoddam actuum honeſtorum naturalium, qui ſteriles quidem eſſent fructûs vitæ æternæ: ſed præditi tamen honeſtate naturali. Quod acutè & vafrè excogitabant: vt inuecto hoc genere actuum initium aliquod meriti in natura ponerent: quibus illa ad Gratiam diſponeretur : & quibus illa quaſi præmium redderetur. Ita ex doctrina Magiſtri Pelagij Iulianus apud Auguſtinum lib. 4. cap. 3. iiſdem ferme, quibus pro prima ſententia pugnauimus, argumentis vſus : nimirum innato lumine rationis, & facilitate actuum, & poteſtate naturæ : ac vlteriùs teſtimonio Chriſti apud Matthæum : *Arboris bonæ bonos fructus facientis*, quam Iulianus naturam noſtram eſſe dicebat ſatis ex ſe ad actus bonos eliciendos valentem. Quæ ille momenta rationum à Pe-

Matth. 3. Apud Auguſtinum lib. de Nat. & Grat.

lagio ſumpſerat naturæ vires attollente, & vim Gratiæ tenuante.

Senſit Auguſtinus, quid hac ratione actuum molirentur Pelagiani, aſtuti homines, & ſolertes: docuítque id eos agere, vt aliquod ſalutis initium per hos actus in natura ipſa collocarent. Id aperuit lib. de Grat. & lib. arb. cap. 14. & lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 7. ac præcipuè lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. vbi ſic contra eum Auguſtinus, *Vis intelligi hominem per ſe incipere ſine Gratia: in quo enim vis eum ad aliquid laudabile generoſi cordis ſtimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino gloriari: ac ſic priorem dare vt retribuatur ei, eoque modo gratia non ſit gratia.* Hoc ipſum moliri Semipelagianos iiſdem rationibus quibus Iulianus, Hilarij epiſtola nos docet præfixa lib. de Prædeſt. Sanct. loquens enim de iis Hilarius: *Nullam ita deprauatam voluntatem, vel extinctam putant, vt non debeat, vel poſſit ſe velle ſanari.* Itaque ſteriles quidem huiuſmodi actus eſſe dicebant ſi æternam ſalutem attenderes; ſed tacitè Gratiam iis reddi volebant quòd naturaliter honeſti eſſent, & ad Gratiam diſponerent. Vnde contra eos Auguſtinus cap. 2. lib. de Prædeſt. Sanct. *Videte, ſi aliud agitur iſto modo, niſi vt*

Gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo: ac sic Gratia iam non sit Gratia.

Negat igitur Augustinus esse huiusmodi actus naturales bonos sine Gratia: negat esse in nuda facultate naturæ: negat eos in infidelibus omni fide & Gratiâ carentibus reperiri; tollit omnino genus hoc medium actuum inter virtutes & vitia: ne admittatur ratio ista bene operandi, ac proinde Deo citra Gratiam placendi. Statuit itaque omnes actus, qui sine illustratione & inspiratione diuina fiunt esse vitiosos: omnémque actum bonum quicunque ille tandem sit & à quocunque effectus, ex aliquo fidei lumine & auxilio Gratiæ existere. Mentem Augustini per conclusiones expono.

Prima sit. Omnes actus sine vlla omnino Fide, & citra omne auxilium Gratiæ esse prauos & vitiosos author est Augustinus. Ita docet lib. de Prædest. Sanct. & lib. de Don. Perseu. à cap. 2. & lib. de Grat. & lib. arb. à cap. 4. ad 15. & lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. cap. 2. & 3. & 19. & præclarè lib. 2. cap. 7. & lib. 4. cap. 6. & 9. & 10. & lib. de Grat. Chr. à cap. 23. & præcipuè lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. & 8. Quibus in locis demonstrat nihil in nobis esse ante Gra-

tiam nisi merita mala: vt omnem occasionem præcidat putandi Gratiam operibus reddi. Vt non satis sit dicere Augustinum velle, vt nemo per opera citra Gratiam sit aliquo modo iustus, sed vt omnes sint iniusti. Fundamentum Augustini est, quia Fides est ostium Gratiæ: vnde carens lumine Fidei caret principio bene operandi in hoc statu naturæ lapsæ: in quo ita sumus comparati, vt si bene operaturi sumus per opera honesta, ex fine supernaturali simus operaturi: ne dentur opera bona Christi Cruci non debita: & quibus cùm ex natura sint respondeat ex æquo Gratia, & initium aliquod meriti tribuatur, & in altera vita aliqua extra Gloriam naturalis beatitudo. Quare semper ad probandum actus citra omnem Fidem & Gratiam esse vitiosos, vtitur iis locis: *Iustus ex Fide viuit: sine Fide impossibile est placere Deo. Omne quod non est ex Fide peccatum est.* Quos in ea cum Iuliano celebri habitâ disputatione inculcat c.3.lib.4. Præterea lib.de Præd.Sanct.c. 10. *Non sunt*, inquit, *bona opera nisi ex Fide. Iustus enim ex Fide viuit.* & *Omne quod non est ex Fide peccatũ est.* Et *sine Fide impossibile est placere Deo.* Quibus & tribus locis conglobatis vtitur lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. eósque ad id sæpe citare

ſolet contra Pelagianos aſſumentes tum in infidelibus, tum in Chriſtianis inueniri opera naturalia honeſta citra Fidem & Gratiam viribus ſolius naturæ, vt conſtat ex lib. de Præd. Sanct. & lib. 4. contra Iulian. cap. 3. Vnde Auguſtinus ait: *Eas virtutes natura humana, non Gratia tribuebant, quòd eas habeant infideles.* Igitur Auguſtinus contendit nihil honeſti, nihil recti à quoquam ſine aliquo initio Fidei & Gratiæ fieri. Id apertè docuit lib. 1. de Nupt. & Concup. ad Valer. cap. 3. Vnde anſam arripuit Iulianus impugnandi Auguſtinum, quòd negaret huiuſmodi actus honeſtos ſine vllà Gratia fieri. Cui Auguſtinus doctiſſimè, & copioſiſſimè reſpondet, tradens eandem doctrinam lib. 4. cont. eundem cap. 3. ad id egregia diſputatione inſtitutâ. Cuius loci teſtimonia infrà ponemus.

Nunc alios demus locos lib. de ſpir. & lit. *Liberum*, inquit, *arbitrium nihil niſi ad peccandum valet.* Et lib. 4. cont. 2. epiſt. Pelag. *liberum*, ait, *arbitrium captiuatum non niſi ad peccandum valet.* Et lib. 4. cap. 3. *Homo in malum liberum habet arbitrium, & voluntas hæc libera in malis, libera in bonis non eſt, quia liberata non eſt. Nec poteſt homo aliquid velle boni, niſi ad-*

iuuetur à Gratia. Omne enim quod non eſt ex Fide peccatum eſt. Et rurſum lib. 2. cap. 5. *Adæ liberum arbitrium periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo: ad bene autem piéque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas ſit Gratia Dei liberata.* Et ſerm. 13. de verb. Apoſt. *Non eſt ſic adiutorium Dei, non ſic eſt adiutorium Chriſti: non ſic eſt adiutorium Spiritus ſancti: Si defuerit, nihil agere boni poteris. Agis quidem illo non adiuuante liberâ voluntate, ſed malè.* Et ſubdit. *Cùm dico tibi. Sine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico, nam ad malè agendum habes ſine adiutorio Dei liberam voluntatem.* Et tract. 5. in Ioan. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque iuſtitiam, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi quibuſdam guttis irrorati non deficiamus in via.* Et in Prol. lib. de Doctr. Chriſt. *Nemo debet aliquid habere quaſi proprium niſi fortè mendacium.* Et Præfat. in Pſal. 31. *Ea,* inquit, *opera quæ dicuntur bona ante Fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, vt celerrimus curſus præter viam.* Et ad finem. *Crede in eum qui iuſtificat impium vt poſſint & bona opera*

ra

ra tua esse bona : nam nec bona illa apellauerim, quæ non prodeunt de radice bona. Et addit. *Attenduntur opera tua: & inueniuntur omnia mala.* Et subiicit rationem. *Nam quia Fidem præcesserunt, nec bona vocanda sunt.* Et Psal.142. *Rectus eris quando quod malè feceris, tibi; quod bene feceris Deo imputaueris.* Et infrà. *Ad me cùm respicio nihil aliud meum, quàm peccatum inuenio.* Et serm.13. de verb. Apost. *Nisi ille regat, cadis: nisi ille regat iaces.* Et lib. de Perfect. iust. *Naturale non est peccatum: sed natura vitiata; parúmque est ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiutum Gratiâ fuerit.* Multa eiusdem rationis habet lib. 5. de Ciuit. cap.12. & lib.19. cap.15. & lib.13. de Trinit. cap. vlt. in quibus eandem tradit doctrinam, quam tradiderat contra Iulianum lib.4. cap.3. negans sine Fide dari opera honesta naturalia, atque adeo concludens virtutes infidelium esse fucatas specie recti, cùm sint vitia. Consentiunt quæ habet lib. de Contin. cap. 13. & Psal. 72. ad illud: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Et epist. ad Hilar. 89. & lib. de Cor. & Grat. cap.3. & lib.2. de peccat. mer. & rem. cap.18. Et Serm. de verb. Apost. cap.11. Hinc manauit illa celebris Augustini sententia apud Pro-

ſperum : quæ eſt 106. *Omnia opera infidelium eſſe peccata.* De cuius veritate, & intelligentia ſtatim dicemus. Ex quibus conſtat prima concluſio poſita.

Secunda eſto : Omnia opera ſine aliqua Fide, & Gratia facta, ex defectu honeſti & debiti finis, vitioſa eſſe Auguſtinus iudicauit. Nec enim negat materialiter eſſe multa bona opera, & honeſta quæ ſine Fide & Gratia faciant: ſed negat ea ex recto fine & honeſtis circunſtantiis abſque lumine Fidei, & pulſu Gratiæ aliquo fore. Cuius rei poſtea rationem inquiremus. Nunc concluſionem Auguſtini locis manifeſtis probemus. Hic eſt præcipuus ſcopus diſceptationis cum Iuliano lib. 4. cap. 3. Qui infidelium partes ſuſceperat, affirmans naturam bonam eſſe & præditam ratione, valentem ex ſe ad actus honeſtos; atque adeo virtutem eſſe conſentaneam, conſectaneámque naturæ. Arborem bonam naturam eſſe, fructus bonos ſuapte vi facere poſſe : nec deeſſe multa bona opera facilia, congruáque naturæ, quæ ipſa præſtaret: vti colere parentes, miſereri pauperum, virginitatem tueri. Aduocabat illuſtria infidelium exempla, Romam veterem è cineribus excitabat. Cui Auguſtinus aptè reſpon-

debat. *Non actibus, sed finibus pensantur officia. Sin, consequens erit, vt vera virtus sit auarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum & thesaurorum*, &c. *Itaque non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Nam Epicurus*, ait, *induxit virtutes voluptatis ancillas.* Et mox exemplum Vestalium refutans. *Possunt esse*, inquit, *Virgines, & pudicæ non esse. Pudicitia enim res est animi, virginitas corporis.* Statímque reddit rationem, cur huiusmodi actus specie honesti, re vitia sine Fide & Gratia praui fiant. *Quidquid bonum fit ab homine, nec propter hoc fit propter quod fieri debere sapientia præcipit: etsi officio videatur bonum: ipso non recto fine peccatum est.* Et perspicuè: *Hoc peccant homines sine Fide, quod non ad rectum finem sua opera referunt, ad quem referre debent. Quare si Gentilis nudum operuerit, in quantum non est ex Fide, peccatum est.* Perinde ac defectus illustrationis Fidei in causa sit ne honestus finis apponatur: non quòd aut non sit libertas, aut facultas, sed quòd sine Fide non est explicata ratio ex debito fine operandi. Pergit. *Non quia ipsum factum peccatum sit, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Quo Iulianum pun-

git, qui negabat ex defectu honesti finis actum deficere à recto, esséque peccatum. Vrget verò magis. *Fortè dicturus es: misericors voluntas bona est. At reperitur misericordia mala: qua persona pauperis accipitur in iudicio, propter quam Saül meruit damnari. Vitium itaque est malè misereri, & infideliter misereri.* Idem tradit lib. 5. de Ciuit. cap. 12. & lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 12. Cur autem opus citra Fidem & Gratiam deficiat à recto & honesto fine? Augustinus ostendit: docens non esse vnde dirigatur ad finem vltimum, & debitum, id est Deum, authorem omnis boni, finémque hominis beatum: citra cuius supernaturalem notitiam, omnis actio Gentilica vel ex prauo fine corrumpetur, vel in creatura sistet, vel debito fine spoliabitur: quo fiet, vt aut peccatum commissionis, aut omissionis admittatur. Hoc autem Augustinus ostendit in multis ex anteà citatis locis: sed præcipuè lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. Loquens enim de Camillis, & Scipionibus, Catonibus, Tulliis, quos Iulianus obiecerat: *Exhibuerunt*, inquit, *terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & humanæ gloriæ seruierunt.* Deinde: *Si oculus tuus nequam est, corpus tuum totum tenebrosum erit. Disce eum qui*

non facit bona opera intentione Fidei bonâ, hoc est eius qui per dilectionem operatur, totum quasi corpus quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Et ad rem propiùs. *Amor enim mundi quo quisque amicus est huius mundi non est à Deo. Amor ergo fruendi quibuscunque eius sine amore Creatoris non est à Deo. Et sine hoc amore Creatoris nemo bene vtitur eis.* Vnde censet eum qui naturali ductus affectu colit parentem: & miseretur viduæ sistendo in eo fine ex amore illius creaturæ, non referendo opus ad Creatorem, peccare venialiter ex defectu debiti finis. Nam illi certè actus naturaliter officiis boni, videntur esse conformes rectè institutæ naturæ; sed oportet creaturam rationalem altiùs aspicere, & tollere se humo, & ad Deum affectus illos referre. Itaque optimè lib. 3. ad Bonif. c. 5. *Per ipsam Fidem peccata soluuntur, quia iustus ex Fide viuit, sine Fide verò etiam quæ videntur, bona opera in peccata vertuntur.*

Ex his primum quod proposui probatum manet: scilicet Augustinum sentire omnia opera citra Fidem & Gratiam esse vitiosa. Secundum sequitur ex primo. Nimirum omnem actum honestum fieri cum aliqua illustratione

Fidei, & auxilio Gratiæ à quocunque tandem fiat. Nam non negat Augustinus infideles aliquando bene operari, sed negat operari bene, cùm sicut infideles citra omnem & Fidem & Gratiam operantur. Quòd autem concedat interdum eos bene operari, apparet in ea ipsa cum Iuliano disputatione: vbi sic: *Ex quo, inquit, colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene vtitur malis.* Et iterum. *Quantò satius hæc ipsa in eis dona Dei esse fatereris.* Ac rursum. *Quantò ergo tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, diuino muneri, quàm eorum tribuere voluntati.* Nusquam verò clariùs admittit virtutes & dona Dei in infidelibus quàm Epist. 83. cùm agit de Polemonis continentia. Quem locum infrà primo articulo versabimus. Quare quoties negat infidelẽ rectè operari, semper ait operari sine fide, ac vti infidelem. Vnde. *Si Gentilis, ait, nudum operuerit, in quantum nõ est ex Fide peccatũ est.* Et iterum. *Hoc bonum malè facit quia infideliter facit.* Quid sit autem istud alibi declarat. *Malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est stultâ & noxiâ faciunt voluntate.* Hanc verò de bonis operibus infidelium toties doctrinam tradit, quoties de Cornelio Centurio-

Ita obseruat Suarez lib. 1. de necess. Grat. c. 7. n. 15.

ne, cuius *Actorum* 10. orationes & eleemosynæ laudantur, verba facit. Ait enim illum bona opera ante auditam à Petro Fidem, & susceptum baptismum fecisse, sed ea tamen ex inchoata quadam Fide Gratiáque fecisse. Ita Epist. 57. q. 2. *Nec mouere*, inquit, *nos debet, quòd per quosdam ad hoc templum non pertinentes, vel nondum pertinentes, id est in quibus non habitat, vel nondum habitat Deus, aliquid virtutis operatur.* Ecce admittit in infidelibus, sed ex Gratia tamen, aliquid recti & honesti. Tum *Cornelius*, ait, *Centurio antequam regeneratione incorporaretur huic templo, missum ad se Angelum videt, auditque dicentem, quòd exaudita sunt orationes eius, & eleemosynæ acceptæ.* Deinde lib. 1. cont. Donatistas c. 8. *Neque enim Cornelij gentilis hominis, eius nō sunt orationes exauditæ, & eleemosynæ non acceptæ: imò & Angelum ad se mitti, & missum meruit intueri.* Præterea lib. 1. contra Donatistas c. 20. fatetur inueniri quidem in hæreticis & infidelibus quod à Christo sit, & ait: *Sicut non debemus improbare iustitiam hominis quæ priùs esse cœpit, quàm coniungeretur Ecclesiæ: sicut esse cœpit iustitia Cornelij priusquam ipse esset in plebe Christiana, quæ neque si improbaret, dixisset ei Angelus, acceptæ sunt eleemosynæ tuæ,*

& exaudita orationes tua. Agnoſcit in infidelibus virtutem, & iuſtitiam inchoatam ex Fide inchoata. Conſentit lib. 1. ad Simpl. q. 2. Quòd autem, & quomodo ante Fidem Chriſti auditam, & Baptiſmi Gratiam acceptam illuſtrationem aliquam Fidei, & inſpirationem Gratiæ habuerit Cornelius, vnde illa honeſta eſsēt opera profecta, quibus Angelum primò videre, mox Petrum audire de congruo meruit, apertè docet lib. de Prædeſt. Sanct. c. 7. Auguſtinus: agens contra Semipelagianos aientes bonis & honeſtis operibus naturalibus Fidem de congruo mereri, & hac ratione initium meriti in natura ponentes. Igitur: *Fides non ex operibus, inquit Paulus, ne fortè quis extollatur. Solet enim dici: Ideo credere meruit, quia vir bonus erat antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, cuius accepta ſunt eleemoſynæ, & exaudita orationes antequam crediſſet in Chriſtum, nec tamen ſine aliquâ Fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat?* Quæ quidem coniuncta cum multis proximè citatis locis probant, Auguſtinum docuiſſe non omnium infidelium opera eſſe peccata, ſed ea tantùm eſſe, quæ ſine vlla Fide & Gratia forent.

Hinc

Hinc iam apparet illud tertium Augustini placitum initio articuli propositum. Nempe illum non agnouisse genus aliquod auxilij naturalis, quod sit Gratia Christi: sed tantùm supernaturale ex illustratione Fidei & Gratiæ inchoatæ transeuntis. Patet. Etenim Augustinus sentit omne opus, etsi materialiter ac ex obiecto bonum, naturale, sine Fide, peccatum esse, ac oportere vt sit bonum, quòd ex Fide & Gratia oriatur. Igitur & sentit ex solo auxilio supernaturali, quenquam rectè operari, atque illud solùm esse Gratiam Christi. Confirmatur, quia si Augustinus admitteret illa bona opera ex maiore auxilio naturali, ineptè contra Semipelagianos argumentaretur. Nam hi volebant, vt actibus bonis naturalibus prima Fides de congruo mereretur. Vnde si Augustinus admitteret hosce actus naturales ex speciali auxilio, sed tamen naturali, cum eorum errore consentiret: poneretque meritum in natura; nec satis esset dicere illum concursum esse supernaturalem quoad modum. Responderent enim, id non tollere quo minus naturalis esset, ac secundùm naturam, vterentúrque exemplo status puræ naturæ, in qua illud maius auxilium daretur ad operandum ex æquitate naturali, ergo ille con-

cursus simpliciter esset naturalis, in eorum præsertim opinione statuentium homines in eo statu, in quo Adam conditus fuit sine peccato originali. Ac deinde vrgerent hoc argumento. Homo in statu puræ naturæ non esset meriturus per illos actus naturales Gratiã & Gloriam, etsi heroïci actus essent, quomodo ergo per huiusmodi actus naturales in natura lapsa Gratiam de congruo mererentur? Neque tu in toto Augustino quicquam quod illi sententiæ de naturali auxilio faueat poteris inuenire. Nunc quid contra eam afferri possit videamus.

ARTICVLVS III.

Argumenta quædam proponuntur & diluuntur, & Augustini sententia stabilitur.

PRIMVM sibimet Augustinus ipse obiicitur. Is enim multis in locis concedit, infideles citra Fidei & Gratiæ inchoatæ auxilium solius naturæ viribus rectè honestéque operari. Insignis locus est lib. de spir. & lit. cap. 26. vbi versans illud Pauli ad Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* prius interpretatur de Gentibus ad Fidem conuersis, tum addit aliam expositionem.

Si autem, inquit, *hi qui naturaliter ea quæ legis ſunt, facerent, non ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti iuſtificat Gratia, ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verè, piè, veracitérque colentium, quædam tamen vel legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectéque laudamus.* Quibus ſanè verbis indicantur honeſtè facta in Gentilibus eſſe. Quod autem à natura ſint, docent ſequentia. *Quanquam, ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inuenientur, quæ iuſtitiæ debitam laudem defenſionémque mereantur.* Hæc cùm dixit, aperuit ſe de operibus extra omnem Gratiam loqui. Et cap. 28. non improbat aliam expoſitionem loci Pauli de infidelibus virtute naturali operantibus: Et ideo dici poſſe, etiam in impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere. Hoc de Polemone Socratis diſcipulo fatetur epiſt. 130. Hoc de ſchiſmaticis lib. de Patient. cap. 26. & 27. Hoc de Coniugio naturali honeſto, & bene ordinato inter quoſcunque homines lib. de Bono Coniug. cap. 6. teſtatur: quæ totidem ſunt argumenta. Quibus conſonant ea quæ docet ad illum verſum Pſal. 83. *Paſſer inuenit ſibi domum*, & lib. 3. Hypognoſt. cap. 4.

Secundò probatur. Auguſtini mentem non eſſe, quòd infidelium opera ſint peccata : ſed, quòd non ſint bona & fructifera ad vitam æternam. Ratio eſt, quia Auguſtinus eodem modo loquitur de operibus factis ab homine exiſtente in peccato mortali: cui etiam ex Charitatis defectu boni operis fructum denegat. Non poteſt autem Auguſtinus intelligi, niſi de iis quæ ad vitam æternam conducant, & formentur Charitate: ergo de his etiam loquitur, cùm de infidelibus loquitur. Quod autem Auguſtinus fontem & formam totius honeſti operis Charitatem ſtatuat, nihílque ſine Charitate rectum bonúmque admittat: Probatur primò ex c. 15. lib. 2. Retract. & cap. 14. & 15. lib. de morib. Eccl. Cathol. Probatur ſecundò & efficaciter ex lib. 8. de Grat. & lib. arb. cap. 18. vbi ſic: *Præcepta Charitatis tanta & talia ſunt, vt quicquid ſe putauerit homo facere, ſi fiat ſine Charitate, nullo modo fiat bene.* Et lib. de Grat. Chriſti cap. 26. *Quid boni faceremus, niſi diligeremus?* Et poſteà, *vbi non eſt dilectio nullum bonum imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.* Loqui autem Auguſtinũ de Charitate ſupernaturali, non de amore naturali honeſtatis, & Dei patet, quia Auguſtinus huiuſmodi amorem non agnoſcit:

nec in omnibus eius ſcriptis alia notio Charitatis, quàm ſupernaturalis apparet. Id verò conſtat ex eo, quòd Auguſtinus ſemper loquitur in ſenſu ſcripturarum: in quibus certè Charitatis, & dilectionis ſpiritualis nomine ſolus ſupernaturalis amor intelligitur: ac ex modo loquendi Auguſtini liquet, tum locis citatis, tum cap. 16. de Grat. & lib. arb. vbi initium loquendi hac de re faciens de Charitate ſupernaturali mentionem fecit. *Iſtam*, inquit, *charitatem*, id eſt, *diuino amore ardentiſsimam voluntatem, commendans Apoſtolus dicit*: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?* De hac ſolùm intelligit caput 18. ad Corint. & illud 1. ad Galat. *Per Charitatem ſeruite inuicem*. Et illud ad Coloſſenſ. 3. *Super omnia autem Charitatem habentes, quod eſt vinculum perfectionis*. Deinde poſtea cap. 27. infert illam ſententiam ſuprà poſitam quæ tenet: *Nullo modo fieri bene, quod ſine Charitate fiat*. Eadem mens eſt Auguſtini illo de Gratia Chriſti loco cap. 26. vt conſtat ex acceptione Charitatis apud Paulum 1. Corinth. 8. & 13. & ex 1. Ioan. 4. & ad Galat. 6. Quos locos ibi citat. Eâ acceptione vſus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. & lib. 14. de Ciuit. cap. 7. & tract. 81. in Ioan. & lib. de morib. Ec-

clef. cap. 14. & epist. 106. & serm. 13. de verbis Domini, ait, *Charitatem nobis dari, vt poßimus bonam operationem habere.* Et quidem omnes hi loci continent huiusmodi doctrinam. *Neminem*, nisi ex Charitate bene operari. Ex quo deducitur Augustinum, quoties aut amorem iustitiæ, aut dilectionem causam & finem boni operis esse docet, toties de Charitate supernaturali supponente Fidem loqui. Atque adeo semper requirere Fidem, quæ per dilectionem operetur. Vnde sequitur eandem ab eo rationem Charitatis in peccatoribus Christianis, & infidelibus postulasse.

Probatur tertiò: Quia si hæc esset sententia Augustini, damnari non posset à summis Pontificibus: atqui ea in Michaële Baio damnata est: ergo non est Augustini. Maior est certa, quia doctrina de Gratia Dei tradita ab Augustino, vbi eius perspecta est, constánsque sententia, ab Ecclesia approbata est quatuor Pontificum Decretis, quæ nos aliàs repræsentauimus: ergo si hæc eius est certa, & definita sententia, vti à nobis proponitur, reprobari damnaríque non potuit. Minor tamen est certa: quia summi Pontifices duo Pius V. & Gregorius XIII. in Bullis editis super doctrina Michaë-

lis Baij Decani, & Doctoris Louanienſis, damnarunt has, quas nos dicimus eſſe propoſitiones Auguſtini, & quas ille etiam Theologus in eodem Auguſtino verſatiſſimus eiuſdem eſſe affirmabat. Quæ ſunt huiuſmodi: *Omnia opera infidelium ſunt peccata: & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. Cum Pelagio ſentit qui aliquid boni naturalis hoc eſt quod ex ſolius naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit. Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus ſiue non malus: & Gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit. Liberum arbitrium ſine Gratia, & Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet. Omne quod agit peccator, vel ſeruus peccati, peccatum eſt.* De quibus, & aliis, quæ ſunt 79. ita Pontifices Pius & Gregorius in Bullis. *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo modo ſuſtineri poßint in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertore intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectiuè, & quæcunque ſuper his verbo ſcriptoque emiſſa præſentium authoritate damnamus, circumſcribimus & abolemus.* Igitur non eſt huius quem diximus ſententiæ Auguſtinus: atque aliter intelli-

De his vide Suarez tom. 1. de Grat. Prolegom. 6. Vaſquez 1. 2. d. 218. c. 3. Smiſing. tract. 3. d. 6. q. 7. nu. 376.

gendus & explicandus est.

Quis autem Augustini sit sensus hinc deducitur. Nempe aut illum de actibus meritoriis Gratiæ & Gloriæ locutum fuisse, cùm eos infidelibus denegauit: aut de iis actibus, qui plerumque fiunt ab infidelibus, vt non neget eos bene vnquam sine Gratia operari posse, sed vix vnquam bene propter difficultatem operari; quo fiet vt regulariter dicat eos malè operari. Vnde secũdùm primam interpretationem cùm vocat actus infidelium peccata, ita vocat, vt comparet eos cum actibus vtilibus & meritoriis, quorum respectu sunt peccata. At verò iuxta secundam interpretationem Augustinus dicit omnia esse peccata: quia solent esse peccata, & raró contingit non esse: vt quod regulariter fieri solet vniuersaliter fieri dicatur. Atque ita explicat Augustinum Suarez, & vt sibi videtur, à calumniis liberat, lib. 1. de necessit. Gratiæ cap. 7. & cap. 20. & 21. cum Vega, Ruardo, Soto, Osio, & aliis quos citat.

Perstandum nihilominus est in proposito, & sustinendum Augustinum tria illa quæ statuimus, docuisse & in eo sensu locutum, quem per conclusiones eius locis munitas affirmauimus: neque aut ipsum contra aliter, aut contra

ipsum

ipſum Pontifices ſenſiſſe, eiúſque ſententiam tutam & ſanam eſſe, longéque à Baij ſenſibus alienam. Quod iam probo. Primum Auguſtinus ſibi conſentit. In primo enim loco de ſpir. & lit. verba Pauli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, ſuo, quem tradidimus, ſenſu accipit de infidelibus ante Fidem, ſed ad Fidem iam conuerſis, comparans eos cum Iudæis, quibus lex à Deo viſibiliter data erat, aiens, Gentiles operari ex Gratia ſecundùm legem acceptam inuiſibiliter in cordibus per amorem, non tanquam Iudæos, qui acceptâ lege in tabulis lapideis cogete metu operabantur; vt coacti potiùs & inuiti, quàm voluntarij & libentes operarentur, cùm Gentiles conuerſi ad Fidem Chriſti amore ducti & Charitate moti, ſpontanei ac volentes legem implerent. Qui ſemper eſt Auguſtini ſcopus quoties legem cum Gratia confert. Ita lib. de Nat. & Grat. cap. 57. & lib. 3. ad Bonif. cap. 4. & lib. 4. cap. 5. & lib. 2. cont. Aduerſ. leg. & Prophet. & lib. 1. ad Simpl. q. 1. & lib. de Grat. Chriſti cap. 8. & lib. de vtilit. cred. cap. 3. Idque ex plurimis locis Pauli deſumit. Igitur hoc ſenſu locum illum interpretatur Auguſtinus opponens Iudæis Gentiles Fideles, qui rectè ex

amore, naturaliter, id est suauiter, non ex metu inuiti operentur. Quòd autem hæc sit mens Augustini, patet ex iis quæ habet lib. 4. contra Iulian. cap. 3. vbi Iuliano obiicienti hunc ipsum locum Pauli ad Romanos ad probandum Gentiles ex naturæ viribus bene operari: resistit Augustinus, & negat eum esse Pauli sensum, quem Iulianus volebat; & quam proximè interpretationem adduximus confirmat. *Vnde & illi*, inquit, *quos commemorare voluisti, de quibus ait Apostolus: Gentes quæ legem non habent, ipsi sibi sunt lex, qui habent opus legis scriptum in cordibus suis, quid te adiuuent omnino non video Per hos enim probare conatus es etiam alienos à Fide Christi veram posse habere iustitiam, eo quod isti teste Apostolo naturaliter quæ legis sunt faciunt. Ideo enim dicũtur: Naturaliter quæ legis sunt facere, quia ex Gentibus venerũt ad Euangelium, non ex Circuncisione, cui lex data est: & propterea naturaliter, quia vt crederent ipsa in eis est per Dei Gratiam correcta natura, nec per eos probare potes, quod vis, etiam infideles veras posse habere virtutes.*

Verum quidem est Augustinum lib. de spir. & lit. cap. 28. non reprobare aliam interpretationem de Gentilibus nondum conuersis ad fidem: sed hoc nihil detrahit traditæ doctrinæ,

nam inde tantùm ſequitur Auguſtinum aliam opinionem tolerare, nec eam damnare; modò non deflecteret ad errorem Pelagianorum, ſed tantùm ſiſteret in eo quòd admitteret aliqua bona opera naturaliter honeſta, quæ non eſſent ratio gratiæ promerendæ, hoc enim cùm non eſſet error permittit Auguſtinus: quamquam vt difficultatem illius ſẽtẽtiæ ſignificet, addit adhuc eâ poſitâ: *Si diſcutiatur quo fine fiãt, vix inuenientur, quæ iuſtitiæ debitam laudem, defenſionémque mereantur.* Itaque ſuam Auguſtinus ſententiam primò poſuit: mox aliam oppoſitam adhibuit, nec damnauit in eo ſenſu, in quo nihil erroris continebat; non tamen inde ſequitur illam ſimpliciter probaſſe, aut ſuæ præpoſuiſſe; ſuam ſecutus eſt ſemper: nec enim dubitari poteſt, quin probabiliùs multò iudicarit, æquius eſſe omne bonum opus ad diuinam gratiam referri, vt ex iis quæ contra Iulianum dixit, & nos proximè citauimus, apparet. Deinde ſatis indicat Auguſtinus eam ſententiam non admodum ſibi placere, cùm addit: illâ retentâ vix inueniri, qui rectè & ex bono fine operentur; quo patet non volentem ſed repugnantem id permittere. Nec ſanè libens Auguſtinus concederet, cùm Pelagianis

dici, qui non propter Deum fidem connubij seruat vxori. quibus verbis eandem quam proposuimus tradit doctrinam, asserens sine Fide. ex defectu finis debiti pudicitiam non esse virtutem, & omnino requiri ad actum bonum intentionem vltimi finis cogniti per Fidem: ac demum, si quando sit virtus, eam esse ex Gratia, atque adeo donum Dei.

Locus de schismaticis, & peccatoribus fidelibus aliò pertinet. Quem afferunt de libro Hypognosticon: eum ego locum non admitto, cùm is liber Augustini non sit: quod si foret nihil contra nos concluderet, cùm eodem modo intelligendus esset, itaque optimè sibi constat sententia Augustini; huic tamen argumento, quod est secundum, infrà respondebimus.

Nunc tertio suus est locus: quod in Michaële Baio damnabat propositiones Augustini. Huic igitur respondendum primò, illas propositiones damnatas fuisse copulatiuè in rigore & sensu ab authoribus intento, qui non solùm suam sententiam statuebant, sed etiam contrariam sugillabant. vt patet in secunda & tertia propositione: vnde quemadmodum olim vetitum ne quis carpat aut damnet sententiam defendentem beatam Virginem con-

ceptam in peccato originali, qu in tamen neutra damnetur opinio: & tantùm vetetur ſcandalum damnandi opiniones contrarias; ita etiam hæ propoſitiones, non aliter damnantur niſi prout continent improbationem contrariarum: id enim Baius aiebat vt Theologos ex diuerſo opinantes condemnaret. Qua ratione ſoluit Vaſquez in 1. 2. d. 190. a. nu. 74. & confirmat teſtimonio ſummorum Theologorum Bellarmini & Toleti: quod item obſeruat Suares to. 1. de Gratia Prol. 6. ad lib. 1. cap. 20.

Reſpondetur ſecundò: illas propoſitiones ſecundùm ſe & in rigore eſſe falſas, & contra mentem Auguſtini, vti Baius eas proferebat: nam vt etiam notat Vaſquez, in eo errore erat Baius, vt nullum bonum opus admitteret, ſine Fide perfecta & Gratia ſanctificante; & patet ex propoſitione 59. & 60. qui error alienus eſt à ſententia Auguſtini, qui tantùm requirit Fidem & Gratiam inchoatam, & ante iuſtificationem bona opera admittit. Qua de re videndus Vaſquez diſp. 218. cap. 3. & Suarez lib. 1. de Gratia c. 20. & Smiſing. tr. 3. dec. 6. q. 7. nu. 376. Reſpondetur tertiò, & meliùs, me quidem authore, eas propoſitiones prolatas à Baio in rigore & vniuerſaliter falſas omnino & damnandas

esse, & prorsus alienas à mente Augustini. Nam illa prima propositio: Omnia opera infidelium sunt peccata, ita vniuersim accepta reprobanda est, cùm multa opera fiant ab infidelibus indeliberata, & sine aduertentiâ; non pauca ex ignorantia inuincibili; quædam possint esse ex lumine Fidei, quæ certè peccata non sunt: igitur falsum est, quòd omnia infidelium opera sunt peccata. Apparet autem Augustinum de operibus tantùm infidelium deliberatis, & ante omnem Fidem & Gratiam fuisse locutum, cùm dicat ea ex defectu debiti finis praua fore. Quartò item respondetur: Pontificem dicere, nonnullas earum posse aliquo modo sustineri, quod si quæ possunt, hæ certè sunt, & hoc Augustini sensu intellectæ. Præterea quinta illa propositio non est Augustini. quarta eo sensu dicitur, quo in Arausicano Concilio posita est, id est, de nostro solùm nos habere peccatum, id est, citra omne auxilium Dei; quod quidem verissimum est; nam ad peccandum non egemus nec vtimur auxilio Dei; ergo de nostro solùm possumus peccatum operari; nec enim Deus author est peccati, cùm sit author boni, ad quod auxilio suo nos excitat & adiuuat. qua ratione dicitur Oseæ 13. *Perditio tua ex te tantum-*

tummodo, ex me auxilium tuum, qui ſenſus à Vaſquez probatur. Aliter & fortè accommodatiùs dici poteſt: principium peccandi non eſſe à Deo, ſed à nobis, cùm voluntas defectibilis ſit principium peccandi: quæ defectibilitas tota noſtra eſt, cùm ratio vincendi peccatum Gratia Dei ſit. Hoc ſenſu dixit ſummus in omni genere literarum vir Maldonatus in caput 6. Ioannis nu. 44. *Liberum arbitrium naturalis in bonum & malum facultas eſt, ſed in malum per ſe ſolùm valet, in bonum non niſi Gratia iuuetur.* Hoc autem principium defectibile peccati habetur in libris contra Manichæos, & lib. 12. de Ciuitate cap. 1. & 6. & tractatu 49. in Ioannem: Docétque Gregorius Magnus lib. 25. Moralium cap. 4. & nos proximâ quæſtione tradidimus. Has verò interpretationes fermè adducit & probat Suarez lib. 1. de Gratia cap. 21. Longè alius erat Baij ſenſus, cùm ſimpliciter aſſereret liberum arbitrium ſine adiutorio Dei nihil niſi peccatum agere poſſe: demptâ illâ particulâ *ex ſe, de ſuo:* nec explicato Dei adiutorio, quod ille non ſolùm de Gratia auxiliante, ſed etiam de ſanctificante intelligebat. quo nihil eſt abſurdius, & alienius ab Auguſtini doctrina.

Quod ſi adhuc repugnet Suarez, & velit omnes Baij propoſitiones vti ſonant, eſſe damnatas; nec poſſe excuſari: næ: aliquæ grauium Societatis auctorum ſententiæ, quod nefas eſt dicere, damnabuntur. Nam damnabitur opinio Bellarmini, & Vaſquij, & Toleti negantium, vllam tentationem ſine Gratia vinci poſſe, imò & Vaſquij tota hac de re doctrina damnabitur: à quo illud in rem noſtram aptè notatur, numquam Bellarminum, qui eſt in opinione Suarij, vſum fuiſſe hoc argumento damnationis Baij ad refutandam contrariam opinionem, quam tuetur Vaſquez, quòd ſciret nihil inde aduerſus eam concludi.

ARTICVLVS IV.

Quid demum de operibus Fidelium & Hæreticorum, déque tota ratione auxilij ad ea præſtanda ſentiat Auguſtinus?

NON deſunt, qui exiſtiment ex adductis ſuperiore articulo in ſecundo argumento locis ſenſiſſe Auguſtinum: nullum omnino opus factum ab homine peccatore non iuſtificato bonum eſſe. Atque ita credo opinatus eſt Baius, qui ideo Gratiam ſanctificantem requi-

rebat. Hanc mentem Auguſtini fuiſſe iudicat Maldonatus in Matthæum cap. 7. num. 18. & hoc illum nomine ſuggillat. idem fortè credidit Suarez, quòd ſentiat eodem modo de operibus infidelium, & peccatorum fidelium locutum fuiſſe Auguſtinum: vti ſcribit lib. 1. cap. 7. nu. 7. Hac in re ſit

Prima concluſio: Auguſtinus nuſquam dicit fidelem exiſtentem in peccato mortali non poſſe bene & honeſtè operari: atque adeò diuerſo modo de infidelium operibus ſenſit. Probatur manifeſtis argumentis. Primum ſit: Auguſtinus ideo negat infidelibus bona opera, quia carent Fide, vt proximè diximus: ergo in quibus eſt Fides, honeſta iis opera concedet. Secundum: Auguſtinus ante Gratiam ſanctificantem honeſta opera in Catechumenis & infidelibus admittit, ergo à fortiori & in fidelibus in peccato mortali exiſtentibus admittet. Tertium: Auguſtinus ſolam Fidem & Gratiam tranſeuntem & inchoatam ad bene operandum poſtulat: hæc ſtare poteſt cum peccato mortali, ergo in eius ſententia mortale peccatum non excludit opera honeſta. Quartum: Auguſtinus hac ratione excludit opera infidelium, quia carent debito fine, ad

cuius cognitionem requiritur Fides: ergo qui Fidem habent possunt cognito debito fine rectè operari. Argumenta sunt euidentia, si assumptum vnicum probetur, nempe numquam Augustinum ad rectam operationem postulasse Gratiam sanctificantem, sed Fidem & Gratiam inchoatam transeuntem. Hoc autem ostenditur primò: quia Augustinus tribus in locis ait Cornelium, de quo suprà, ex inchoata tantùm Fide ante iustificationem rectè egisse. Ita duobus locis lib. de Prædest. Sanct. cap. 7. & lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. vbi manifestè supponit Cornelium sanctificatum non esse, sed inchoata tantùm Fide instructum; quam Fidem *aliquam* dicit primo loco; secundo verò apertè ait, fuisse Fidem in Cornelio, sed non tantam, quæ sufficeret ad regnum cælorum. Illustrior est tertius locus epist. 57. quæst. 2. vbi sic: *Nec mouere nos debet quod per quosdam ad hoc templum non pertinentes, seu nondum pertinentes, id est in quibus non habitat, vel nondum habitat Deus, aliquid virtutis operatur.* Quo sanè nihil est apertius. & confirmatur ex iis quæ habet lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 21. Probatur secundò: quia Augustinus concedit bona opera quæ inueniun-

tur in infidelibus, esse ex Gratia Dei & Fide, non tamen perfectâ, cùm adhuc sint infideles: ergo ex inchoata tantùm & imperfecta. Ita lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. imò lib. de spir. & lit. cap. 28. manifestè docet: impios & pessimos homines bene aliquando operari: vt patet ex subiecta sententia: *Ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Quo certè loco tota dubitandi ratio amputatur.

Probatur tertiò, quia Augustinus agnouit & posuit meritum Fidei ad iustificationem: ergo ante istam admisit Gratiæ aliquod auxilium, & notitiam Fidei inchoatæ. Patet ex epist. 105. vbi disputans contra Pelagium ait. *Sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si Fides hanc impetrat. nec enim nullum est meritum Fidei, qua Fide ille dicebat, Propitius esto mihi peccatori. & descendit ille iustificatus merito fidelis humilitatis.* vnde sequitur ante remissionem peccatorum, & Gratiam sanctificantem dari aliquam Fidem & Gratiam. Consentit iterum Augustinus tract. 44. in Ioan. cap. 9. commentatus illud, Cæci à natiuitate. *Peccatores Deus non audit. si enim,*

inquit, *peccatores Deus non exaudiret, frustrà ille publicanus oculos in terram deiiciens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori: & istâ confeßione meruit iustificationem quomodo iste cæcus illuminationem.* similia tradit de Niniuitis in Psalmum 50. ad illud: *Ecce enim veritatem dilexisti:* quemadmodum eum Vasquez intelligit d. 218. & Smising. tract. 3. d. 6. q. 6. nu. 316.

Probatur quartò: quia Augustinus præter meritum de condigno, quod appellant, admisit item meritum, vt aiunt, de congruo: quod non supponit iustificationem, & in peccatoribus inueniri potest. de quo agit tum locis modò adductis, tum præcipuè libro de Prædest. Sanct. contra Semipelagianos, qui initium meriti in natura ponebant: quod cùm prorsus auferat Augustinus, aliud meritum ex Gratia de congruo substituit: nec enim Semipelagiani meritum de condigno in natura ponebant. quod certè significat Augustinus lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. cùm ait: *Videte si aliud agitur isto modo, nisi vt Gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo.* nam hac particulâ *quolibet modo* indicauit minus aliquod meritum, id est, de congruo. & quidem

Vide Suarez Prolegom. 5. de Grat. cap. 6. Dub. 7.

ita ſentit epiſt. 105. & 106. & in Præfat. Pſal. 31. & cap. 3. eiuſdem libri de Prædeſt. Sanct. vtitur eo vocabulo *aliquid meriti:* quo notat congruum quiddam, & æquum ad Gratiam. Præterea lib. de Corrept. & Grat. cap. 1. ait, *deſiderare auxilium Gratiæ, initium Gratiæ eſſe.* Cui autem peccatori hoc denegetur? imò Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 2. admittit adhuc ante Fidem cogitationes honeſtas & celerrimas, quas ex Gratia eſſe dicit ſecundùm Paulum. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis.* Quem autem peccatorem huiuſmodi cogitationes non pungunt? & quidem quod diximus de Semipelagianis probat Smiſing. tractatu 3. diſp. 6. q. 6. nu. 306. nam dum Auguſtinus eos refellit, neceſſe eſt vt de merito Gratiæ, quod vocant de congruo, loquatur. Imò quoties ait, Fidem eſſe initium meriti, toties meritum de congruo ad Gratiam ſanctificantem in Fide conſtituit. Quod agit epiſtola 105. & 106. & 84. q. 4. & tr. 44. in Ioan. & lib. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. 2. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 17. & lib. 1. retract. cap. 9. & 23. & lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 17. & lib. 4. contra Iulian. cap. 3. & frequenter libro de Prædeſt. Sanct.

Agnouiſſe Auguſtinum genus hoc meriti de congruo : ait Suarez tomo 3. de Grat. lib. 12. à cap.32.& Vaſquez 1. 2. d. 218. cap. 3. num. 10. & Theodor. Smiſing. tr. 3. d. 6. q. 6. nu. 316. & mihi ſanè compertum eſt, licèt repugnet Sotus, quem quia Vaſquez optimè refellit, non refutem.

Ad teſtimonia Auguſtini proximo articulo in oppoſitum adducta pro neceſſitate Charitatis, & Gratiæ ſanctificantis ad rectè operandum facilè reſpondetur: Auguſtinum cùm de Fide & Charitate ſupernaturali loquitur, agere de omni auxiliorum tranſeuntium genere: & nomine Fidei inchoatam Fidem, nomine Charitatis initialem amorem Dei reſpondentem Fidei: nomine iuſtificationis totam auxiliorum ſeriem ad iuſtificationem ordinatam intelligere: vti patet ex proximè dictis, & ſentit Smiſing. tract. 6. d. 6. q. 7. num. 376. & probat ex loco Auguſtini epiſt. 105. & Patribus Africanis in Concilio Mileuitano can. 3. 4. & 5. & ante ipſum Vaſquez d. 217. num. 23. ex locis eiuſdem Concilij & Auguſtini. & Suarez tomo 3. de Grat. lib. 8. cap. 21. nu. 26. & 27. ex teſtimoniis eiuſdem epiſtolæ 105. & libro de Grat. & lib. arb. cap. 7. & lib. de Præd. Sanct.

cap.

cap. 7. & lib. 2. cont. Parmen. cap. 8. Quare libro de baptiſmo cap. 21. *Qui confitetur peccata* dicitur apud Auguſtinum *inchoare iuſtitiam.* & tract. 4. in Ioannem. & epiſtola 105. ait, *iuſtificari hominem non ſolâ remiſſione peccatorum, ſed etiam inſpiratione Fidei, Timoris,* &c. Vnde initia iuſtificationis ad eam ordinata iuſtificationem appellat. Conſonant quæ habet lib. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. de Fid. & oper. cap. 4. Itaque conſtat de operibus infidelium longè aliter ac de operibus Fidelium peccatorum Auguſtinum ſenſiſſe: cùm infideles careant Fide, atque adeo omni principio rectè operandi. Quo non carent Fideles: qui etſi peccatores, rectè tamen ex Fide operari poſſunt. Vnde hac in re minus vidit, acutus alioqui & perſpicax author Maldonatus: dum hoc nomine Auguſtinum traducit. Patet illam propoſitionem: *Omne quod agit peccator vel ſeruus peccati, peccatum eſt.* nec eſſe Auguſtini, nec ex Auguſtino deduci.

Secunda concluſio. Sine Gratia ſupernaturali, & inſpiratione Fidei ſupernaturalis nullum in ſtatu lapſæ naturæ fieri actum honeſtum ſenſit Auguſtinus. Hæc eſt contra Vaſquez, qui hactenus nobiſcum aduerſus Suarium ſentiebat, ad omnem actionem honeſtam neceſſariam

esse Christi Gratiam. In hoc enim Vasquez dissentit ab Augustino, dum vocat Gratiam Christi concursum naturalem, sed ordinario maiorem: vti suprà dictum est illum impugnando. Probatur verò conclusio primò: Quia Augustinus statuit Fidem supernaturalem, vti in sacris litteris accipitur, esse initium boni operis, & ostium Gratiæ: quod suprà ostendimus, & probat thesis: ergo nullam sine Fide Gratiam esse voluit. Secundò, Augustinus nullos actus bonos agnoscit, præter eos qui ad vitam ordinantur æternam: sed hi omnes indigent Fide & Gratia: igitur non sunt ex natura & concursu naturali. Tertiò: quia Augustinus ad probandum honestatem actuum ex Gratia, eam omnino esse dixit, quæ in sacris litteris continetur, ex quibus testimonia desumit: atqui in scripturis istius Gratiæ naturalis nulla fit mentio. Quartò. Si Augustinus istum naturalem concursum pro Gratia admitteret, ineptè contra Semipelagianos argumentaretur: nam his actibus bonis naturalibus initium meriti ad Gratiam inesset, & ex Gratia præmium Gloriæ, vnde sequeretur vtramque demum naturæ reddi, & in naturam resolui. Quintò: quia Augustinus epist. 105. docet Gratiam Christi

Id ostendit Suarez to. 1. de Grat. lib. 1. c. 17. & 18.

esse illam ad quam nobis promerendam Christus mortuus est, quod fatetur Vasquez: At certè Christus non est mortuus pro auxilio naturali. Quòd si pro illo mortuus est, quia maius ordinario auxilium est, sequitur mortuum esse, vt Mathematici & Philosophi, & Rhetorici efficiamur, cùm ad hasce omnino assequendas perfectè scientias auxilium ordinario maius necessarium sit: Vnde sequitur illud à Christo esse: quòd maius est. Sextò: quia Augustinus, vti suprà diximus, non satis esse putauit ad rectè operandum ex Gratia Christi auxilium habitum per notitiam legis, atque doctrinam: quia non excederet terminos naturales: igitur quando postulat auxilium ad bene agendum non postulat nisi supernaturale.

Nec Vasquium, vti erat acutus, & doctus, latuit sibi Augustinum opponi. Quem ne haberet aduersarium contendit probare aliquot locis Augustini eum de Fide & Gratia naturali locutum esse, & nomine inchoatæ iustitiæ, naturalem quandam Gratiam intellexisse. Ita disput. 189. cap. 16. & alibi: vbi seipsum citat. At nullus eorum quos adducit, locus eo sensu potest intelligi, nec Augustinus vsquam nisi de

ſupernaturali Gratia loquitur. vt contra Vaſquium optimè demonſtrat Suarius tomo 1. de Grat. lib. 1. c. 17. & 18. expendens ſingulos locos tam aptè, támque ſyncerè vt nullum mihi locum reliquerit quicquam addendi. Faciunt quæ habet à cap. 5. & 6. & 1. p. lib. 1. de Præd. cap. 11. & ſequent. Cum Suario ſentit Theodorus Smiſing. tract. 3. d. 6. q. 7. nu. 360. & 361. & 367. Et ſanè contra eundem Vaſquez militat, quod tradit de impoſſibilitate ſeruandæ legis Moyſis ſine virtute Gratiæ, quam ipſe ſupernaturalem fore fatetur: vt videre eſt d. 189. cap. 18. & nos ex Auguſtino ſæpe adduximus citato loco cap. 13. libri de Grat. Chriſti. Vnde ſumitur ratio contra Vaſquium manifeſta. Si enim notitia legis diuinæ, & naturalis contenta in tabulis Moſis, à doctore expoſita & declarata cum auxilio Dei competenti niſi ſit ſupernaturale, non ſufficit ad bene operandum; quomodo lumen naturæ, etſi illuſtrius, & concurſus naturalis, etſi maior, citra opem Gratiæ in hoc rerum ſtatu in quo homines ad Gloriam ordinantur erit ſufficiens ad rectè operandum, & viuendum?

Itaque neque Suarez cum Auguſtino, neque Vaſquez omnino ſentit. Sed propiùs ad Au-

gustinum Vasquez accedit. Sentit enim nullum opus rectum, & ex omni parte bonum sine Gratia Christi esse; dissentit tamen in duobus: nam negat hoc auxilium esse veræ Gratiæ: & affirmat ad opus tantùm ex omni parte bonum requiri: perinde ac sint quidam actus boni inchoati, qui auxilio Gratiæ non indigeant. Suatius longiùs ab Augustino recedit cùm negat ad actus bonos morales Gratiæ auxilium necessarium esse: esséque eos intra facultatem naturæ, & medium illud genus actuum admittit. Augustini mens est: non esse hos actus medios naturaliter bonos: qui sint boni, ex Gratia Christi supernaturali bonos esse: Quæ tamen non sit Gratia sanctificans, sed inchoata: & transiens.

Hanc verò Augustini sententiam sic à nobis expositam multi magníque Patres, authorésque sequuntur. D. Gregorius Moral. lib. 22. cap. 5. & præclarè ad mentem Augustini lib. 2. in Ezechiel. Homil. 16. D. Bernardus. De Grat. & lib. arb. & serm. 1. in Annuntiatione: & omnino expresse sermone 30. in Cant. & serm. 51. Prosper de vocat. Gent. lib. 1. cap. 7. vel 3. & cont. Collat. cap. 3. & 19. & 22. & 28. Et epist. ad Ruffin, & ad Demetr. & ad 3. obiecta Gallo-

ſupernaturali Gratia loquitur. vt contra Vaſquium optimè demonſtrat Suarius tomo 1. de Grat. lib. 1. c. 17. & 18. expendens ſingulos locos tam aptè, támque ſyncerè vt nullum mihi locum reliquerit quicquam addendi. Faciunt quæ habet à cap. 5. & 6. & 1. p. lib. 1. de Præd. cap. 11. & ſequent. Cum Suario ſentit Theodorus Smiſing. tract. 3. d. 6. q. 7. nu. 360. & 361. & 367. Et ſanè contra eundem Vaſquez militat, quod tradit de impoſſibilitate ſeruandæ legis Moyſis ſine virtute Gratiæ, quam ipſe ſupernaturalem fore fatetur: vt videre eſt d. 189. cap. 18. & nos ex Auguſtino ſæpe adduximus citato loco cap. 13. libri de Grat. Chriſti. Vnde ſumitur ratio contra Vaſquium manifeſta. Si enim notitia legis diuinæ, & naturalis contenta in tabulis Moſis, à doctore expoſita & declarata cum auxilio Dei competenti niſi ſit ſupernaturale, non ſufficit ad bene operandum; quomodo lumen naturæ, etſi illuſtrius, & concurſus naturalis, etſi maior, citra opem Gratiæ in hoc rerum ſtatu in quo homines ad Gloriam ordinantur erit ſufficiens ad rectè operandum, & viuendum?

Itaque neque Suarez cum Auguſtino, neque Vaſquez omnino ſentit. Sed propiùs ad Au-

gustinum Vasquez accedit. Sentit enim nullum opus rectum, & ex omni parte bonum sine Gratia Christi esse; dissentit tamen in duobus: nam negat hoc auxilium esse veræ Gratiæ: & affirmat ad opus tantùm ex omni parte bonum requiri: perinde ac sint quidam actus boni inchoati, qui auxilio Gratiæ non indigeant. Suarius longiùs ab Augustino recedit cùm negat ad actus bonos morales Gratiæ auxilium necessarium esse: esséque eos intra facultatem naturæ, & medium illud genus actuum admittit. Augustini mens est: non esse hos actus medios naturaliter bonos: qui sint boni, ex Gratia Christi supernaturali bonos esse: Quæ tamen non sit Gratia sanctificans, sed inchoata: & transiens.

Hanc verò Augustini sententiam sic à nobis expositam multi magníque Patres, authorésque sequuntur. D. Gregorius Moral. lib. 22. cap. 5. & præclarè ad mentem Augustini lib. 2. in Ezechiel. Homil. 16. D. Bernardus. De Grat. & lib. arb. & serm. 1. in Annuntiatione: & omnino expresse sermone 30. in Cant. & serm. 51. Prosper de vocat. Gent. lib. 1. cap. 7. vel 3. & cont. Collat. cap. 3. & 19. & 22. & 28. Et epist. ad Ruffin, & ad Demetr. & ad 3. obiecta Gallo-

rum. Fulgent. lib. de Incarn. & Grat. cap. 12. 16. 17. 25. Petrus Diacon. de Incarn. & Grat. cap. 6. Paulus Oroſ. Dial. de lib. arb. Anſelm. lib. de Concord. p. 3. col. 4. & in fine illius partis. Iſidor. lib. 2. ſent. cap. 5. & lib. de differ. ſpirit. cap. 27. Richard. Victor. tract. 1. de ſtatu inter. homin. p. 1. cap. 33. Eam ex Auguſtino deſumpſit Concilium Arauſicanum cap. 9. & 18. & 20. & 26. Probant Summi Pontifices Innocent. epiſt. 26. ad Concil. Carthag. quæ eſt apud Auguſt. epiſt. 93. Celeſt. epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ. & apud ipſum Zozimus. & Concilium Africanum. Ex ſcholaſticis 22. citat Vaſquez d. 190. cap. 2. & inter eos Gregor. Arimin. in 2. diſt. 39. q. 1. A. 1. quo nemo quidem meliùs Auguſtinum intellexit, & expoſuit.

ARTICVLVS V.

Contra ſententiam Auguſtini argumenta quædam proponuntur & ſoluuntur.

PRIMVM argumentum petitur ex origine tantæ neceſſitatis Gratiæ, vt ſine illa nullus actus honeſtus in hoc ſtatu fieri poſſit: negata enim huiuſmodi neceſſitate euertitur propoſita ſententia.

Igitur non Augustino tantùm hæc quæstio negotium facessit, sed aliis etiam aliarum sententiarum authoribus, qui omnes tenentur reddere rationem, cur Gratia tam sit necessaria ad actus quos negant sine illa fieri posse. Itaque Vasquez & Aluarez, qui aiunt omne opus completè bonum Gratiâ indigere, in hoc etiam vehementer laborant. Bellarminus item & alij, qui cum eo sentiunt, nullam vel leuissimam tentationem vinci sine Gratiæ auxilio, in hoc non mediocriter sudant. Suarius tandem eiúsque sectatores, dum aiunt nullam grauem tentationem sine Gratia vinci posse, in assignanda ratione huius necessitatis mirè torquentur. Quare quo se illi modo expedient, eodem se expedient Augustiniani, qui tantùm necessitatem magis extendunt, ad plura scilicet obiecta. Vnde si in paucis datur ratio euadendi, facile est ad multa illam extendere.

Bellarm. De lib. arb. lib. 5. cap. 7.

Suarez tom. 1. de Grat. lib. 1. cap. 24. cũ multis quos citat.

Suar. vehemẽter hac in re laborat cap. 24.

Igitur tres sunt modi soluendi quæstionem. Omnes eò recidunt, vt dicant esse in nostra natura tantam ad illos actus, quos quisque negat sine Gratia fieri, difficultatem, vt ex ea impotentia quædam moralis existat: ad quam tollendam necessaria omnino sit Gratia. At in explicanda ista impotentia morali maximè au-

thores inter se diffident & pugnant. Quidam aiunt esse solam difficultatem, quæ cùm summa sit, impotentia dicitur. Sed hic modus durior est, quia ex eo sequitur Gratiam non esse necessariam nisi ad facilè operandum, ac per eam tolli solam difficultatem, non verò constituere potentiam in actu primo potentem operari. Vasquez verò ait esse veram impotentiam moralem: non tamen antecedentem, sed consequentem, ne tollatur libertas: quam sic format. Deus, inquit, præscit quid futurum sit homine posito in talibus circunstantiis ad operandum, & videt eum ex infirmitate non esse operaturum: tum ex eo quod videt mouetur ad eum iuuandum congruo auxilio. Sed miror homini acuto & docto hanc ratiocinationem placere potuisse. Vnde enim videt Deus hominem non esse operaturum, inde nascitur ratio non operandi: quæ sanè ipsa est impotentia quam inquirimus: & supponitur omnino ad præscientiam, cùm sit illius obiectum.

Idcirco Suarius fatetur huiusmodi impotentiam verè dari in homine ad vincendas tentationes graues: eámque esse veram & omnimodam moralem impotentiam. Sed eum ego sic refuto.

refuto. Impotentia quæ tantùm eſt moralis, non eſt omnimoda, nec ſimpliciter impotentia: nam dum integra eſt phyſica potentia datur poteſtas ad agendum: ergo non eſt vera impotentia niſi quæ aliquid phyſicum amittat. Deinde vrgeo: quia vel ante auxilium ad tentationem grauem voluntas eſt potens, vel non? Si eſt potens, iam eſt potentiâ phyſicâ potens: ſi non eſt, iam illa impotentia tribuetur Deo non danti auxilium. Addo argumento, quòd Suarius in natura lapſa admittit vires omninò integras naturales, imò & morales; non vult enim eſſe vllo pacto debiliores quàm in pura natura. Vnde ergo colligit iſtam impotentiam moralem? cùm præſertim dicat poſſe nos ex concurſu naturali bene operari? niſi fortè velit, vt in ſtatu puræ naturæ nulla tentatio grauis ſine Dei ſpeciali auxilio vinci poſſet: quod cùm Deus dare non teneretur, quod eſſet non debitum, certè illa natura mediis ad rectè viuendum deſtitueretur. Si autem poſſet tum cum auxilio naturali vincere grauem tentationem, cur in ſtatu ruinæ non poterit, cùm habeat eaſdem vires in opinione Suarij?

Quid ergo in re occultiſſima dicendum? Facilius & honeſtius eſſet rem fateri, modum

ignorare. Sed nolunt hac ratione Scholastici quæstionibus respondere. Quare id ego ex Augustino dixerim: in nobis pro statu naturæ lapsæ dari ante Gratiam impotentiam totalem moralem ad rectè operandum, per quam tollitur explicatus vsus potentiæ physicæ atque ob id nobis esse necessariam Gratiam: non tantùm vt auferatur difficultas, & facilè operemur, sed vt simpliciter & omnino operemur. Huiusmodi autem impotentiam ideo non tollere libertatem, quia non est ab intrinseco, nec tollit aliquid physicum à voluntate: sed nascitur ex pœna peccati originalis, fitque à concupiscentia impediente explicatum vsum libertatis ad bonum: qua nos iam ratione explicauimus proxima quæstione de libertate & necessitate peccandi. & iterum explicabimus in confirmatione thesis superioris, in qua ex Augustini doctrina statuimus hominem in statu ruinæ non solùm fuisse spoliatum gratuitis, sed etiam vulneratum in naturalibus. Itaque hæc impotentia componitur ex propensione naturaliter ob peccatum quodammodo insita ad malum ob fomitem peccati, & ex priuatione auxilij Gratiæ, quod per peccatum originale subtractum est. Atque hac tandem ra-

Ita Suarez lib. 1. cap. 24. num. 30. cont. Pelagium ex Aug.

[illegible] [illegible]ant huiuſmodi impotentiam Bellarm. lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 5. ad 3. in 1. ſolutione. & Vega de iuſtif. q. 12. & Suar. lib. 1. cap. 24. neſcio quàm ad ſuam de viribus voluntatis in ſtatu ruinæ, & puræ ſententiam cohærenter.

Igitur neceſſitas Gratiæ ſumma eſt, quia ſine illa vinci non poteſt illa inclinatio & pronitas ad malum ex concupiſcentia: nec tamen hoc tantùm eſt principium neceſſitatis, ſed item huiuſce ſtatus naturæ lapſæ conditio, quâ ſumus conditi ad finem ſupernaturalem: nam ex hoc ſequitur neceſſariam eſſe Gratiam & auxilium ſuperioris ordinis: quod cùm nobis nullo modo debeatur noſtris meritis habere non poſſumus. Quæ ſunt omnia ex Auguſtino deprompta & conformia iis quæ docet multis in locis, maximè lib. de Cor. & Grat. cap. 10. & 11. & 12. & lib. de Bono Perſeu. cap. 7. & lib. de Nat. & Grat. cap. 50. & 55. & lib. 14. de Ciuit. cap. 11. & in Enchir. cap. 30. & 31. & aliis quos citauimus ſuperiori diſputat. de libert. & neceſſit. peccandi. Quo ſenſu dixit author Hyppogn. lib. 1. *Amiſſam eſſe per peccatum Adæ poſſibilitatem non peccandi.* Idem habet Proſper ad 5. obiectionem Vincent. & in lib.

sententt. sent. 52. & Fulgentius de Incarnat. & Grat. cap. 12. & 13. & 19. & Gregor. & Bernard. infrà tractatu vltimo citandi. Confirmat Concil. Arausic. cap. 1. & cap. 13. & cap. 25. dicens: *Per peccatum ita fuisse attenuatum & inclinatum liberum arbitrium, vt neque diligere Deum sicut oportet, neque propter Deum operari possit.* Quod item tradit Concil. Tridentinum Sessione 6. cap. 1. Quo etiam modo loquitur Celestinus Epist. 1. Can. 9. & epist. ad Gall. cap. vltimo, & apud eum Zozimus Papa. Huc pertinent, quæ de necessitate orationis habent Patres, à quibus tantoperè monemur, vt à Deo contra omne peccatum Gratiam postulemus. Quæ videri licet apud Vasquez d. 189. cap. 11. & Suarez lib. 1. de necessitate Gratiæ cap. 26. num. 9.

Secundum argumentum esto: Si actus nullus rectus, & bonus sine Gratia fieri potest: & non est debita Gratia: sequitur nisi ea adsit hominem non peccare omittendo actum, vel eliciendo contrarium, & omnino carere culpâ quia caret potestate ad vitandum peccatum. iuxta doctrinam Augustini quam proposuimus in disputatione superiori. Quod tamen nemo Theologus admiserit. Huic argumento

nos eo loco ex Augustini doctrina respondimus. Sed iterum proponimus, vt quid cæteri dicant videamus: & quàm aptè demum soluerimus appareat. Ac primum huiusmodi argumentum vrget eos, qui vel ad omnes etiam leues, vel ad graues tantùm tentationes Gratiam omnino necessariam putant: in quo cuncti soluendò mirè torquentur. Sunt qui dicant cum Aluarez satis esse ad potestatem vitandi peccata, & libertatem peccandi, quòd cum auxilio Gratiæ vitare possimus. Vnde simpliciter dicendum, quòd possumus resistere tentationi, quòd possumus vitare peccata, quia possumus per Gratiam: nam sicut dicimus posse nos, quòd per amicos possumus, ita dicendum posse nos, quod per Gratiam possumus. Ac ita respondet Aluarez lib. 6. d. 54. ex doctrina, vt ait, Angelici Doctoris.

Hæc tamen solutio impugnatur à Suario lib. 1. cap. 24. Et sanè ea est difficilis: supponit enim semper & omnibus adesse Gratiam, quæ certè debita non est. Deinde quia potest contingere, inquit Suarez, vt homo habeat ignorantiam inuincibilem Gratiæ, & non sit præuentus ab illa, quo casu tentatus cadet: ergo peccabit. Suarez igitur aliam excogitat. Ea ta-

men ſpecioſa eſt, ſed nec idonea, nec firma. Ait enim: eſſe ante Gratiam impotentiam moralem, non autem phyſicam: atque adeo non eſſe hominem ſimpliciter impotentem, cùm phyſicè poſſit, etſi moraliter non poſſit. Quam doctrinam ſuprà tetigimus. Deinde addit: illam tentationem, de qua loquitur, grauem, in quolibet inſtanti eſſe tantùm leuem, & in tota tantùm duratione fieri grauem, atque adeo in ſingulis inſtantibus vinci poſſe ſine Gratia, in toto tempore non poſſe. Sed neutrum placet. Primum, quia potentia phyſica voluntatis non eſt ſatis ad vincendam illam grauem tentationem, cùm non ponatur in actu primo, id eſt expedita ad operandum per aliquid phyſicum & innatum, ſed per auxilium Gratiæ: ergo ante illud vincere non poteſt tentationem. Secundum eſt manifeſtum effugium & facilè præcluditur. Nam ſi ea tentatio ſit inſtantanea, & grauis, vti opinor fieri poteſt, corruit tota Suarij argumentatio. Præterea vrgendo veniamus, ad inſtans in quo tentatio grauis ſit: in complemento illius temporis quæram ex Suario, vtrum poſſit an non poſſit ſine Gratia vinci tentatio? tum vtrolibet dato cedet Suarius arguenti.

Huic igitur difficultati tum pares erimus, cùm æthercam illam lucem puriſſimam hauria-mus: nec enim in qua nunc verſamur caligine ſatis ad illam ſoluendam videre poſſumus. Interim ex tradita ſuperiùs doctrina dicendum; in nobis eſſe eiuſmodi impotentiam, ad quam tollendam opus ſit Gratia: qua ſine nihil nos honeſti agere poſſe: ſed aliud eſſe bene agere, aliud peccare: itaque ex nobis peccatum agere poſſe, cùm peccatum ſit defectus, atque adeo ſit noſtræ poteſtatis: ad id verò non vtimur auxilio Gratiæ. Quod autem iſtud ſit neceſſarium ad vitandum peccatum vt peccetur in eo quod vitari poteſt: id iam ſuperiori quæſtione ſoluimus: dicendo ſatis eſſe vitare peccatum peccato, vt nullum in indiuiduo vitari non poſſit.

Tertium ſit: Homines infideles ſæpe actus heroïcos fortitudinis & aliarum moralium virtutum edunt ob prauos fines: & ex inordinato affectu multa eáque ardua patiuntur: v. g. ij qui olim mortem pro patria oppetiuerunt, quos refert Tullius in Tuſculanis, & cuiuſmodi multos in hiſtoriis fuiſſe legimus: videmúſque ab hominibus impiis plurima perpeſſu aſpera tolerari; quæ cùm poſſint naturæ viribus ſu-

perari, & ex prauo fine vinci, cur non poterunt parua & honesta opera naturæ cõsentanea, latu non aspera, factu facilia ex recto fine fieri? Respondetur: longè aliud esse operari ex humano affectu, & prauo fine: ac operari ex motiuo bono, & honestatis amore; nam illud nobis naturale est: & illæ difficultates non excedunt terminos virium naturalium, vincíque possunt ob motiua, finésque naturales & inhonestos: siue ex vana gloria, siue ex cupiditate, siue ex obstinatione induratæ voluntatis sumantur. At verò istud cùm sit alterius generis ex recta intentione & debito fine purioris & altioris, intrà naturæ corruptæ vires minimè continetur. Quare non est ratio difficultatis in officio, aut actione, sed in altitudine intentionis, & rectitudine finis: ad ídque omnino necessaria Gratia est. Qua de re optimè Augustinus lib. de Patientia cap. 17. respondens eidem obiectioni: *Qui hæc*, inquit, *dicunt, non intelligunt, & quemque iniquorum tantò esse ad quacunque mala perferenda duriorem: quantò in eo maior est cupiditas mundi: & quemque iustorum tantò esse ad quacunque mala perferenda duriorem, quantò in eo maior est Charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio volun-*

voluntatis, progressum ex iucunditate voluntatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis. Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, &c. Et cap. 24. *Quando voluntas suâ cupiditate rapitur, quantò iucundius æstimat quod habere, vel conseruare appetit, tantò tolerabilius perfert, quod minus sibi est ad perferendum, quàm aliud ad patiendum: Quicquid enim illud est, ex creatura est, cuius nota voluptas est, quodammodo enim familiari contactu, atque connexu ad experiendam eius suauitatem adiacet amanti creatura amata creatura.* Et pergit cap. 35. *Voluntas autem Creatoris de qua scriptum est: Et torrente voluptatis tuæ potabis eos, alterius generis est.*

Imò retorquetur argumentum contra Suarium & sequaces: quia si ex eo quòd huiusmodi infideles grauissima quæque ob malum finem perferunt, sequitur posse item eos honestè operari: manifestè etiam deducitur posse hominem fidelem sine Gratia vincere tentationes graues, in quibus minor est, quàm in tot arduis tolerandis difficultas. Hoc tamen ij nolint admittere: ne periculosum aliquid in fidem moliantur. Aliud verò quod solet afferri de hæretico ex obstinata voluntate pro

ta; & in quo non admittuntur actus honesti medij naturalis bonitatis.

Quòd si vrgeas ex opinione Vasquij, & vt aiunt Scoti, & aliorum, dari actus indifferentes in indiuiduo: atque adeo esse opera media inter bona & mala, quæque Gratia non indigeant, nec tamen sint peccata. Respondeam negando huiusmodi actus in indiuiduo indifferentes. Quæ est Augustini perspicua constánsque sententia: quemadmodum nos aliàs ex instituto docebimus: nec verò alienam eam à mente Scoti quis existimet: nam etsi Scotus prima specie contradicere videatur, re sanè cum Augustino consentit: vti nos in tractatu de Gratia & Prædestinatione Conimbricæ dictato latè exactéque ostendimus.

QVÆSTIO III.

De differentia gratiæ in statu naturæ integræ, & lapsæ.

CAPITALIS hæc quæstio est, & vnde magna ex parte, aliæ, quæ de efficacia gratiæ, & libertatis cum ea concordia, & perseuerantiæ dono, excitantur, pendent; quam quòd audio vehementi hodie animorum contentione agitari, ea minimè omittenda fuit: cùm præsertim variis huius opusculi locis hac ita de re sim locutus, vt videar auxilia ista auctore Augustino distinguere, quod quatenus verum sit, oportet accuratiùs explicare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Hæc auxilia gratiæ aut vix ab Augustino, aut non satis distingui videri.

ETSI Augustinus sæpè, ac semel in lib. de Cor. & gratia operosè, huiusmodi adiutoria videatur distinguere: si tamen effectus vtriusque signáque pendantur, specie quidem multùm, re parum, aut nihil differre videbuntur. Quod hisce oblatis locis, & sumptis inde

lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12. lib. de nat. & Grat. à c. 43. in Enchir. c.

argumentis conficitur.

105. & 106. & 107. lib. de Dono Perseu. c. 7. lib. 11. de Genesi ad lit. c. 4. lib. 3. de lib. arb. c. 5. lib. 14. de ciuit. c. 13. & 27. epist. 106.

Primum sumitur ex loco illo libri 12. de Ciuit. c. 9. vbi Augustinus duos præcipuos gratiæ medicinalis, hominis lapsi, effectus gratiæ Angelorum attribuit. Alter est, esse rectè operandi principium, cui debeatur meritum: vt non naturæ & arbitrio insitum, sed à gratia donatum esse videatur. Alter, esse facem charitatis à Spiritus sancti igne decisam, quâ conceptâ voluntas diuinitùs inflammetur. Vtrumque locus repræsentat. Sic enim Augustinus:

lib. 12. de Ciu. Dei c. 9.

Si boni Angeli fuerunt priùs sine bona voluntate, eámque ex se ipsis Deo non operante fecerunt. Ergo meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine bona voluntate nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas iis inerat (nec enim ab ea, quam nondum cœperant habere defecerant) certè nondum tales, nondum tam boni, quàm esse cum bona voluntate cœperunt. Aut si non potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem qua meliores essent, nisi operante adiutorio creatoris habere non possent. Vbi docet Angelos nulla ratione sibi tribuere potuisse, vel primam bonam voluntatem: vel bonæ voluntatis incre-

mentum, vt & id quo boni esse inciperent, & quo meliores redderentur, Deo deberetur, ne illa admitteretur conclusio: *Ergo meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt.* Quam Augustinus horrore quodam excludit. En primus effectus. Adest secundus: *Confitendum igitur est cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere: verùm etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis.* Ac ne excipias, de Gratia habituali sanctificante, cum qua sunt conditi Angeli, vtrumque intelligendum: præterquam quòd Augustinus loquatur de incremento Gratiæ, quo melior quis efficitur, ac non nisi per actus merendo efficitur: occupatur obiectio aliis duobus locis, qui ad actualem gratiam pertinent. Nam in concion. 2. in Psal. 70. loquens de Angelis: *Tibi* ait *debent quod sunt; tibi debent, quod viuunt; tibi debent, quod iusti viuunt.* Et lib. 13. Confession. c. 3. de angelica creatura. *Vt & quod vtcunque viuit, & quod beatè viuit, non deberet nisi gratiæ tuæ.* Hinc illa in rem nata sententia. *Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei? Quid erat Angelus antequam fieret? Quid est Angelus si deserat qui creauit?*

Conc. 2. in Psalm.

lib. 13. Confess. c. 3.

Secundum argumentum ducitur ex dono perſeuerantiæ : quod non minùs eſt à Deo in ſtatu naturæ lapſæ, quàm fuit in via Angelorum. Vnde vtrobique maioris adiutorij effectus fuit, quod ipſum maius adiutorium bonis Angelis datum fuiſſe perſpicuè Auguſtinus teſtatur. Vnde noua vis additur argumento : nam ſi Gratia in ſtatu ruinæ ideo diuerſa eſt, quia maius auxilium eſt. Si Gratia viæ Angelicæ ideo efficax fuit, quia maior donata eſt Angelis bonis, eiuſdem profectò cum illa gratia ſtatus ruinæ, rationis erit. Hoc autem manifeſtè docet Auguſtinus eodem lib. 12. de Ciuit. c. 9. agens de caſu malorum & ſtatu bonorum Angelorum, & huiuſce cauſam diuerſitatis inquirens. *Aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterunt. Aut ſi vtrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent peruenerunt.* Qui ſanè inuictus eſt locus ad probandum maius auxilium datum fuiſſe Angelis bonis, quàm malis : cùm *amplius* dicuntur *adiuti.* Nam Auguſtinus de Angelis bonis adhuc in via loquitur : cui beatitudo ſucceſſit, ad quam poſt caſum cæterorum

Lib. 12. Ciuit. c. 9.

rum

rum peruenerunt:& non nisi *amplius adiuti* peruenerunt. Eâ verò phrasi significatur auxilium Gratiæ transeuntis, non sanctificantis, quod par esse supponitur ab Augustino, dum ait, *æqualiter boni*. Nec mirum est Augustinum maius adiutorium Gratiæ astruxisse, qui non dubitauit asserere Angelos malos minùs Gratiæ amoris diuini, quàm bonos in sua creatione accepisse. Nam hæc est prima dilemmatis pars: *Aut minorem acceperunt amoris diuini Gratiam*. Quid ergo mirandum, si minùs actualis auxilij acceperint? cùm durius fortasse sit condi inæquales in Gratia, quàm æqualiter conditos inæqualiter iuuari? Ex quo item patet de viâ vtrobique sermonem esse: nam si accepta inæqualis in creatione Gratia ad initium viæ pertinebat, nec tamen idcirco ab Augustino excluditur: cur inæquale adiutorium in cursu ante finem beatitudinis ad viam non pertinebit? nec enim minus officit liberi arbitrij potestati maius auxilium transiens, quàm maior Gratia sanctificans? vnde non minus timendum merito liberi arbitrij à maiore auxilio, quàm à maiore infusa charitate. Igitur qui Angeli steterunt, quanquam arbitrio suo steterint, maioris virtute auxilij perseuerarunt: atque adeo eorum Perseuerantia

cum Sanctorum nostrorum Perseuerantia eiusdem & rationis est & Gratiæ. Ita docet Augustinus concione 2. in Psalm. 32. *Non à se*, inquit, *cæli* (quo nomine Angelos intelligit) *solidati fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Deo acceperunt. Spiritu enim oris eius, non pars, sed omnis virtus eorum. Quid est autem* addit *solidatos esse, nisi habere stabilem & firmam virtutem?* Et ne vlla superesset dubitatio pergit eundem locum Apostolis accommodare, ac eorum Perseuerantiam iisdem omnino verbis, eadem ratione probare: vt idem in vtrisque effectus eandem vtrorumque causam fuisse ostenderet.

Concione 2. in Psal. 3.

Tertium & efficacius argumentum esto. Illa est genuina auxilij integræ naturæ nota: quòd erat tantùm *sine quo non:* atque adeo donabat posse operari, & manebat in arbitrij potestate, ita vt æquè accipi posset, & reiici pro libito voluntatis. At hæc ipsa nota in auxilium Gratiæ sanantis propriè omnino quadrat, ergo ea diuersa non est. Probatur assumptio loco Augustini singulari: & non paucis idoneis aptis-

que ſententiis. Demus has primùm. Deinde loco vtemur. Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 2. de homine poſt lapſum intelligit illud Eccleſiaſt. 15. *Reliquit illum in manu conſilij ſui.* & lib. 50. Homil. cap. 12. *In tuo arbitrio Deus poſuit cui pares locum Deo, an diabolo.* Et infrà de homine à ſatana tentato: *Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.* Dixerat enim proximè. *Cùm Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire ſatanæ.* Et lib. de nat. & Grat. cap. 26. *Deus non deſerit, ſi non deſeratur, vt piè ſemper, iuſtéque viuatur.* & tract. 2. in Ioan. *Opus eſt vt tu non deſeras, & non deſereris.* & lib. de ſpir. & lit. cap. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Quod eo capite bis inculcat. Ille tamen eſt illuſtrior & validior ad rem probandam locus, vbi Auguſtinus querelas Donatiſtarum refutat, indignantium cogi ſe pœnis ad amplectendam Catholicam Fidem: auferríque ſibi liberam eâ ratione profitendi poteſtatem. Vtitur enim exemplo Gratiæ efficacis; vt oſtendat, quemadmodum illa liberæ electioni non detrahit, ita nec illam animaduerſionem quicquam officere plenè eligendi facultati. Sententia huiuſmodi eſt. *Si tibi*, ait ad Petilianum, *proponam*

Lib. de nat. & Grat.

Lib. 50. Homil.

Lib. de nat. & Grat.

Tract. 2. in Ioan.

Lib. de ſpir. & lit.

ſuis erroribus moriente ſoluitur, dicendo ex prauo animi affectu accidere hæreſi pertinaciter adhærentis: cuius eadem quæ de homine libidinum æſtu incitato, ratio eſt habenda.

Quartum & vltimum ſit. Ratio negandi præcipua Auguſtino, eſt deſumpta ex defectu boni finis: quem non putat ab homine infideli adhiberi poſſe citra Gratiã ad opus ex obiecto & officio bonum. Hæc autem non videtur idonea, nam & liberè ac ſine fundamento aſſumitur, & dura eſt ac difficilis: cùm finis honeſtus non tam ſit extra vires naturæ, vt non poſſit naturaliter adhiberi: nec neceſſe ſit, ad Deum ſupernaturali, imò nec naturali lumine cognitum opus referri, vt bonum euàdat, cùm ſatis ſit ob naturalem operis recti honeſtatem fieri: quod ipſum eſt indirectè propter Deum operari. Ecquis autem negee eſſe hunc modum agendi intra facultatem naturæ? Ita argumentatur Suarius lib. 1. de neceſſitate Gratiæ cap. 6. nu. 19. Cui tamen optimè reſpondetur, primùm, rationem finis honeſti neceſſariam omnino eſſe ad honeſtatem operis. Vt ſit autem honeſtus finis, oportere vt ad vltimum finem referatur, non ſiſtendo

in creatura, qua non est fruendum: sed vtendum tantùm; ídque Augustinum voluisse. An verò ad hoc sufficiat operari propter honestatem ipsius operis, non admodum refert ad quæstionem: cùm id prorsus exigatur, referri ad vltimum finem. Vtcunque tamen sit, certè non videtur hoc posse sine Gratiæ auxilio fieri: cùm modus iste operandi sit nobilissimus, & purissimus, atque adeo superioris ordinis, & supra vires limitis corruptæ naturæ: ad quem certè, nequeat sine auxilio Gratiæ peruenire. Vnde ratio ex proximo argumento sumpta in Suarium intorquenda: & retorquendum exemplum victoriæ tentationis grauis: nam ea sine Gratia vinci non potest, operando ex bono fine, & tamen ex alio malo motiuo, & sine inhonesto poterit euitari, qua ratione auarus vitabit cupidinem coitus, auri cupiditate. Igitur quomodo dirigendum opus in Deum sit non admodum interest: id interest, vt ad eum referatur siue directè, siue indirectè, de quo non multum curat Augustinus. Vnum omnino tenendum, vt cùm id fit ex Gratia fiat, propter operis defæcatam puritatem. In hoc præsertim statu naturæ lapsæ, in quo lumen ingenij hebetatum, & virtus arbitrij infirma-

ta: & in quo non admittuntur actus honesti medij naturalis bonitatis.

Quòd si vrgeas ex opinione Vasquij, & vt aiunt Scoti, & aliorum, dari actus indifferentes in indiuiduo: atque adeo esse opera media inter bona & mala, quæque Gratia non indigeant, nec tamen sint peccata. Respondeam negando huiusmodi actus in indiuiduo indifferentes. Quæ est Augustini perspicua constánsque sententia: quemadmodum nos aliàs ex instituto docebimus: nec verò alienam eam à mente Scoti quis existimet: nam etsi Scotus prima specie contradicere videatur, re sanè cum Augustino consentit: vti nos in tractatu de Gratia & Prædestinatione Conimbricæ dictato latè exactéque ostendimus.

QVÆSTIO III.

De differentia gratiæ in statu naturæ integræ, & lapsæ.

CAPITALIS hæc quæstio est, & vnde magna ex parte, aliæ, quæ de efficacia gratiæ, & libertatis cum ea concordia, & perseuerantiæ dono, excitantur, pendent; quam quòd audio vehementi hodie animorum contentione agitari, ea minimè omittenda fuit: cùm præsertim variis huius opusculi locis hac ita de re sim locutus, vt videar auxilia ista auctore Augustino distinguere, quod quatenus verum sit, oportet accuratiùs explicare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Hæc auxilia gratiæ aut vix ab Augustino, aut non satis distingui videri.

ETSI Augustinus sæpè, ac semel in lib. de Cor. & gratia operosè, huiusmodi adiutoria videatur distinguere: si tamen effectus vtriusque signáque pendantur, specie quidem multùm, re parum, aut nihil differre videbuntur. Quod hisce oblatis locis, & sumptis inde

lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12. lib. de nat. & Grat. à c. 43. in Enchir. c.

105. & 106. & 107. lib. de Dono Perseu. c. 7. lib. 11. de Genesi ad lit. c. 4. lib. 3. de lib. arb. c. 5. lib. 14. de ciuit. c. 13. & 27. epist. 106.

argumentis conficitur.

Primum sumitur ex loco illo libri 12. de Ciuit. c. 9. vbi Augustinus duos præcipuos gratiæ medicinalis, hominis lapsi, effectus gratiæ Angelorum attribuit. Alter est, esse rectè operandi principium, cui debeatur meritum: vt non naturæ & arbitrio insitum, sed à gratia donatum esse videatur. Alter, esse facem charitatis à Spiritus sancti igne decisam, quâ conceptâ voluntas diuinitùs inflammetur. Vtrumque locus repræsentat. Sic enim Augustinus:

lib. 12. de Ciu. Dei c. 9.

Si boni Angeli fuerunt priùs sine bona voluntate, eámque ex se ipsis Deo non operante fecerunt. Ergo meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine bona voluntate nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas iis inerat (nec enim ab ea, quam nondum cœperant habere defecerant) certè nondum tales, nondum tam boni, quàm esse cum bona voluntate cœperunt. Aut si non potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem qua meliores essent, nisi operante adiutorio creatoris habere non possent. Vbi docet Angelos nulla ratione sibi tribuere potuisse, vel primam bonam voluntatem: vel bonæ voluntatis incre-

mentum, vt & idquoboni esse inciperent, & quo meliores redderentur, Deo deberetur, ne illa admitteretur conclusio: *Ergo meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt.* Quam Augustinus horrore quodam excludit. En primus effectus. Adest secundus: *Confitendum igitur est cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere: verùm etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis.* Ac ne excipias, de Gratia habituali sanctificante, cum qua sunt conditi Angeli, vtrumque intelligendum: præterquam quòd Augustinus loquatur de incremento Gratiæ, quo melior quis efficitur, ac non nisi per actus merendo efficitur: occupatur obiectio aliis duobus locis, qui ad actualem gratiam pertinent. Nam in concion. 2. in Psal. 70. loquens de Angelis: *Tibi* ait *debent quod sunt; tibi debent, quod viuunt; tibi debent, quod iusti viuunt.* Et lib. 13. Confession. c. 3. de angelica creatura. *Vt & quod vtcunque viuit, & quod beatè viuit, non deberet nisi gratia tua.* Hinc illa in rem nata sententia. *Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei? Quid erat Angelus antequam fieret? Quid est Angelus si deserat qui creauit?*

Conc. 2. in Psalm.

lib. 13. Confes. c. 3.

Secundum argumentum ducitur ex dono perseuerantiæ : quod non minùs est à Deo in statu naturæ lapsæ, quàm fuit in via Angelorum. Vnde vtrobique maioris adiutorij effectus fuit, quod ipsum maius adiutorium bonis Angelis datum fuisse perspicuè Augustinus testatur. Vnde noua vis additur argumento : nam si Gratia in statu ruinæ ideo diuersa est, quia maius auxilium est. Si Gratia viæ Angelicæ ideo efficax fuit, quia maior donata est Angelis bonis, eiusdem profectò cum illa gratia status ruinæ, rationis erit. Hoc autem manifestè docet Augustinus eodem lib. 12. de Ciuit. c. 9. agens de casu malorum & statu bonorum Angelorum, & huiusce causam diuersitatis inquirens. *Aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quàm illi qui in eadem perstiterunt. Aut si vtrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent peruenerunt.* Qui sanè inuictus est locus ad probandum maius auxilium datum fuisse Angelis bonis, quàm malis : cùm *amplius* dicuntur *adiuti*. Nam Augustinus de Angelis bonis adhuc in via loquitur: cui beatitudo successit, ad quam post casum cæterorum

Lib. 12. Ciuit. c. 9.

rum

rum peruenerunt:& non nisi *ampliùs adiuti* peruenerunt. Eâ verò phrasi significatur auxilium Gratiæ transeuntis, non sanctificantis, quod par esse supponitur ab Augustino, dum ait, *æqualiter boni*. Nec mirum est Augustinum maius adiutorium Gratiæ astruxisse, qui non dubitauit asserere Angelos malos minùs Gratiæ amoris diuini, quàm bonos in sua creatione accepisse. Nam hæc est prima dilemmatis pars: *Aut minorem acceperunt amoris diuini Gratiam*. Quid ergo mirandum, si minùs actualis auxilij acceperint? cùm durius fortasse sit condi inæquales in Gratia, quàm æqualiter conditos inæqualiter iuuari? Ex quo item patet de viâ vtrobique sermonem esse: nam si accepta inæqualis in creatione Gratia ad initium viæ pertinebat, nec tamen idcirco ab Augustino excluditur: cur inæquale adiutorium in cursu ante finem beatitudinis ad viam non pertinebit? nec enim minus officit liberi arbitrij potestati maius auxilium transiens, quàm maior Gratia sanctificans? vnde non minus timendum merito liberi arbitrij à maiore auxilio, quàm à maiore infusa charitate. Igitur qui Angeli steterunt, quanquam arbitrio suo steterint, maioris virtute auxilij perseuerarunt: atque adeo eorum Perseuerantia

cum Sanctorum nostrorum Perseuerantia eiusdem & rationis est & Gratiæ. Ita docet Augustinus concione 2. in Psalm. 32. *Non à se*, inquit, *cæli* (quo nomine Angelos intelligit) *solidati fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Deo acceperunt. Spiritu enim oris eius, non pars, sed omnis virtus eorum. Quid est autem* addit *solidatos esse, nisi habere stabilem & firmam virtutem?* Et ne vlla superesset dubitatio pergit eundem locum Apostolis accommodare, ac eorum Perseuerantiam iisdem omnino verbis, eadem ratione probare: vt idem in vtrisque effectus eandem vtrorumque causam fuisse ostenderet.

Concione 2. in Psal. 3.

Tertium & efficacius argumentum esto. Illa est genuina auxilij integræ naturæ nota: quòd erat tantùm *sine quo non:* atque adeo donabat posse operari, & manebat in arbitrij potestate, ita vt æquè accipi posset, & reiici pro libito voluntatis. At hæc ipsa nota in auxilium Gratiæ sanantis propriè omnino quadrat, ergo ea diuersa non est. Probatur assumptio loco Augustini singulari: & non paucis idoneis aptis-

que ſententiis. Demus has primùm. Deinde loco vtemur. Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 2. de homine poſt lapſum intelligit illud Eccleſiaſt. 15. *Reliquit illum in manu conſilij ſui.* & lib. 50. Homil. cap. 12. *In tuo arbitrio Deus poſuit cui pares locum Deo, an diabolo.* Et infrà de homine à ſatana tentato: *Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.* Dixerat enim proximè. *Cùm Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire ſatanæ.* Et lib. de nat. & Grat. cap. 26. *Deus non deſerit, ſi non deſeratur, vt piè ſemper, iuſtéque viuatur.* & tract. 2. in Ioan. *Opus eſt vt tu non deſeras, & non deſereris.* & lib. de ſpir. & lit. cap. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Quod eo capite bis inculcat. Ille tamen eſt illuſtrior & validior ad rem probandam locus, vbi Auguſtinus querelas Donatiſtarum refutat, indignantium cogi ſe pœnis ad amplectendam Catholicam Fidem: auferríque ſibi liberam eâ ratione profitendi poteſtatem. Vtitur enim exemplo Gratiæ efficacis; vt oſtendat, quemadmodum illa liberæ electioni non detrahit, ita nec illam animaduerſionem quicquam officere plenè eligendi facultati. Sententia huiuſmodi eſt. *Si tibi*, ait ad Petilianum, *proponam*

Lib. de nat. & Grat.

Lib. 50. Homil.

Lib. de nat. & Grat.

Tract. 2. in Ioan.

Lib. de ſpir. & lit.

Lib. 2. cont. Petilianum.

quæstionem, quomodo Pater attrahat ad Filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortasse eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, vt quis quod voluerit eligat? Tum: *si ergo fieri potest, vt quos in libero dimisit arbitrio attrahat tamen ad Filium Pater: sic fieri potest, vt ea quæ legum coërcitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Ita lib. 2. cont. Petilianum cap. 84. vbi notanda phrasis *in libero dimisit arbitrio*, qua solet Augustinus summam voluntatis liberæ potestatem, & indifferentiam significare. Imò illâ, vel ei geminâ solet explicare Adami ante lapsum libertatem, nam ait *Perseuerandi ei liberum fuisse commissum arbitrium: Et relictam fuisse voluntatem suam.* Vnde constat eodem modo à Gratia & excitatum, & adiutum: atque adeo nullum inter hasce Gratias discrimen fore.

Lib. de Cor. & Grat.

Lib. 12. de Ciuit. c. 6.

Id tandem nobili confirmatur ab Augustino lib. 12. de Ciuit. cap. 6. adducto exemplo. *Contingat quippe duos æqualiter affectos animo & corpore videre vnius corporis pulchritudinem: quâ visâ vnus eorum ad illicitè perfruendum moueatur: alter in voluntate pudica stabilis perseueret.* Admissâ positione, quærit rationem, *cur vnus consentiat, alter dissentiat?* Tum: *Quid*

aliud, inquit, *apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Rémque omnino premens. *Vnde*, ait, *nisi propriâ voluntate? vbi eadem fuerat in vtroque corporis & animæ affectio?* ac, vt omnem aliàs euadendi viam præcluderet, adiicit: *Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo: ambobus pariter institit occulta tentatio.* Ecce in voluntate radix, & principium operandi, & non operandi: non in Gratia: quæ tamen ab Augustino debuit supponi: vt sermo esset de voluntate ad vtrumque potente; nam certè ad resistendum Gratiâ opus erat: quare cùm alter restitit, Gratiæ ope restitit: nec alteri qui cecidit Gratia defuit qua resisteret, si vellet, cùm in eodem omnino ambo statu, & prorsus æquali esse supponantur. Quòd verò Augustinus loquatur de statu naturæ lapsæ, manifestum est, cùm dicat vtrumque carnis pruritu moueri, ac internâ cupidine incitari: résque ipsa proposita suadeat de communi hominum statu post ruinam sermonem esse, quòd tam sit exacta vtriusque & accurata in æqualitate positio: quo indicat agi non de illo statu naturæ integræ, in quo vti omnes æquales erant, ita non erat necessaria tam operosa industria exæquandi.

His itaque locis exemplóque conficitur, Gratiam in hoc lapsæ naturæ statu tam esse in potestate voluntatis, vti erat Gratia integræ erectæque naturæ: cùm vtraque & eosdem per se effectus in voluntate efficeret, & voluntas vtraque eadem ratione modóque vteretur: vnde sublata diuersitatis radice constat, vel non eas inter se distingui, vel certè longè aliter, quàm communiter creditur, distingui.

ART. SECVNDVS.

Auxilium Gratiæ status integri, omnino distinctum ac diuersum fuisse ab auxilio Gratiæ status ruinæ, Augustino authore statuitur.

DVOBVS quasi quibusdam cardinibus tota de Gratiâ moles nititur apud Augustinum, & voluitur. Alter est Gratiæ à natura in omni statu diuersitas. Alter, Gratiâ iam supra naturam inductâ, vnius Gratiæ ab altera pro ratione statuum distinctio. Vtrumque perspicuè, accuratéque tradidit: nihil vt in Augustino illustrius, nihil munitius reperiatur. Et quidem duo hæc præsidia ad Gratiæ defensionem patrono quærenda: ne aut integra natura se sibi satis ad meritum gloriámque putaret, si Gratiâ non indigeret: aut si non aliâ, quàm

integritatis Gratiâ indigeret, erectam se & valentem post lapsum, vulneráque putaret, nec Christi medici opem imploraret, proindêque virtus Crucis euacuaretur.

Igitur Augustinus duplicem Gratiæ formam astruxit. Alteram, quæ naturæ adiutorium integræ: Alteram, quæ lapsæ remedium foret. Illam, quæ comitaretur iuuarétque naturam: hanc, quæ erigeret, & sanaret, mouerétque naturam. Illam sine qua natura non operaretur: hanc, qua omnino fieret, vt mota natura operaretur. Illam lætiorem ac floridiorem, gaudente naturâ, in statu beatitatis nullis aut tristibus ignorantiæ vmbris demersâ, aut peccati sordibus inquinatâ, aut concupiscentiæ æstibus iactatâ, aut seruitutis vinculis obstrictâ, aut spinis morsibúsque passionum laceratâ. Hanc tristiorem ob tenebras, ob ægritudines, ob infirmitates, ob molestias, ob solicitudines, ob pugnas motúsque animi turbulentos. Sed potentiorem, quòd prostratam naturam erigebat, infirmam sanabat, debilitatam reficiebat, auersam reuocabat, somnolentam excitabat, cunctantem, & languentem, repugnantémque trahebat: & inter tot hostes animi & corporis victrix dominabatur: *vt esset victoria per Iesum*

1. ad Corinth. 15.

Christum Dominum nostrum.

Ac primùm diuersas inter se esse has duas Gratiæ formas, pulcherrimo & illustrissimo argumento probatur. Nam Pelagius summa vi contendit naturam erigere, statuere, roborare, sanámque ac valentem inducere: ac negato originali peccato statum ruinæ auferre: ne admittere remedium, opémque Gratiæ cogeretur. Tanti momenti esse putauit ad Gratiam astruendam in vitiis, morbísque naturæ. Vnde patet magna virtus Gratiæ medicinalis: quantóque sit aliâ integritatis illæsæ naturæ potentior: cùm Pelagius crediderit negari posse Gratiam in statu naturæ sanæ, & integræ, at verò in statu naturæ lapsæ negari non posse. Perinde quasi tantùm interesset inter Gratiam & non Gratiam, ac inter has duas Gratias. Pelagius quippe existimabat non opus esse in natura integra: esse verò in lapsa natura Gratiam necessariam; quo declarabat si admitteretur Gratia in erecto statu eam longè debiliorem fore illâ, quæ esset in statu ruinæ: cùm hæc quòd & manifestior & fortior, atque à naturæ vitiis & morbis diuersa, penè manibûs palparetur: alia quòd tenuior & secretior, & vix à natura integra, sanáque distans, vix deprehenderetur.

Con-

Contrà Augustinus curas omnes neruósque ingenij & doctrinæ intendit, vt asserto secundùm Fidem originali peccato, naturam lapsantem in sordibus culparum, vitiatam morbis, debilitatam vulneribus, confectam plagis, obtectam caligine, ardentem concupiscentiâ, prurientem in vitia, ruentem in peccata commonstraret: vt summa vis mali quanta esset necessitas remedij, quanta futura virtus medicinæ ostenderet. In quo argumento versantur toti fermè duo de natura & Gratia, & de Gratia Christi libri, in quibus Pelagius eleuando naturæ vulnera Gratiam deprimit, & Augustinus cõfirmando miseriam Gratiam extollit. Diuerso prorsus vterque consilio, sed ad suam sententiam accommodato. Pelagius ne vtrobique Gratiam, admissâ necessitate, admitteret: Augustinus, vt in vtroque statu admissâ Gratiâ, aliam tamen integræ, sanæque naturæ: aliam lapsæ, & infirmæ assignaret: vtramque suo statui accommodatam: sano adiutorium, morbido medicinam. Quæ idcirco auxilia diuersa forent, quòd longè dispar esset statuum conditio: quorum integer, modicâ & congruâ, vbi constarent cætera: lapsus, vehementi, & efficaci, vbi ruerent omnia, indi-

Vide ser. 11 de verbis Apost. cap. 2.

Christum Dominum nostrum.

Ac primùm diuersas inter se esse has duas Gratiæ formas, pulcherrimo & illustrissimo argumento probatur. Nam Pelagius summa vi contendit naturam erigere, statuere, roborare, sanámque ac valentem inducere: ac negato originali peccato statum ruinæ auferre: ne admittere remedium, opémque Gratiæ cogeretur. Tanti momenti esse putauit ad Gratiam astruendam in vitiis, morbísque naturæ. Vnde patet magna virtus Gratiæ medicinalis: quantóque sit aliâ integritatis illæsæ naturæ potentior: cùm Pelagius crediderit negari posse Gratiam in statu naturæ sanæ, & integræ, at verò in statu naturæ lapsæ negari non posse. Perinde quasi tantùm interesset inter Gratiam & non Gratiam, ac inter has duas Gratias. Pelagius quippe existimabat non opus esse in natura integra: esse verò in lapsa natura Gratiam necessariam; quo declarabat si admitteretur Gratia in erecto statu eam longè debiliorem fore illâ, quæ esset in statu ruinæ: cùm hæc quòd & manifestior & fortior, atque à naturæ vitiis & morbis diuersa, penè manibûs palparetur: alia quòd tenuior & secretior, & vix à natura integra, sanáque distans, vix deprehenderetur. Con-

Contrà Augustinus curas omnes neruósque ingenij & doctrinæ intendit, vt asserto secundùm Fidem originali peccato, naturam lapsantem in sordibus culparum, vitiatam morbis, debilitatam vulneribus, confectam plagis, obtectam caligine, ardentem concupiscentiâ prurientem in vitia, ruentem in peccata commonstraret: vt summa vis mali quanta esset necessitas remedij, quanta futura virtus medicinæ ostenderet. In quo argumento versantur toti fermè duo de natura & Gratia, & de Gratia Christi libri, in quibus Pelagius eleuando naturæ vulnera Gratiam deprimit, & Augustinus cõfirmando miseriam Gratiam extollit. Diuerso prorsus vterque consilio, sed ad suam sententiam accommodato. Pelagius ne vtrobique Gratiam, admissâ necessitate, admitteret: Augustinus, vt in vtroque statu admissâ Gratiâ, aliam tamen integræ, sanæque naturæ: aliam lapsæ, & infirmæ assignaret: vtramque suo statui accommodatam: sano adiutorium, morbido medicinam. Quæ idcirco auxilia diuersa forent, quòd longè dispar esset statuum conditio: quorum integer, modicâ & congruâ, vbi constarent cætera: lapsus, vehementi, & efficaci, vbi ruerent omnia, indi-

Vide ser. 11 de verbis Apost. cap. 2.

geret. In hanc mentem, cùm nihil non præclarum dicat Augustinus : illa sunt omninò præclarissima lib. de nat. & Grat. cap. 43. *De illo homine agimus, qui grauibus est saucius, confossúsque vulneribus.* Cui necessaria *Gratia medicinalis, medicinale Saluatoris auxilium, adiutorium medici potentissimi. Gratia liberatrix, opitulatio Saluatoris.* Gratia *maior & potentior. Quæ prabeat vires efficacissimas voluntati.* Idem fermè est libri de Grat. & lib. arbit. & de perfect. iust. & magnæ partis lib. de Cor. & Gratia argumentum.

Lib. de nat. & Grat. sparsim. Lib. de Cor. & Grat. lib. de Grat. & lib. arbit.

Prima fundamenta huius diuersitatis iecit Augustinus in libris de libero arbit. 1. & 3. & lib. de Ciuit. 12. & 14. & 22. & lib. 2. de nupt. & concup. & in Enchir. & lib. 2. & 3. de Gen. & lit. & serm. 11. & 13. de verb. Apost. & lib. 1. Retract. & 1. lib. imperf. cont. Iul. & lib. oper. perf. 5. contra eundem. In quibus docet Augustinus Adamum in statu innocentiæ in arce libertatis & æquilibrio constitutum, sanum, integrum, sine vulnere, sine næuo, sine concupiscentia, diuino illustratum lumine, & perfusum Gratiâ, & beatum conditum fuisse. Prima verò lineamenta vtriusque Gratiæ duxit lib. de natura & Gratia, vbi propiùs accedens ge-

nuinas notas obſeruauit, contulit, ac diſtinxit: ſtatuítque pro diuerſitate ambarum celebres illas auxiliorum differentias: *ſine quo* & *quo*, eáſque adhibitâ vnâ & alterâ & tertiâ ſimilitudine hominis oculati, & cæci, integri & claudi, veſcentis, & ieiuni, quorum vti diuerſa eſt neceſſitas ita diuerſa eſſe debent remedia, aptè expoſuit. Quâ fermè ratione procedit lib. de perfect. iuſtitiæ, qui liber ei de natura & Gratia geminus videtur.

Lib. de nat. & Grat. cap. 48.

Sed vtramque demum Gratiam formauit, & ſuam vtrique germanam faciem reddidit: lib. de Cor. & Grat. cap. 10. 11. & 12. quæ, accerſitis quibuſdam ex lib. 14. & 22. de Ciuit. Enchir. & de Dono Perſeuer. coloribus, ita illam exprimunt, vt nihil omnino non ad formam modò, ſed etiam ad elegantiam deſideretur. Quorum quòd multa ſparſim per theſes dedimus: ſummam hîc omnium faciemus.

Igitur Gratia hominis integri & ſani erat talis, vt ſine illa rectè operari non poſſet: quòd donabat proximè voluntati poſſe: vt eâ abſente non poſſet voluntas, præſente poſſet. Quod cùm obtineret voluntas, adhuc erat in ſuò æquilibrio, in ſua integrâ in vtramque partem indifferentia eligendi, non inclinata, non pro-

nia, sed erecta, & celsa: sic vt vsus datæ Gratiæ omnino in potestate voluntatis esset: atque hæc oblato auxilio vteretur, si, & quatenus vellet, non vteretur si nollet: expectante Gratiâ voluntatem, & comitante trahentem, non præmotâ & tractâ à Gratia voluntate: ita vt potestas ad rectè agendum, Gratiæ, non voluntati; vsus, voluntati potiùs, quàm Gratiæ tribueretur. Hinc illæ Augustini sententiæ. *Illâ Gratiâ demonstrata est potentia liberi arbitrij. Illam Deus reliquit in libero Adami arbitrio.* Fuit adiutorium, *quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet. Per quod permanere posset, si vellet. Quo fiebat, vt haberet iustitiam si vellet. Et acceperat posse perseuerare, si vellet: quod vt nollet de libero descendit arbitrio. Sine hoc adiutorio in bono non maneret. Sine hoc bonum tenere non posset. Quod desereret, cùm vellet: in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet.* *Tales vires habebat eius*, id est Adami, *voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat vt dignè tantæ bonitati, & bene viuendi facilitati perseuerandi committeretur arbitrium: vt ei relinqueretur voluntas sua: Vt fortissimo dimitteret, ac permitteret facere quod vellet. Hæc prima est Gra-*

Lib. de Cor. & Grat. cap. 11. & 12.

Ibidem.

tia qua data est primo Adam.

Secunda Gratia Adam secundi, & hominis lapsi *maior* erat *& potentior*. quia vt donaret posse, sanabat, & erigebat, & roborabat naturam vulneratam, prostratam, infirmam: supplebátque virtute suâ, quod rectitudo, & sanitas, & integritas faciebant: vnde non solùm aderat potentiæ promptæ, expeditæ, ac præparatæ, sed etiam liberabat, & præparabat potentiam: & impedimenta remouebat: itaque non oblata donabat proximum posse, sed etiam inducta faciebat. In quo primùm apparet maior virtus Gratiæ secundæ; quia prima supponebat potentiam expeditam & liberam: secunda impeditam, & seruam; prima tantùm explicabat in vsum potestatem agilem, & promptam: secunda ipsammet potestatem suopte pondere, tardatam, & oppressam expediebat. Quare vel in donando voluntati posse, multo maior erat & potentior Gratia secunda, quàm prima. Iam verò in ipso vsu & exercitio, virtus secundæ Gratiæ elucebat: nam prima sistebat in ipsa sui oblatione; & quasi se monstrans, voluntati annuebat, vt veniret si vellet, se præsto esse: cùm vellet affuturam. At secunda ingerere sese, mouere, incitare, stimulare, tra-

here, inclinare voluntatem, non relinquendo eam suó illo æquilibrio, & bilance libertatis, nec expectando vt velit, sed ducendo, & inclinando, ac efficiendo vt velit. Hæc omnia docet Augustinus. *Nunc posteaquam* magna peccati *merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas. Quis nescit hominem sanum, & inculpabilem factum & libero arbitrio atque ad iustè viuendum potestate liberâ constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semiuiuum latrones reliquerunt, qui grauibus saucius confectúsque vulneribus non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratiâ liberetur à seruitute, quâ facta est serua peccati, &, vt vitia superet, adiuuetur, rectè piéque à mortalibus viui non potest. De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Peccato seipse homo vitiauit: vt redeat ad iustitiam opus habet medico. Supplicandum est vt sanetur, & deinceps in sanitate viuatur. Non superbiendum quasi homo eadem potestate sanetur, quâ potestate vitiatus est. Si adest possibilitas vt quid orant? aut à quo malo se liberari orant, nisi maximè de corpore mortis hu-*

Lib. de Cor. & Grat. cap. 12.

Lib. de nat. & Grat. cap. 43.

Lib. 1. Retract. c. 9.

Lib. de perfect. iust. c. 4.

Lib. de nat. & Grat. cap. 23. & cap. 34.

ib. cap. 53.

ius? Vnde non liberat nisi Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur *Deus sanctis suis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possent perseuerare, si velint, sed in eis etiam operatur & velle. Tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ Gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliquâ vinceretur. Ita factum est vt voluntas hominis inualida, & imbecilla in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei:* cùm voluntas *primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseuerauerit. Est in nobis per hanc Dei Gratiam in bono recipiendo & perseueranter tenendo, non solùm posse, quod volumus, verùm etiam velle quod possumus: quod non fuit in homine primo; vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.*

Lib. 12. de Cor. & Grat. c. 12

Lib. de Cor. & Grat. cap. 11.

Iam verò collatâ inter se vtrâque Gratiâ, velut ex mutuo collisu ignis veritatis existit: quo accenso differentiâ vtriusque haud dubia victoria medicinalis Gratiæ prorsus appareat. Igitur Augustinus: *Hæc est*, inquit, *prima Gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc*

potentior est in secundo Adam. Prima est enim quâ fit, vt homo habeat iustitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, quâ etiam fit vt velit, & tantùm velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat: Hæc autem tantò maior est, vt parũ sit homini per illam reparare perditam libertatem, parũ sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum: vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur vt velit. Itaque, *Tantò amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dari Deo placuit, vt non solùm adsit sine quo permanere non possumus, verùm etiam tantum ac tale est, vt velimus.* Quare aptè concludit. Illum *latiore Gratiâ* donatum: istos verò *potentiore Gratia indigere.* Causam adhibet. *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot ac tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis*

ibid.c.11.

ibid.c.12.

vt

vt possent. Vt autem constet sua cuique Gratiæ forma. Primam Augustinus appellat Adiutorium *sine quo non.* Secundam Adiutorium *quo.* Itaque ait, *Ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est Adiutorium sine quo aliquid non fit: & aliud est Adiutorium quo aliquid fit.* Illustrat exemplis. *Nam sine alimentis non possumus viuere: nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat, qui mori voluerit. Ergo Adiutorium alimentorum est sine quo non fit vt viuamus.* Hoc quadrat in Adiutorium Gratiæ Adami sine quo Adamus perseuerare non posset. At si nollet accipere, non perseueraret. Nam illa Gratia erat in manu Adami posita: eius nutui intenta: præsto erat, si vellet vti: non incitabat, nec trahebat voluntatem: aderat, offerebat se & expectabat placitum voluntatis; vti declarat exemplum alimentorum, quæ cùm sint ad manum, præsto sunt volenti manum iniicere, non tamen apprehendunt manum, & ad se trahunt, sed vt proficiant debent apprehendi, & sumi à volente manducare. Dant posse, sed vti non tribuunt: cùm vsus à volente pendeat: qui si velit vtetur, si nolit abstinebit. Longè aliud est exemplum alterius Adiutorij. *At verò beatitudo,* inquit, *quam non habet ho-*

mo cùm data fuerit continuò fit Beatus. Adiutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc Adiutorium, & quo fit est & sine quo non fit. Quia si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, vt homo viuat, sed sine illis non potest viuere. Hoc conuenire Gratiæ Sanctorum in statu lapsæ naturæ voluit. Quam talem esse dicit, vt eâ positâ omnino sequatur effectus: cuius vsus non sit indifferens, & pendens ab arbitrio dominæ voluntatis: sed operans in voluntate, & trahens secum libentem ad opus voluntatem. Itaque *eâ fit vt velit*, & *tantùm velit vt diligat*, & *vincat*. Parum enim est, *non posse sine illa velle nisi etiam efficiatur vt velit.* (ibid. c. 11.) Vno vt verbo dicam: differentia in eo est, quod prima Gratia solum dat posse offerendo se potentiæ expeditæ: & ab hac applicatur ad agendum: Secunda præparat potentiam, facítque expeditam: & in illam agendo applicat ad agendum. Vnde in primo statu ratio agendi est voluntas, non sine Gratia; in secundo est Gratia cum voluntate.

Hinc noua & præclara differentia existit,

quâ tanquam notâ diuersitas Gratiæ deprehenditur: quam Augustinus inuexit, & exposuit. Nempe in statu integro oblato auxilio *sine quo non*, cùm actio sequebatur potiores esse partes arbitrij in agendo, quia illud acceptabat Gratiam oblatam, & applicabat ad operandum. At verò in statu deiecto, donato auxilio *quo* primas sibi in operando Gratiam vendicare cùm & potentiam expediret, & præmoueret, traherétque ad operandum. Quare de Angelis, quorum Gratia fuit Adiutorium *sine quo non* vti & innocentis Adami ait Augustinus: *Cecidisse per arbitrium, & stetisse per arbitrium.* Quod in arbitrio eorum cùm esset Gratia, eius nutum sequebatur, & ad flexum se libertatis accommodabat. Nam *libertas voluntatis apparuit in Angelis qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt. Sic Deus ordinauit Angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium.* Idcirco *meritum* tribuit libero arbitrio, tanquam radici, & rationi operandi, & Gratiam applicanti: quo titulo meritum sui quodammodo iuris faciebat. Itaque Adami innocentis merita *Humana* vocat. *Humana*, inquit, *merita conticescant, quæ perierunt per Adam.* Quæ propria item viuo

Lib. de Cor. & Grat. c. 11. lib. 6. cōt. Iul. c. 21. idē dicit. Lib. de Dono Perseu. cap. 7. Lib. de Cor. & Grat. cap. 10.

Lib. de Prædest. Sanct. cap. 15.

Lib. de Cor. & Grat. cap. 12.

vocabulo appellat. *Vnde*, inquit, *non glorietur caro nisi de meritis suis?* En *sua* dicit: quæ in eo statu merita homo habiturus. *Quæ quidem potuit habere, sed perdidit.* Hinc qui prædestinari ex Angelis, qui prædestinandi in eo statu ex hominibus *meritis* & *discerni*, & prædestinari ab Augustino dicuntur. Vnde illud, *Non eos iam meritis discernens.* & illud. *Electi sunt per electionem Gratiæ, non præcedentium meritorum.* vbi opposuit electionem prædestinatorum post lapsum ex beneficio Gratiæ: Prædestinationi ante lapsum ex merito ob liberi arbitrij potestatem non sine Gratia. Hinc aliud: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito.* *Meritum* bonum appellat nostrum bonum opus eâ indifferentiâ arbitrij factum. Hinc beatitudinem & Gloriam, quam solet Gratiam in statu lapsæ naturæ appellare *mercedem meriti* vocat, cùm de Angelis & innocente homine loquitur. *Quæ futura*, inquit, *erat homini, sicut facta est Angelis sanctis merces meriti.* Et rursum. *Hanc*, id est immortalitatem, *est acceptura per Gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum.* Quo indicauit diuersam esse in eo statu rationem Gratiæ à Gratia status ruinæ, cùm illa pateretur meritum assignari arbitrio, quod

Lib. 14. de Ciuit. c. 26.

Lib. de Cor. & Grat. c. 7.

ibid. c. 11.

Ibidem.

In Enchir. cap. 106.

hæc certè minimè permittebat: itaque illa meritum voluntati remittebat, hæc sibi meritum vendicabat. Videamus ex altera parte Gratiæ differentiam. Primùm: non libero arbitrio tribuitur bonum quod agimus: sed Deo & Gratiæ: *Deus facit vt velimus bonum. Ille facit vt faciamus præbendo vires efficacißimas voluntati. Ipse in nobis velle operatur & currere. Per Gratiam fit homo voluntatis bonæ. Deus operatur vt velint. Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* ideóque lib. de spir. & lit. *Bene viuere munus diuinum* appellat. Virtutes, & actiones honestas *Dona Dei* dicit lib. de Dono Perseu. Imò ipsum *non peccare* Diuinum esse beneficium affirmat contra Iulianum; vt nihil virtutis libero arbitrio tanquam domino assignetur.

Lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 16. Ibidem. Epist. 107. ad Vital. Lib. de Cor. & Grat. Lib. de Dono Perseuer cap. 13. C. 1. & 5. C. vltimo. Lib. 2. oper. imperf.

Iam verò merita è contrario non propria hominum: sed Dei & Gratiæ habentur, quòd in iis Gratia partes habeat potiores. Vnde Augustinus: *Gratia dat ipsa merita cùm datur.* Et rursum: *Dona Dei sunt merita nostra.* Iterum: *Bona merita nostra non nisi Dei dona esse fatemur.* Deinde: *Gratia est illis omne meritum.* Quare beatitudinem, quam mercedem meriti dixerat, Gratiam appellat. *Cùm vita æterna*

Epist. 107 Lib. 13. de Trinit. c. 10. Lib. 6. cont. Iul. cap. 12. Lib. de Cor. & Grat. c. 7. Epist. 107

redditur, quid nisi Gratia pro Gratia redditur? nec id semel, sed aliàs & quidem frequenter. Ille pro omnibus esto locus. *Vita æterna etiam ipsa Gratia nuncupatur: non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Tandem & electionem & discretionem prædestinatorum à reprobis, quas in statu Angelorum & hominis innocentis meritis assignarat, omninò Gratiæ attribuit. Hinc illud: *Elegit eos in Filio suo per electionem Gratiæ. Electi per electionem, vt dictum est, Gratiæ, non præcedentiam meritorum, quia Gratia est illis omne meritum. Discernuntur non meritis suis, sed Gratia mediatoris.* Et illud: *Non eos iam meritis, sed Gratia discernens.* Accedit pro huiusmodi differentia aliud præclarum argumentum. Etenim Augustinus ait, qui ex Angelis peccarunt *eos per liberum arbitrium cecidisse:* qui perseuerarunt in bono illos *per liberum arbitrium stetisse:* qua nos ratione suprà ex eodem Augustino docuimus: Adamum libero prorsus arbitrio peccasse, id est tota integrâ libertate, nihil imminutâ peccasse, perinde quasi tum meritum, tum peccatum ex æqua potestate veniret: ac eadem facilitate vtrumque ageretur. Vnde patet Gratiam

Epist. 105

Lib. de Cor. & Grat. c. 7.

Ibidem.

omnino esse in potestate arbitrij, vti erat potentia ad peccandum: cùm in eo flexu voluntas tam facilè rueret ad malum, quod vellet, ac in bonum cum Gratia verteretur. Itaque huiusmodi adiutorium nihil ex illo æquilibrio indifferentiæ detrahebat: nec minuebat potestatem ad peccandum, cùm & tota libertas ad peccandum esset, & tota ad bene agendum, potentiâ in vtrumque pariter expeditâ: nec hinc concupiscentia rapiente, nec inde Gratia inclinante. Quare qui actus siue virtutis, siue vitij sequeretur, ille libero arbitrio moderanti Gratiæ & suggestioni iure tribuebatur. Quod longè aliter est in statu ruinæ, vbi & concupiscentia inuitat & abripit voluntatem ad malum, & Gratia excitat & trahit voluntatem in bonum, vti ex Augustino primâ quæstione tradidimus. Ex quo apparet quàm sit diuersa Gratiæ virtus, quæ vim concupiscentiæ vincat; & moueat, & inclinet in actus oppositos voluntatem. Id enim est Adiutorium Gratiæ nostræ, *Quo fiat, vt velit & tantùm velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.*

Lib. de Cor. & Grat. c. 12.

Cuiuſmodi & quanta fuerit hæc diuerſitas Gratiarum, & in quo propriè conſtituta?

NEMO qui paulò accuratiùs Auguſtinum legat, quin hæ duæ diſtinctæ ſint Gratiarum eo authore formæ, dubitabit. Quî tamen, & quatenus, & quo differant? difficile eſt iudicare. Id à nobis neruoſè magis, quàm ſpecioſè tractandum.

Prima ſententia docet in eo Gratias eſſe diſtinctas: quòd Gratia innocentiæ erat tantùm Gratia intellectus citra vllum motum voluntatis. At verò Gratia ruinæ erat & intellectus, & voluntatis. Itaque ſola illuſtratio mentis, erat Gratia prima; ſecunda, & illuſtratio mentis, & inflammatio voluntatis. Fundamentum eſt, quia Auguſtino authore voluntas erat in arce & æquilibrio libertatis, ſine aut flexu, aut inclinatione; hoc autem eſſe non poterat, ſi Gratiâ pulſaretur cùm eius motione voluntas flecti, mouerique, atque adeo extrahi ab illo ſuo cardine libertatis deberet. Quo admiſſo, neque voluntas ſtatum illum ſuum indifferentem retinebat, neque Gratia ſuam differentiam conſeruabat: nam Gratia quæ inclinet, & moueat volun-

voluntatem non eſt ſtatus innocentiæ, ſed ruinæ.

Verùm hæc ſententia: neque rem continet, nec eſt Philoſophiæ congrua, nec Theologiæ accommodata, & omnino eſt ab Auguſtini ſenſu aliena. Singula monſtrem. Primum: quia poſito quòd ſit illuſtratio mentis, eadem quæſtio redit: Vtrum maior, aut minor eſſet illuſtratio? Vnde circa hanc partem integra quæſtio remanebit. Secundum: Recta philoſophandi ratio docet, vt cogitationibus practicis intellectus ſui ſemper in voluntate motus reſpondeant: & ſecundùm maiorem minorémve in proponendo intenſionem cognitionis, maior vel minor ſit vehementia actus voluntatis. Quare fieri non poteſt, vt illuſtrationi mentis ad rectè operandum ordinatæ, non reſpondeat iuſtus & certus motus in voluntate, ad ſenſum intellectus accommodatus. Itaque ſuppoſitâ mot one Gratiæ in mente, non poteſt negari pulſus Gratię ſequens in voluntate: cùm vno poſito aliud connaturaliter ſequatur. Tertium ſuadetur; quia cùm duæ ſint potentiæ in Angelo & in homine: ambæque naturales, atque adeo ad ſupernaturales actus eleuandæ: neceſſe eſt, vt ambæ

æqualiter eleuentur. Nec verò datur maior ratio, cur intellectus ſit illuſtrandus antecedenter luce tranſeunte, non autem voluntas excitanda inſpiratione ſupernaturali. Deinde: Cur voluntas deſtituenda eſt ſuo auxilio? cùm ſuo fruatur intellectus? Nam quòd voluntas ſit informata Gratiâ ſanctificante, & formata charitate habituali, id non efficit, quo minus indigeat adiutorio Gratiæ tranſeuntis. Etenim intellectus habitu Fidei, & lumine habituali affectus, eget tamen adhuc altera luce actuali tranſeunte ad cogitationem practicam ſupernaturalem, vti authores huius ſententiæ fatentur. Igitur eadem ratio inſpirationis in voluntate. Præterea voluntas in eo ſtatu reponenda erat in actu primo, & proximè expedita ad operandum: atqui ad id non ſatis erat Gratia & Charitas habitualis, ergo erat opus aliquâ Gratiâ, & motione actuali, ad illum præſertim actum qui omnino eſſet ſupernaturalis. Inſuper illa voluntas aliquâ delectatione illicitâ ſtimularetur ad malum, ergo etiam aliqua delectatione licitâ excitaretur ad bonum. Antecedens admittitur ab aduerſariis, igitur admittendum & conſequens. Ad hæc poſitâ huiuſmodi delectatione ad malum, &

exurgente motu illicito ad peccatum, quî possset ei voluntas resistere, nisi haberet ex opposito aliam inspirationem delectationis ad bonum? Tanlem aduersarij concedunt ex illa mentis illustratione, quam Gratiam mentis appellant, necessariò oriri motum indeliberatum amoris supernaturalis in voluntate. Hic igitur ipsa erat, quam negant, Gratia delectationis in voluntate: quem amor voluntarius pro libito sequeretur. Quartum nempe alienum hoc prorsus à mente Augustini esse, ex illius, quam nunc propono sententia, constabit.

Richard. expressè disput. de lib. arb. lib. 2. Sect. 3. §. 2.

Igitur Augustinus primùm docet vtramque potentiam intellectum & voluntatem actualis Gratiæ adiutorio indiguisse, & illud in statu integro habuisse. Id manifestè probatur inuicto loco lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 13. vbi de Adamo innocente. *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, vt videret, & accendebatur, vt amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret.* Quo nihil potest ad vtriusque ex æquo potentiæ auxilium aut apertius, aut vehementius afferri. Sed Gratiam antecedenter excitantem volun-

tatem solitariam confirmemus. Principio illo Augustini voluntatem non nisi ex motiuo delectante operari, ídque naturâ suâ accidere. Ita locis manifestis contra Manichæos, qui naturam ipsam rerum scrutabantur: quibus cum eadem ratione disputat. Contra Faustum lib. 22. cap. 28. sic: *Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potiùs, quam refrenat.* Et contra Secundinum cap. 6. *Quaro, quid alliciat animæ consensionem: an irruat illa cassatim, & propterea consentire dicatur, quia eius aliquâ delectatione moueatur ad fruendum?* Et aduersus Donatistas lib. 2. de Bapt. cap. 10. loquens de peccantibus. *Quid aliud respondent, cùm eos veritas arguit nisi, hoc volo, hoc me delectat.* Huc pertinet illud ad Simplicianum lib. 1. q. 2. idem enim agitur quærere principium operandi. *Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectet?* Et illud multò efficacius. *Voluntas ipsa nisi aliquid occurrat, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo pacto potest.* Ne autem quis putet hoc solius status ruinæ proprium esse, facit locus lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 14. qui rem continet. *Per mulierem*, inquit, *Diabolus decipit: non enim*

ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest nisi cùm delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in vnoquoque nostrûm nihil aliud agitur, cùm ad peccatum quisque dilabitur, quàm tunc actum est in illis tribus: serpente, muliere, & viro. En vti in statu innocentiæ ratio operandi peccatum erat delectatio, licèt non orta ex intrinseco malo concupiscentiæ, sed ingesta ab externo hoste. Quòd si ad peccatum delectatio stimulabat voluntatem, & ad virtutem delectatio apposita accendebat. Hinc illud Augustini *accendebatur ad amorem*. Erat ergo Gratia propria voluntatis. Nam si ad malum tentabatur Adami voluntas, cur non excitaretur ad bonum? Nam, *Cur non permitteret Deus vt à Diabolo primus homo, qui rectus, id est bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur?* Non erat verò concipienda tentatio ex concupiscentia in paradiso, vbi *partes animi vitiosæ non erant. Non enim contra rectam voluntatem mouebantur: nec enim illi quicquam ex se ipsa concupiscentialiter resistebat. Absit enim vt illa pax animi haberet aliquid, propter quod aduersus se ipsam pugnaret.* Si verò Adami voluntas motus ad malum quosdam ex suggestio-

Lib. 14. de Ciuit. cap. 11.

Ibid. cap. 12. & 19. Lib. de Cor. & Grat. c. 12. Lib. 3. cont. Iul. cap. 16.

ne ſentiebat: cur non pulſus ad bonum certos perſentiret? *Sanè cùm Deus ita regebat hominem vt terreret exitio.* eius voluntatem ſalubris timor ictibus feriebat. Itaque cùm neceſſe ſit fateri in ſtatu illo fuiſſe delectationes voluntatis malas, ſaltem (data operâ dico) ex ſuggeſtione ſtimulantes ad culpam: negari non poteſt fuiſſe item alias bonas ex inſpiratione excitantes ad virtutem. Aſſumptum egregio Auguſtini loco probatur lib. 22. cont. Fauſt. c. 28. *Vtrum ſit aliqua rationalis creatura, quam nihil illicitum poßit delectare? magna quæſtio eſt. Quod ſi eſt, non in eo genere factus eſt homo: nec illa natura Angelica, quæ in veritate non ſtetit: ſed in eo genere iſta rationalia facta ſunt, vt ineſſet eis poßibilitas frenandi delectationem ab illicito, quam non frenando peccauerunt.* Sequens aſſumptum patet ex eo, quòd frenanda erat illa delectatio illicita, aliâ licitâ & honeſtâ delectatione. Vera eſt enim in omni ſtatu illa ſententia Auguſtini lib. de ſpir. & lit. cap. 28. *Facit per Spiritum ſanctum plus delectare, quod præcipit, quàm delectat, quod impedit.* Etenim: *Bonum fit, cùm id quod malè libet vincente bonâ delectatione non fit.* Et quidem ſi natura rationalis creaturæ ita comparata eſt, vt non ali-

In Enchir. c. 16.

quo illicito delectari non possit, cur & aliquo licito delectari non poterit? vbi sermo est Augustino de delectatione antecedente actum deliberatum, cùm dicat inesse eidem creaturæ possibilitatem frenandi.

Constat igitur Gratiam excitantem status integri esse & intellectus & voluntatis. Hinc verò maior quæstio existit. Nam quod erit discrimen Gratiæ integritatis, & Gratiæ ruinæ, si vtraque in motionibus intellectus, & voluntatis versatur? Scio hoc esse caput controuersiæ, cardinémque. De quo quid Augustinus iudicet iam expono.

Author est is. Discrimen Gratiæ sanæ, à medicinali in eo esse, quòd Gratia sana erat minùs intensa quàm Gratia medicinalis: ita vt solùm differant secundùm magis & minus: sed ita tamen differant, vt neque Gratia sana conueniret statui infirmo: neque Gratia medicinalis in statum erectum quadraret. Nam nec illa pura & integra libertas cum Gratiâ medicinali; neque illa attenuata & infirma cum sanâ Gratiâ componeretur. Nam libertas integra obrueretur Gratiâ maiore, & libertas inclinata minore illâ Gratiâ non erigeretur. Itaque Gratia medicinalis superflua statui sa-

no; Gratia ſana non ſufficiens ſtatui infirmo. Huiuſmodi autem doctrina omnino facilis eſſet. Si Auguſtinus audiretur: docens & libertatem & Gratiam recipere magis & minus: Hoc enim accepto cætera fluerent. Vtrumque nos in hoc opere probauimus, & recepimus: mihíque eſt in Auguſtino exploratum. Quod ipſum nullo meliùs argumento, quàm hac ipſa Gratiarum differentiâ confirmatur. Veniamus ad praxim.

Illuſtratio intellectûs, & accenſio voluntatis integræ, & ſanæ, congruæ tantùm erant voluntati operaturæ, nec illam niſi leui quadam incitatione mouebant, vnde lenis quidam afflatus exiſteret, non vehemens impulſus in voluntatem. Nam nec ea alio indigebat: cùm eſſet expedita: nec decebat alius vehementior, cuius non eſſet domina voluntas, quæ in arce & capite libertatis erat. Quare nullus Gratiæ excitantis pulſus niſi velleitates quaſdam, & inchoatos in voluntate motus efficiebat. Quorum illa tam potens erat, vt integrâ libertate poſſet vel accipere, vel reſpuere: quin de ſupremo illo ſuo dominio & ſtatu quicquam decederet. Et quidem ſine his motibus non poſſet bonum operari. quî

enim

enim ad rectè agendum nisi inspiratione diuinâ, excitaretur? Vnde erat illud adiutorium *sine quo non* posset: nec enim posset in actum supernaturalem ex se *sine* excitatione diuinâ prodire. Non erat Adiutorium *quo*: nec enim eo mouebatur efficaciter ad agendum, cùm ei voluntas non cederet: imò in eadem arce & apice libertatis esset, illósque leuiter excitantis Gratiæ motus velut è fastigio despectaret. At verò Gratia medicinalis efficax (de hac enim sermo est Augustino) suas omnes vires exerit, & vehementi pulsu voluntatem quatit, & quassam mouet, trahítque virtute sua potenti ad operandum, & victâ concupiscentiâ dominatur: itaque voluntatem torpentem excitat, stimulat, agit, inflectit, inclinat, mouet, facítque operari: & tantùm non determinat ad actum. Itaque illa dat solum posse: hæc & posse & operari: quemadmodum proximo articulo nos docuit Augustinus. Vno vt verbo rem absoluam. Gratia sana erat Gratia inefficax & remissa: Gratia medicinalis efficax, & intensa. Illa omnino erat in manu & potestate voluntatis: expectabátque voluntatem, à qua cùm applicabatur, efficax reddebatur. Hæc, etsi intra libertatem, voluntatem agebat, &

ſuapte virtute efficax inclinabat: & operantem faciebat. Accommodemus ſententias Auguſtini. Is ergo in maiori virtute & potentia Gratiæ ponit diſcrimen: & hac ratione diſtingui apertè ſtatuit. Ita lib. de Cor. & Grat. cap. 11. *Hæc prima eſt Gratia, quæ data eſt primo Adam.* nimirum: *Adiutorium quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet. Non quo fieret, vt perſeueraret: Sed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Plus poteſt. Qua nempe fit vt velit, & tantùm velit, tantóque ardore diligat vt vincat.* Qui locus rem omnino omnem continet: agit quippe de auxilio Gratiæ actualis tranſeuntis, quæ *Adiutorium* idcirco dicitur. eiúſque diſcrimen comparatiuo termino explicatur, *Potentiore, Plus poteſt.* eôdem pertinent illæ particulæ *tantùm velit, tanto ardore diligat.* quæ certam quandam intenſæ vim Gratiæ ſignificant: in qua differentia conſiſtit. Iterum Auguſtinus. Nec illa Adami prima *Gratia parua erat. Hæc autem tantò maior eſt.* En magis & minus: quæ eſt ratio ipſa diſcriminis. Et rurſum: *Potentiore Gratiâ indigent iſti.* id eſt homines in ſtatu ruinæ. Ingeminat: *Tantò amplius datur per Ieſum Chriſtum; vt non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus: verùm*

De Cor. & Grat. cap. 11.

Ibid.

etiam tantum ac tale eſt, vt velimus. Adiicit: *Tantò maioribus donis adiuuanda remanſit infirmitas.* Ex quo duo conſtant: alterum, eiuſdem omnino ſubſtantiæ eſſe vtrumque auxilium: vt patet ex illis terminis, *tanto ardore diligat: tale ac tantum eſt. Hac tantò maior eſt.* quibus eadem ratio ſubſtantiæ continetur. Alterum diuerſæ intenſionis & virtutis eſſe: vti indicant termini comparatiui, qui gradibus tantùm diſtinguuntur: vt cùm eadem res ſit, diuerſi tamen ſint gradus: & ſecundùm eos virtus Gratiæ creſcat: qua *inuictiſſimè velint, & nolint* quibus tribuitur.

Cap. 12.

Ib. c. 12.

Illuſtratur autem maximè, confirmatúrque huiuſmodi ſenſus idoneo exemplo ex ipſis viſceribus Auguſtinianæ doctrinæ deſumpto. Adam cùm peccauit, tantâ libertate peccauit, vt ob id liber omninò antonomaſticôs peccaſſe ab Auguſtino dicatur, vti nos prima quæſtione latè tradidimus, & vt ipſe rurſum docuit cùm dixit per liberum arbitrium, ſummâ libertate nullâ neceſſitate peccaſſe. Cuius rei ratio ea eſt: quia nullâ motus concupiſcentiâ, nullo æſtu libidinis raptus peccauit: id eſt non graui tentatione pulſatus peccauit. Et tamen conſtat eum tentatum à diabolo per Euam

quæſt. 1. a. 2.

peccasse, quod proximè statuimus: cùm igitur tentatus peccarit, & sine vlla necessitate, & ex summa libertate, atque adeò libero arbitrio peccarit: necesse est dicere, eum tenui cupiditate & leui tentatione pulsatum peccasse; quæ quòd remissa erat, ac nullam omnino vim voluntati faciebat; nec eam concepto igni accendebat, imò erat in manu & potestate voluntatis, nihil prorsus de æquilibrio libertatis detrahebat: quare peccatum inde ortum totum libero volentis arbitrio tribuebatur. Aliter res habet in statu ruinæ: nam ex maiore libidine ac delectatione ob concupiscentiam ruitur in peccata: ideóque dicimur nos volentes quidem & liberi, sed minùs volentes ac liberi, & non tota libertate peccare. Ecquis enim dubitet Adamum nullâ feruente libidine, nullâ concupiscentiâ æstuante, nullo prorsus cupiditatis impetu rapiente magis liberè, quàm cùm in eum hæc pestis incubuit, peccasse? Itaque illud inter vtrumque peccatum discrimen fuit, quòd primum ex leui pulsu tentationis extitit, cuius cùm prorsus domina voluntas esset; nec ob eum de libertatis æquilibrio quicquam decideret: peccauit quia voluit, vel vt aiunt: *Nihil ei fuit peccare quàm nolle parere.*

Prosper ex Augustino.

Secundum verò in ſtatu ruinæ ex vehementi concupiſcentiæ rapientis impetu ortum eſt, quo voluntas è ſtatu illo integritatis deflexa, non omnino ſui potens, & ſi liberè, non totâ tamen libertate, atque adeo, Auguſtino authore, ex infirmitate & certa quadam neceſſitate peccauit.

Igitur de motibus Gratiæ, & actionibus ex ea honeſtis pari ratione dicendum, in ſtatu integro leues Gratiæ, & inefficaces pulſus fuiſſe, qui cùm voluntatem molliter tangerent, non trahebant: ſed afflabant, ita vt operatio ex arbitrio voluntatis exiſteret. At verò in ſtatu ruinæ fortes & vehementes Gratiæ motus eſſe, qui voluntatem agunt, trahúntque, vt cùm operatur, inclinata à Gratia operetur. Vt leuis tentatio, Gratiæ tenui in ſtatu ſano: grauis, vehementi in ſtatu ruinæ ex aduerſo reſpondeat. Et vtrobique cupido mali, & delectatio boni ſecundùm magis & minus diſtinguantur. Itaque *Iuſtis*, ait Auguſtinus, *Deus non ſolùm dat Adiutorium, quale primo homini dedit ſine quo non poſſent perſeuerare, ſi velint, ſed in eis etiam operatur & velle. Tantùm quippe accenditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic volunt, quia ſic Deus operatur, vt velint.*

Hîc ego, habitâ ab Auguſtino meó veniâ, de meo quædam addidero: ſed ea non ab eius doctrina aliena: imò ex eiuſdem principiis deducta.

Primum. Dari hodie in nobis pulſus Gratiæ omnino ſimiles iis integræ naturæ. Nam quos experimur inefficacis Gratiæ motus, qui velleitates tantùm excitant, eos ego exiſtimo ſimiles primo adiutorio ſanæ integræque naturæ: ſed eo tamen diuerſos, quòd ij ſatis omnino erant ad operandum in ſtatu recto, imò & cum iis in eo Angelos, & Adamũ, quandiu bonus, operatos: nunc verò vrgente mole cupiditatis auxilium illud inefficax, nec ſatis omnino eſſe ad operandum, ſuppoſita infirmitate potentiæ, nec cum eo quenquam operari. Vnde illud auxilium abſolutè, vt in ſe, ſufficiens eſt, cum eo enim voluntas ſi expedita eſſet, poſſet operari: per accidens tamen non eſt ſatis, quia ſuppoſito ſtatu & impedimentis potentiæ maiorem requirit virtutem, & intenſionem ad expediendam, applicandámque voluntatem. Ideo ſemper malui huiuſmodi auxilium *inefficax*, quàm *ſufficiens* appellare. Cur verò Deus hoc genus adiutorij reliquerit, quod inefficax fore cognouerat? Ratio penes Deum eſto. Conie-

ćturæ meæ ſunt. Altera: noluiſſe Deum hos pulſus Gratiæ, quos ſemel dederat in ſtatu innocentiæ, ſubtrahi hominibus in ſtatu ruinæ. Itaque vt antea erant, relicti ſunt. Altera: quia ita poſtulat modus connaturalis operandi, vt ſicut nos interdum remiſſè, interdum intenſè operamur, ita ſint adiutoria Gratiæ & tenuis, & vehementis. Vnde etiam in nobis fiunt leues motus concupiſcentiæ, ex quibus leues tentationes exiſtunt: quibus motibus correſpondent illæ Gratiæ tenues. Tertia: illas Gratias neceſſarias eſſe ad vincendas tentationes leues: ideóque relictas haud contemnendo vſu: nam quibus graues tentationes non vincuntur, iis oportet leuiores ſuperari.

Secundũ, in Auguſtini ſchola vbi virtus eſt intrinſeca Gratiæ ad præmouendum per gradus ſuos intenſa, omnino ſentiendum Gratiam ſufficientem eſſe minorem efficaci: & per additionem fieri poſſe efficacem: eóque diſtingui, quòd ſufficiens parua eſt & remiſſa. Efficax magna & intenſa. Ex quo apparet auxilium ſtatus innocentiæ proprium, eſſe id, quod hodie *ſufficiens* in ſcholis dicitur: quod paruum cùm ſit & remiſſum, leues tantùm excitat motus, id eſt velleitates.

Tertium: istud auxilium esse aliquid motionis antecedens: & re ipsa exhibitum potentiæ, vt sit in actu primo: non autem concursum simultaneum, & concomitantem, qui dici non potest *Adiutorium* & *Auxilium*, cùm eo non præparetur nec excitetur voluntas ad actum, quod vult Augustinus, sed tantùm sit conditionatus ex parte Dei, vt detur, si voluntas operetur: neque detur nisi operanti, & sit in actu secundo; imò idem à parte rei cum actu ipso secundo. Et quidem iste concursus solùm concomitans habet se per modum naturæ, non Gratiæ: nec quenquam aut excitat aut præparat ad actum, cùm sit intra Deum, nec communicetur nobis, nisi cùm iam elicimus actum secundum. Antequam debet esse excitatio, & præparatio. Vnde illud Augustini, *Deus vt velimus operatur incipiens.* Etsi verò Augustinus vtatur exemplo alimentorum, quæ tantùm sunt extrinsecus parata: & non iuuant nisi accepta: quo videtur significare auxilium tantùm paratum à Deo conditionatè, & concomitans, non excitans: atque adeo *sine quo non*, vti vocat. Non obstat veritati assertæ. Nam noluit Augustinus, vt omni ex parte simile esset exemplum. Sed eâ tan-

Lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 17.

tùm, quæ diſtinguebat Adiutorium inefficax ab efficaci: ídque patet ex eo quod non alimentis ſolùm comparauit, vti hoc loco, ſed alibi etiam luci, quæ adeſt præſens oculis, & re ipſa præſtatur: deinde, hîc cùm maximè dicit *ſine quo non:* etiam *per quod* Adiutorium iſtud vocat. *Poſſet permanere ſi vellet, quia non deerat adiutorium per quod poſſet.* Quo indicat aliquid amplius, quàm dixerat, cùm appellauit *ſine quo non.* Præterea: quia etiam Auguſtinus adiutorium *quo* beatitudini comparauit: cui ſi ſimile prorſus vellet eſſe illud auxilium, profectò neceſſitatem ineuitabilem induceret, quam non inuehit Gratia. Quare Auguſtinus tantùm voluit oſtendere: quid eſſet præciſè illud *ſine quo non*, & illud *quo*, vt appareret adiutorium *ſine quo non* non inducere ex ſe effectum: ſed expectare voluntatem: & adiutorium *quo* ex ſe effectum inferre, & mouere, & trahere voluntatem, vt vno poſito ſequeretur actus, poſito altero non ſequeretur. Nec tamen idcirco voluit, vt eâdem prorſus ratione, qua aut alimenta voluntati ſubſunt, aut beatitudo facit beatum, eâ præſto eſſet adiutorium *ſine quo non* voluntati, & adiutorium *quo* ſuum effectum efficeret in voluntate.

Lib. de Cor. & Grat. cap. 11.

Quartum: Ingens ſanè quæſtio eſt: & iuſta diſtinctionis huiuſce appendix. Quî ſtare libertas cum tanta virtute & efficaciâ Gratiæ poſſit? Ea verò in 1. quæſtione de libertate & neceſſitate peccandi profligata eſt. Sed hîc tamen breuiter expedienda. Igitur recolendo illud quod diximus: Aliud eſſe indifferens, aliud liberum: illud in æquilibrio & puncto indiuiſibili bilancis eſſe, nec capere inclinationes; iſtud habere latitudinem, & recipere magis & minus, & motiónes flexúſque pati: quæſtioni vtcumque fit ſatis. Nam eam eſſe difficilem vult Auguſtinus. At ego ex difficultate concordiæ cum libero arbitrio efficacem Gratiæ virtutem, vímque coniicio. Itaque alia erat libertatis ratio in ſtatu integro: alia in noſtro. Illa erat ſumma & tota libertas erecta, & celſa, in æquilibrio ſita. Eam ex illo cardine nullus vel Gratiæ pulſus, vel tentationis motus dimouebat. In noſtro tamen ſtatu ex illo quaſi culmine & arce libertatis aliquantum deiecta in malum inclinatur, & pendet, & vrgente mole concupiſcentiæ ad peccatum deflectit: vti eâ quæſtione explicauimus. Quare aliquid eſt amiſſum, aliquid retentum: amiſſum illud indifferens æquilibrij ad eligendum: retentum

liberum ad operandum; ita vt nunc aliquâ libertate, non totâ tamen libertate peccetur. Eâdem ratione: positâ Gratiâ intensâ & efficaci non est voluntas in summo apice libertatis indifferentis æquilibrij: sed inclinatur, & pendet in bonum, nec tamen amittit liberam agendi potestatem. Quare non totâ & integrâ libertate, id est non iustâ æquilibrij potestate, sed tractâ, & inflexâ, intra libertatem tamen, operatur. Quòd si cui id difficile videatur: perpendat is quæso mecum exemplum à contraria concupiscentia sumptum, & norit, quid in re Gratiæ sit dicendum. Incipiat leuiter tentari iuuenis primo & leui pulsu concupiscentiæ formæ excellentis: non admodum accenditur & excitatur ad fruendum voluntas, imò & in arce adhuc libertatis constituta ridet minas tentantis cupiditatis: augeatur paulatim amoris ardor, & crescat vis concupiscentiæ, iam aliquantulum inclinatur, & inflectitur voluntas ad consensum: & quodammodo extrahitur ab illo cardine libertatis: incendatur, & inflammetur magis, eò magis recedit ab illo apice, & accedit ad ruinam peccati, & minuitur vis ad resistendum. Donec tandem exardescente flammâ libidinis, & efferuescente æstu cupidi-

tatis voluntas agitur, & trahitur ad peccandum. Ecquis erit, qui neget crescente quibusdam quasi gradibus libidinis tentatione, descendere velut per gradus quosdam è suo illo in quo primùm steterat libertatis culmine voluntatem, & minùs ac minùs fieri liberam ad vincendam concupiscentiam : ac in ipso puncto quo consentit accensam & inflammatam, raptam & tractam, ac ægrè suî potentem, liberè tamen consentire? An non ille fateatur multò minori, quàm cùm cœpit tentari, libertate consentire, nec ob id tamen non liberè consentire, atque adeo peccare? Haud secus res habet in motione voluntatis ex Gratia ad bonum: quamuis enim accendatur, & moueatur, trahatúrque ab ea ad consentiendum, potest tamen liberè venire, & operari, atque adeo mereri: licèt non tantâ indifferentiæ libertate consentiat.

Et verò rem hanc insigni Augustini loco validè confirmemus, quo huiusce doctrinæ explicatio continetur. Eum verò mihi antè obieceram ex aduersariorum persona: nunc in patrocinium adduco, vt appareat qui illud nobis opponunt, eos quasi præuaricatores esse, cùm quo maximè refelli debent, eo nos impugnare conentur: quo item fiet, vt soluere postea opus

nõ ſit. Aduerſus Donatiſtas agens lib. 2. cont. Petilianum cap. 48. indignantes, vrgeri ac compelli ſe legum præceptis, ac pœnis ad eiurandam hæreſim, ac de vi quærentes, quòd quaſi detraheret libertati, ac naturam ipſam euerteret, qui cogeret: perinde quaſi non poſſet liberè velle qui cogeretur: & hac ratione Catholicos aggrederentur: *Cur vos liberum arbitrium vnicuique ſequi permittitis, cùm ipſe tamen Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus?* eorum & querelas refutat, & errorem refellit, adducto Gratiæ efficacis exemplo, cuius tanta in flectendo ſit arbitrio vis: illæſam tamen relinquit libertatem. Quare non mirum, ſi, qui minis & terrore legum adiguntur ad Fidem, nihil iis libertatis adimatur. Igitur, *Si tibi Petiliane proponam quæſtionem quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines quos in libero dimiſit arbitrio? fortaſſe eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, vt quis quod voluerit, eligat? & tamen vtrumque verum ſit: ſed intellectu hoc penetrare pauci valent. Si ergo fieri poteſt, vt quos in libero dimiſit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater, ſic fieri poteſt, vt ea quæ legum coërcitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Vbi

non id solùm obseruandum, quòd magna sit vis terroris exprimentis consensum, vt inuitus videatur operari à quo extorquetur : & tamen velit Augustinus similem huiusmodi, quasi violentiæ, quæ tamen intra libertatem est, Gratiæ virtutem fore. Sed cùm putarent Donatistæ terrore illo admoto libertatem lædi, tunc vtatur Augustinus exemplo Gratiæ efficacis : ac ita vtatur, vt à maiori ad minus argumentetur. Perinde quasi suadeat, si cum Gratiæ efficacia libertas potest consistere, multò magis posse cum terroris violentiâ componi. Huc enim redit argumentum : Quid miramini liberos esse, qui metu compulsi operantur : cùm & qui operantur à Gratia tracti, liberè operentur ? Quod si non intelligitis, quo modo cum eo terrore stet libertas, multò minùs percipietis quâ ratione cum tractione Gratiæ eadem libertas consistat. Cùm autem constet Gratiæ efficaciam non lædere libertatem, certiùs item constabit eandem terrore non violari. Vtcumque sit satis, opinor, virtus vtique Gratiæ efficacis exaggeratur, cùm minanti, terrenti, ac penè cogenti legi comparatur : cùm præsertim illata ab armis violentia sit maximè contraria liberæ operandi rationi.

Obiecta primo articulo contra discrimen Gratiarum argumenta soluuntur.

PRIMVM argumentum quatuor locis nitebatur. Primus erat ex cap. 9. lib. 12. de Ciuit. quo docemur, *Angelos operante Gratiæ adiutorio factos esse à Deo non à se meliores.* Is nihil aduersus traditam hucusque doctrinam continet. Mens enim Augustini est: monstrare, necessitatem Gratiæ & infirmitatem naturæ ad rectè viuendum, vt non modò initium boni in Angelis, verùm & incrementa in bono à Gratia fuerint. Itaque affirmat eos, siue cùm conditi recti & boni sunt, siue cùm perseuerando facti meliores, non à se ipsis, aut conditos bonos, aut factos meliores, sed vtrumque à Deo per Gratiam accepisse. Quare argumentum pro Gratia contra naturam militat: nec quicquam officit doctrinæ traditæ de differentiis Gratiarum. Id enim solùm euincit: & initium & incrementum boni esse donum Dei, non beneficium naturæ: quod in Angelis demonstratur.

Secundus: est extensio eiusdem, & confirmatio obiectionis, quæ tantùm addit: tam id de

Angelis quàm de hominibus verum esse. Vbi animaduertendum, in quo similes Augustinus vtrosque facit, in eo impares Angelos hominibus fecisse. Quòd ait: *Non ad solos sanctos homines pertinere: verùm etiam de sanctis Angelis posse dici.* Qui termini declarant tam proprium id hominum esse, vt opus fuerit monere: non ad solos homines *pertinere:* & cùm Angelis tribuitur, multò minus propriè in eos quadrare: vti ille modus loquendi insinuat: *Vtrum etiam de sanctis Angelis posse dici.* vbi illud *posse dici,* satis fluxam similitudinem inducit. Nam si ad Angelos æquè ac homines pertineret, auderet Augustinus & diceret: *etiam ad Angelos spectare,* non autem *posse dici.* qui modus dicendi satis indicat, multò id minùs propriè Angelis, quàm hominibus conuenire.

Duo alij loci ex Psal. & Confessionibus eandem doctrinam continent: ita vt locus Psalmi, primo de Ciuitate Dei loco: alter Confessionum, eius omnino confirmationi respondeat. cùm Psalmi: *Tibi debent* Angeli *quòd viuant, & quod iustè viuant.* non naturæ meritum, sed Gratiæ beneficium referat. Confessionum. *Ne putes hominem solum, sed Angelum etiam ad Dei Gratiam pertinere.* vtrumque Gratiæ san-

ſanctitatem ſuam, ſed non æquè Angelum, ac hominem debere ſignificet.

Secundum argumentum graue eſt, ac ſpecie quidem difficile: quod ex multis & perſpicuis locis demonſtrat perſeuerantiam bonorum Angelorum Dei donum fuiſſe, ita vt quòd hi præ malis perſeuerarint ſingularis Gratiæ beneficium fuerit: atque adeo maius adiutorium acceperint Angeli boni, quàm mali. Quo admiſſo, vti ſanè admitti debet, videtur tota noſtra ex Auguſtino doctrina corruere. Verùm illud non tam eſt validum ac apparet: nec nos ad illud ſoluendum effugio illo vtemur, quo quidam hactenus vſi ſunt authores, quos horror obiecti in auia temerè abduxit.

Igitur argumento perſpicuis id locis euincenti omnino concedendum: Angelos bonos, qui perſeuerarunt, ampliùs fuiſſe adiutos iis qui ceciderunt: quámque habuerunt perſeuerantiam, eam donum Dei fuiſſe. Negandum tamen eâdem Gratiæ ratione adiutos fuiſſe, atque adeò negandum illud maius adiutorium efficacis virtute ſuâ Gratiæ fuiſſe. Quod ſi obtinemus: vtrumque ſequitur, & ampliùs adiutos, perſeueraſſe, & non maioris auxilio Gratiæ perſeueraſſe. Id ſic explico. Potuit dari

aliquid à Deo quo Angeli perſeuerarent, quod non eſſet illa Gratiæ maior intenſio. Igitur non ſequitur ex eo quòd ſint ampliùs adiuti ad perſeuerandum, maiore virtute Gratiæ adiutos fuiſſe.

Videamus qua ratione citra maioris virtutem Gratiæ, ampliùs ſint ad perſeuerandum adiuti. Id tripliciter fieri potuit. Primò impediendo tentationes, partim per extrinſecam prouidentiam remouendo occaſiones, partim per intrinſecam aſſiſtentiam & cuſtodiam præoccupando quoſcumque motus, ac præueniendo ne exurgerent, efficiendo vt aut nullatenus, aut minùs certè tentarentur. Quâ ratione dicuntur à Ruperto Angeli *præuenti ne caderent*. Qui modus eſt negatiuus & præueniens. maximè tamen conferens ad perſeuerantiam: cuius ratione *ampliùs* dicuntur *adiuti* qui perſeuerarunt, quàm qui ceciderunt.

Rupert. lib. 1. de vict. Verbi Dei c. 17. & 30.

Secundò: Multiplicando pulſus Gratiæ, per frequentiores inſpirationes, non quòd hæ forēt magis intenſæ, ſed quòd forent plures; ita vt dici poſſet Gratia amplior extenſione, non maior intenſione. Etſi enim omnes incitationes leues & tenues eſſent, tamen ex illa frequentatione poſſent magis voluntatem accendere.

Qua ratione *amplius sunt adiuti* qui steterunt, quàm qui ceciderunt, cùm hi rariùs pulsati ex interruptione motuum Gratiæ potuerint faciliùs tentari, & frigescere, illi sæpiùs excitati minùs refrixerint, imò & ampliùs incaluerint.

Tertiò congruè & opportunè vocando, nullâ factâ inæqualitate vel in custodia, vel in Gratia: vt cùm re ipsa par & protectio, & inspiratio esset, tamen opportunitas esset diuersa: atque adeò hi opportunè vocati venirent, illi importunè vocati non venirent. Quod eâ ratione fieri potuit, qua clarissima, in qua educatus felicissimè fui, Iesuitarum schola vocationis suæ congruæ formam rationémque disponit. Estque hic modus maximè Augustino consentaneus, qui, vti infrà dicemus, scientiam conditionatam agnouit, quæ in huiusmodi statu integro ante lapsum eiusdem omninò rationis futura esset, cum ea quam Authores Societatis inducunt. Quare idem prorsus in huiusmodi Gratiæ auxiliis vsus futurus. Hoc modo. Deus cùm daturus esset omnibus Angelis æqualem Gratiam inefficacem & sufficientem: nouit intimè quid quæque voluntas, pro ratione circunstantiarum, & temporum actura esset:

ſi opportunè vel importunè vocaretur: vidítque vbi & quando ventura eſſet, & non ventura. Quod munus eſt ſcientiæ conditionatæ. Tum ex eâ notitiâ: quos voluit alios congruè vocauit, alios non vocauit, cùm tamen omnes re æqualiter vocaſſet: ita, vt ſolâ congruitate differrent, quòd boni opportunè ſint, cùm viſi ſunt reſponſuri fore, adiuti. Mali non congruè, cùm viſi ſunt non fore venturi, vocati. Vnde magis adiuti boni, quàm mali, non quia maius fuerit adiutorium Gratiæ: ſed quia fuerit opportunius & congruentius. Ex quo ſequitur perſeuerantiam Dei donum fuiſſe: & tamen perſeuerantes ſuo arbitrio ſtetiſſe, cùm ex parte Gratiæ non eſſet efficacia, ſed ex parte voluntatis opportunè vocatæ: quemadmodum, vt libertati conſulant, Ieſuitæ authores docent. Atque hanc ego eſſe exiſtimo veram & germanam ſoluendi argumenti rationem, qua fiet, vt omnia nobis à Ieſuitis Patribus obiecta ſoluantur, cùm ea ſint illis, vt ſuam tueantur ſententiam, diluenda: nec verebor, vt aduerſarij hac in re ſint mei, qui in difficiliori cauſâ iiſdem præſidiis vtantur: vnde mihi eos ſpero in facili & expedita verſanti patronos fore. Itaque non opus erit ſingulos contrà ad-

ductos ex Augustino locos explicare, cùm omnes potiùs faueant quàm aduersentur.

Superest tertium argumentum sumptum ex eadem ratione libertatis, in vtroque statu nihil omnino ob discrimen Gratiæ variante. Vnde colligitur eosdem motus Gratiæ esse, cùm æqualiter impulerint voluntatem. Huc omnes in eo contenti, qui non sunt pauci, collimant loci. Quibus vnicâ solutione respondendum. Itaque argumentum istud, si velit, cum vtraque Gratia stare arbitrij libertatem: annuimus, nam id nos magnoperè cum Augustino volumus. Si autem contendat, æqualem arbitrij libertatem fore in vtroque statu, & cum vtraque Gratia: negamus. Ita argumento concedimus positâ Gratiâ medicinæ efficaci, manere liberam in operando voluntatem, atque adeò in eius potestate esse *consentire, vel dissentire.* Imò sæpe hoc antea cum Augustino docuimus. Nec enim nos præuiam motionem prædeterminantis Gratiæ inuehimus, nec Gratiâ dicimus determinari voluntatem, sed moueri, & inclinari: vt libertati consulamus. Quare nihil hac ratione nobis nocere poterit argumentum: imò vsui futurum ad nostram de libertatis cum Gratia efficaci concordia senten-

tiam fore videmus. Quemadmodum ex his quæ proximè articulo ſuperiore ad calcem diximus manifeſtè apparet. Verùm enimuerò quoniam maius quiddam poſtulat argumentum, & conatur probare non ſolùm manere in nobis idoneam, & iuſtam libertatem, ſed omnino æqualem ei, quæ erat in ſtatu integro libertatem: atque adeo illibatam indifferentiam illam æquilibrij in fide bilancis pendulam: id ſanè omnino negandum cum Auguſtino, qui conſtanter docet à Gratia ſanæ, & erectæ naturæ non agi, non trahi, non inclinari voluntatem: cùm Gratia lapſæ infirmæque naturæ agat, moueat, trahat, inclinet (vti latè articulo 2. & 3. oſtendimus) voluntatem. Qua de re cùm & ibi propria non pauca, & in 1. quæſtione de libertate & neceſſitate peccandi apta & multa dixerimus, non eſt opus plura cumulare.

Vide ſuprà qu. 1. a. 4.

Duo tamen hîc erant loci expendendi, & explicandi, quibus illud præcipuè nititur argumentum. Sed ambo ſunt ſatis opinor, alibi & perpenſi, & expediti. Alter eſt ille de Gratia efficaci Patris trahentis ad Filium, quæ tamen cum libertate componitur: quem pro noſtra ſententia argumentando adduximus, quòd no-

Contra Petilian. lib. 2. cap. 84.

bis præſidio, non aduerſariis ſubſidio ſit: de quo neceſſe non eſt amplius quicquam dicere. Alter ille celebris de duobus hominibus æquè à concupiſcentia eximiæ pulchritudinis tentatis, ac ſe ex arbitrio inæqualiter habentibus: cui ſatis opinor, fecimus q. 1. de libert. & neceſſit. a. 3. quo loco vera & germana huiuſce argumenti ſolutio continetur. Quæ tamen, quòd longiùs poſita eſt, hîc breuiter inculcanda. Auguſtinum ibi agere de ratione libertatis ſecundùm ſe, vt aiunt, formali: & prout eſt quoddam additum naturæ, non ipſa natura, quæ ad vnum determinata non poteſt inter duo liberè verſari, & alterum è duobus eligere: itaque inquirit virtutem & poteſtatem voluntatis præſcindens à Gratia, ac diſcernens homines voluntatibus: quin vlteriùs pergat diſcernere voluntates Gratiâ: quæ erat alia ratio diſcernendi in ſuum locum reſeruanda. Nec id ſemel eo loco Auguſtinus efficit, ſed quoties cum Manichæis diſputabat, qui libero ſublato arbitrio ſolam naturam ſtatuebant: imò & rurſus contra Pelagium eandem reſpondendi rationem inſinuat: cùm interrogatus, *Cur homo eſſet ſine peccato?* Reddit: *Quia homines nolunt.* Sed quia Gratiæ contra hoſtem cauſam agebat,

Lib. 12. de Ciuit. cap. 6.

Lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. 5.

noluit in nuda voluntate ſiſtere : ſed vlteriùs procedens, & rationem diſcernendi voluntatem proximam inueſtigauit, & indicauit. Dum addidit. *Sed ſi ex me quæritur quare nolint? imus in longum.* Ac non oblitus quod agebat: libro de Prædeſtinatione Sanctorum iterum propoſitâ quæſtione, exactè omninò ac perfectè reſpondet. Inchoatè primùm ad id quod dixerat in lib. de Ciuit. accommodans ſententiam: *Credere, vel non credere eſſe in arbitrio voluntatis humanæ.* Deinde pleniùs: *Sed in electis præparatur voluntas à Domino.* mox exactiùs ſubſumptâ propoſitione inchoatâ: *Illi quia voluerunt, crediderunt, illi quia noluerunt, non crediderunt.* reſpondet: *Miſericordia igitur & iudicium in illis voluntatibus facta ſunt.* Tandem cumulatè. *Cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas, diſcernendùm eſt quid veniat de miſericordia, quid de iudicio.* Qua ratione non video quid eo loco ſententiæ noſtræ contrarium inſit: ac idcirco illo nos ad probandam libertatem voluntatis vſi fuimus. Quæ optimè cum efficacia Gratiæ Auguſtinianæ componitur: nec enim hæc determinat voluntatem, ſed accendit, & mouet, & inclinat: ita vt ea poſitâ, *conſentire adhuc, vel diſſentire in poteſtate voluntatis ſit.*

Lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 5.

Lib. de ſpir. & lit. c. 34.

VOX AVGVSTINI ORACVLIS REDDITA.

ETSI, cum animum ad scribendum appuli, nil minus, quàm de locis ac sententiis Augustini ad confirmandas theses cogitarem, idque iam in Dialogismo recepissem, tamen, cum affecto iam opere, amici, vt id facerem monuissent, & aliquantò plus otij nactus essem, operæpretium visum fuit, quæ satis essent ad faciendam fidem illa afferre; ac dubitanti persuadere non à me temerè Augustinum citari, cùm præsertim quidam loci errore librariorum minus adductis thesibus respondissent. Non ero tamen multus: breuiter aptéqꝫ citem: delibare vt videar flores, non fructus decerperé, quos in opportunum tempus reseruo, cùm latiùs sint ista, enucleatiúsque tractanda. Imò vt gratiam apud Scholasticos Doctores ineam, quæ iis duriora videri solent, quòd eorum sint insolentes, conabor interdum & rationibus emollire, & aliorum Patrum & Scholasticorum locis, vnde petantur sententiæ, confirmare.

I. THESIS.

Deus non incarnasset nisi Adam peccasset.

D. Thomas 3. p. q. 1. a. 3. Caiet. ib. & 4. cont. Gent. c. 55. Ferrar. ib. & in 3. d. 1. q. 1. a. 3.

Medina in 3. p. q. 1. a. 3. Vasq. d. 10. & Raguza d. 28. & Cardinal. Lugo d. 7. de Incarn. & alij quos citant, eiusdem sunt cum Augustino sententiæ.

IN Augustino expressa. Serm. 8. de Verb. Domini. Sic. Concisè. Sed iustâ sententiâ. *Quare venit in mundum? Peccatores saluos facere. Alia causa non fuit: quare veniret in mundum.* Et Serm. 9. de verb. Apost. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi Peccatores saluos facere.*

August. serm. 8. de verb. Dom.

Serm. 9. de verb. Apost.

II. THESIS.

Omnis Gratia Christi est medicina Peccati, tum Præteriti, quod admittebant Pelagiani, tum futuri, quod negabant.

Hæc est perspicua. Vide lib. 2. oper. imperf. cont. Iulian. &

PErspicua Augustini est. lib. de Nat. & Grat. c. 31. *Iste, id*

August. lib. de nat. & grat. c. 31.

est, Pelagius, *medicinale Saluatoris auxilium tantùm in hoc ponit, vt ignoscat commissa præterita, non vt adiuuet ad futura vitanda. Hic perniciosissime fallitur.* Et c. 26. *Sanat Deus non solùm vt deleat, quod peccauimus; sed vt præstet etiam ne peccemus.* Dixerat proximè, *Per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum.*

Serm. 2. de ve.b. Apost. c. 6.

Ibid. c. 26.

III. THESIS.

Gratia Angelorum & Adami Innocentis non fuit Gratia Christi.

Augustin. lib. de Corr. & Grat. c. 11.

Vide Authores proximè citatos.

PRæterquam quam quod sequatur ex duabus. 1. & 2. Manifestè traditur ab Augustino lib. de Cor. & Grat. c. 11. *Ille*, id est Adam, *in illis bonis Christi morti non eguit: istos*, id est homines lapsos, *a reatu, & hæreditario & proprio illius Agni sanguis absoluit.* Et lib. de Dono Perseu.

L. de Don. Perseuer. c. 7.

c. 7. *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem & vt non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cum poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt; & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. Post casum autem hominis, nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat*

cedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur; ac per hoc sicut operatur, vt accedamus; sic operatur, ne discedamus. Et infrà declarans eum esse Christum. *In Christo enim sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur.*

Ibi Iem.

IV. THESIS.

Christus causa meritoria & exemplaris Prædestinationis nostræ.

APertè quoad vtramque partem in Augustino habetur. Causa Meritoria lib. de Nat. & Grat. c. 3. *Hæc autem Christi Gratia sine qua, nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur. Sed gratis datur: propter quod Gratia nominatur.*

Hanc nemo non docet.

August. lib. de Nat. & Grat. c. 3.

Lib. de Dono Perseuer. c. 7. præclarè.

Iustificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius. Exemplaris lib. de Prædestin. Sanct. c. 15. Ex quo ego quòd illustris maximè ac splendidus est faces decutio. *Est præclarißimum lumen Prædestinationis & Gratiæ ipse Saluator, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui hoc vt esset, quibus tandem suis, vel operum, vel Fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo est comparauit?* Deinde. *Appareat nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundum vniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus. De ipso Spiritu est hic renatus, de quo ille est natus.* Paulò post. *Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus. Humana hic merita conticescant: quæ pe-*

Lib. de Prædest. Sanct.

Lege Theodor. Smising. aptissime ista tractantem. tract 3. d. 6 à n. 388. & Ruisium Montoyam. de Præd. & Reprobat. d. 13. sect. 5.

Vide lib. Cor. & Gra. c. 11.

Lib. de Perseuer. Dono c. vltimo aptissimè.

rierunt per Adam; & regnet, quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum, vnicum Dei Filium Dominum nostrum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita illius generationis inuenerit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Nec enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu & Virgine nasceretur. Sic & nobis vt ex aqua & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum. Tandem. *Ille nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum: ille facit in hominibus principium Fidei & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem principem Fidei, & perfectorem Iesum.* O Faces! ó Flammæ! ô Incendia! Vror omnino; sed Diuinis ignib⁹ vror. Ignosce Lector. Ecquis enim *Temperet à facibus?*

Vide lib. de Præ-destin. Sanct. c. 12.

Quæ ad Prædestinationem Principia, Theséſque pertinent vno eodémque doctrinæ vinculo continentur. Breuiter tamen qui reſpondent adhibendi loci.

V. THESIS.

1. Pars VII. & VIII.

DE gratuita & citra merita, imo intra demerita Prædeſtinatione ſic Auguſtinus lib. de Prædeſtin. Sanct. c. 8. *Cur non omnibus detur? fidelem mouere non debet, qui credit ex vno iſſe omnes in damnationem ſine dubitatione iuſtiſſimam: ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur. Vnde conſtat magnam eſſe gratiam quod plurimi liberantur, & quid ſibi debetur, in eis qui non liberantur agnoſcunt, vt qui glorientur, non in ſuis meritis, quæ paria vident eſſe damnatis, ſed in Domino glorientur.* Et de Dono Perſeuer. c. 11. *Inue-*

Hæc eſt Scoti doctrina in 1. d. 41. q. vn. & in 3. d. 7. q. 3. a. 1. & d. 32. q. vn. a. 3. & in Report. q. 4. & Lyræ. in Comment. ad Roman. 9.

Auguſtin. lib. de Prædeſt. Sanct. c. 8

Traditur à Didaco Ruiſio Montoya lib. de Præd. & Reprob. à diſp. 7. ad 12. & Smiſing. tract. 3. d. 6. tota q. 8.

Lib. de Dono Perseuer. c. 11.

Inuestigabilis est misericordia, qua cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis; & inuestigabilis veritas, qua quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur plerumque communibus: Sicut duorum geminorum quorum vnus assumitur, alius relinquitur, dispar est exitus, merita communia. Et ibid. c. 24. loquens de Prædestinatione. *Ex iniustis facit iustos sine vllo merito præcedentis voluntatis ipsorum: vt ille*, id est Christus, *caput: hi membra sint eius, &c.* Lege in hanc rem proximam thesium probationem.

Et ibid. c. 12. & ult.

Ib. c. 24.

Consentit Suarez lib. 3. de Auxil. c. 3. & 1. p. l. 1. & 2. de Prædest. Bellarm. tom. 3. lib. 2. de Gratia c. 9. & c. 15. & 16.

Vide infra D. Gregorium & D. Bernardum.

Ita D. Thomas. 1. p. q. 23. a. 4. & Aluar. de aux. d. 37. lib 5.

VI. THESIS.

2. Pars. VII. 11. & XII.

DE *discretione à Reprobis, de horum derelictione iustâ in massa damnatâ.* Augustinus præclarè. lib. de Cor. & Grat. c. 7. *Discernuntur*, id est Prædestinati,

Augustin. lib. de Corr. & Grat. c. 7.

Sequuntur August. discipuli. Prosper ad Excerp. Genuens. resp. 6. & 8. & ad Ruffin. & lib. 1. de vocat. Gent. c. 17. & lib. Sent. ex August. sent. 307.

non meritis suis, sed per Gratiam mediatoris. Itaque cum audimus. Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? ab illa perditionis massa quæ facta est per primum Adam debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quòd hoc donum quisquis habet, quod Gratiâ Saluatoris accepit. Ibidem paulo post: *Qui vero perseueraturi non sunt, ac sic à Fide Christiana, & conuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat: procul dubio, nec illo tempore quo benè piéque viuunt in isto numero,* id est Prædestinatorum *computandi non sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientiâ Dei & Prædestinatione discreti: & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.*

Fulgentius lib. de Incarnat. & Grat. c. 21. & lib. 1. ad Monym. c. 7. & 28. & præcipuè c. 26.

Ibid.

Beda in Collect. Roman. 9. ad illud *Quod si Deus volens ostendere iram.*

Anselmus Romar. 9. ad illud *Iacob dilexi.* Et ad illud *Miserebor, &c.*

Et Epist. 1 ad Valentin. *Quis enim te discernit? Apostolus ideo dixit; quia de massa illius perdi-*

Epist. 1. ad Valent.

Author. Hypognost. l. 3. ad med.

tionis, quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, vt eum faciat vas in honorem, non in contumeliam nisi, Deus. Et lib. de Nat. & Grat. c. 5. *Vniuersa igitur massa pœnas debet: & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non iniustè procul dubio redderetur. Qui verò inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur.* Et lib. 4. contr. Iulian. c. 8. *Nos autem cum vitiatæ originis mala merita esse dicamus, gratiâ dicimus intrare paruulum in regnum Dei, quoniam bonus est Deus, & alium merito non intrare, quoniam iustus est Deus: & in neutro esse fatum, quoniam quod vult facit Deus. Sed cum sciamus ab eo, cui Misericordiam & iudicium fideli voce cantamus, istum secundum iudicium damnari, illum secundum misericordiam liberari, cur istum potius; quàm illum damnet, aut liberet, nos qui sumus,*

Lib. de Nat. & Grat. c. 5.

Vide citatos proxime Authores, & Aluarez l. 5. d. 37. Sotum in cap. 9. ad Roman.

Lib. 4. contr. Iulian. c. 8.

Vide Ep. 105. & 106 Et lib. de Dono Perseuer. c. 14.

qui respondeamus Deo? Deinde. *Ac per hoc nec damnatus ex debito de supplicio iustè quæritur; nec liberatus gratis de merito superbè gloriatur: sed potius humiliter gratias agit, quando in illo à quo debitum exigitur, quid in eadem causa sibi donetur, agnoscit.*

Et lib. 2. contr. 2. Epist. Pelag. c. 7. & lib. 4. c. 6. & lib. 1. ad Simpl. q. 2 & lib. de Prædest. Sanct. c. 9.

IX. THESIS.

Prædestinationis effectum media Gratia consecuta, & ex eo efficacia destinata.

Augustini profectò est. lib. de Corr. & Grat. c. 7. *Quicumque ergo ab illa originali damnatione istâ diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Euangelium: & cum audiunt credunt, & in Fide quæ per dilectionem operatur vsque in finem perseuerant: & si quando exorbitant correpti emendantur; & quidam eorum*

Traditur à D. Thoma 1 p. q. 23. a. 7 & ibi Caiet. Banéz Zumel & teste Aluarez omnes Thomistæ. qui eandem tenet. lib. 5. de auxl. Diuin. Grat. d. 41.

eorum, etsi ab hominibus non corripiuntur, in viam quam reliquerant, redeunt, & nonnulli acceptâ gratiâ in qualibet ætate periculis huius vitæ mortis celeritate subtrahuntur: Et c. 9. *Hi Christo intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus. Et ideo Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam.* Æquè sunt illustria, quæ habet lib. de Præd. Sanct. c. 16. 17. & 18. vsque ad finem libri. At illud cap. 10. omnino expressum. *Prædestinatio Dei, quæ in bono est, Gratiæ est, vt dixi, præparatio: Gratia vero est ipsius Prædestinationis effectus.*

Ibid. c. 9.

Lib. de Prædest. Sanct. c. 10.

X. THESIS.

Prædestinatio propriè Propositum; id est Actus voluntatis.

Omnino scholastica est: nec magni interest, vtrum tu sentias.

HAnc non tam ac reliquas expressit Augustinus. Nam lib. de Prædest. Sanct. ita inuoluit cum Præscientia Prædestinationem, vt eadem sit ratio Prædestinandi, quæ præsciendi. Hinc c. 10. *Prædestinatione Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus.* Et c. 17. *Electi sunt ante mundi constitutionem eâ Prædestinatione in qua Deus futura sua facta præsciuit.* Et lib. de Dono Perseu. c. 14. *Hæc*, inquit, *Prædestinatio Sanctorum, nihil aliud est, quam præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei. Quibus certissimè liberantur.* Et c. 17. *In sua Deus quæ falli, mutaríque non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quicquam*

Augustin. lib. de Prædest. Sanct. c. 10. & 17.

Lib. de Dono Perseuer. c. 14. & 17.

est prædestinare. Propterea diximus in conclusione Prædestinationem & supponere, & inuoluere præscientiam, si solum eius negotium spectetur. Quemadmodum etiam Gratiæ præparationem comprehendit: Nam eodem c. 10. lib. de Prædest. Sanctor. *Quocirca prædestinatio,* inquit, *Dei, quæ in bono est, Gratiæ est, vt, dixi præparatio.* Ex quo apparet: non de ipso actu prædestinandi præcisè, sed de toto Prædestinationis negotio Augustinum locutum. Cum coniunxerit *Præscientiam, & præparationem: & dispositionem.* Verum vbi de proprio actu prædestinandi agit: *Electionem ex proposito, secundum propositum:* & *in beneplacito; secundum beneplacitum voluntatis suæ* appellat. Ita lib. de Præd. Sanct. c. 17. & 18. & lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 9. Et lib. de Dono Perseu. c. 9. & lib. 5. contra Iulian. c. 3. & lib. 2. ad Bonif.

Lib. de Prædest. Sanctor. c. 10.

Ib. c. 18.

Ibid.

c. 7. & vbique. Vnde Prædestinationem *mysterium voluntatis Dei : & Consilium voluntatis Dei vocat.* lib. de Prædestin. Sanct. c. 18. ibique Prædestinationem voluntati assignat : tum recto argumento, tum obliquo : constituens voluntatem diuinam, & excludens humanam. Quo docuit Prædestinationem rem omnino electionis & voluntatis esse. *Secundum placitum,* inquit, *voluntatis suæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis nostræ.* Et deinde: *In hoc mysterio voluntatis suæ posuit diuitias gratiæ suæ, secundum bonam voluntatem suam, non secundum nostram.* Ibidem apertè distinguit Prędestinationem à Præscientia, dum meritorum præuisionem excludens docet: Deum non elegisse ex præscientia; quo aperuit aliud esse præscire, aliud eligere. Non minus firmum est à discretione tra-

Lib. de Prædest. Sanctor. c. 18.

Ibidem.

ctum

ctum argumentum : nam Deus eligendo, discernendo Prædestinatos à Reprobis, non pręscientiâ, sed voluntate vsus fuit, cum omnes in massa damnatâ præuidisset, ac nullum in iis discrimen prænosset vt hos præ illis eligeret. Quare electio voluntatis fuit, non præscientię, quę cùm non discerneret merita discretionem voluntati remisit. Itaque cum Prædestinatio sit electio vnius præ alio,& præscientia pares omnes proponeret: non potuit esse Prædestinatio, quòd non esset pręelectio. Fuit vero Prædestinatio, voluntatis, quòd eius fuit vnius ab alio ex misericordia, & amore discretio. Vnde Augustinus totam rationem prędestinandi;voluntati adscribit,cum alibi, tum libro 2. contra 2. Epist. Pelagian. c. 7. versans parabolam operarum in vinea : *Si quisþiam duos habeat debitores. Et alteri vellet dimittere debitum, alterum*

Lib. 2. cont. 2. Epist. Pelag. c.7

exigere, cui vult donat. Et posteà. *An non licet mihi, quòd volo facere? Nempe hic tota iustitia est: Hoc volo.* Mox: *Sic secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur:* Tandem. *Ergo*, inquit ex Paulo; *cui vult miseretur, & quem vult obdurat.* Hæc pro thesi confirmanda sint satis. De reliquis cum aliis contrà sentientibus & aliàs disputaui, & rursum nactus occasionem commodiùs disputabo. Ibid.

THESIS XI. & XII.

ad VI. pertinent, & ibi satis confirmatæ.

THESIS XIII.

PRadestinationis ad certam gloriam & Reprobationis ad certam pœnam certorum meritorum & demeritorum prauisio causa extitit.

Hæc in Augustino, opinor manifesta, imo & eius intelligentia ad concilianda nonnulla eius loca prorsus necessaria. Itaque prima Electio ex misericordia ad gloriam gratuita: ex qua cùm media Gratiæ destinata sint, orta fuit noua electio & noua item discretio: nam prima tantùm fuit derelictio: secundùm quam Electis certa Gloriæ portio pro meritis assignata, quemadmodum Reprobis certa, pro ratione culparum, pœna constituta. Id sic gradatim probatur. Augustinus primam electionem parem in omnibus & eandem Pręd estinatis agnoscit: quę cum diuersis eorum & statibus, & meritis componitur. Hanc exhibet lib. de Dono Perseu. c.22. numeratis enim variis Prędestinatorum statibus: *Accipient*, inquit, *eandem gratiam qua electi velint esse, & sint*. Idem docet lib. de Cor. & Grat. c.7. vbi cùm

Hanc nemo Theologus negat. Vide quotquot de Præd est. & Reprobatione agunt.

Præcipuè Suarez Vasq. Molin. Valent. Bellarmin. Hence. Aluarez. Pennotum Smising. Montoyam.

Lib. de Dono Perseuer. c. 22.

retuliſſet non paucas vocationum differentias, ex qua alia ſubinde atque alia merita exiſterent: concludit: *Gratia eſt illis omne meritum. Non enim,* addit, *ſic ſunt vocati vt non ſint electi. Sed quòd ſecundum propoſitum vocati ſunt: profecto per electionem Gratiæ,* vt Prędeſtinatio intelligatur.

Lib. de Corr. & Grat. c. 7.

Deinde, diuerſis meritis diuerſos reſpondere Glorię gradus, perſpicuè docet lib. de Grat. & lib. arbitr. vbi ſic. *Sicut Deus partitus eſt menſuram Fidei, quia vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic: & ipſa eſt gratia, ſed inſuper accipimus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur.* Hanc idcirco mercedem vocat, quòd meritis reſpondeat. *Hæc autem quæ datur, quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro Gratia tanquam merces pro iuſtitia, vt verum ſit quoniam verum eſt: quia reddit*

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 8. & 9.

vnicuique secundum opera eius. Quare ibidem Prædestinatorum Gloriam, Misericordiæ, & iustitiæ Coronam appellat. Misericordiæ ob primam, omnino gratuitam, Iustitiç ob secundam meritis redditam.

Fulgent. l. 1. ad Mony. Smising. tr. 3. d. 6. q. 5. à n. 214.

De Reprobatione clarior apud August. mens est. Vnico tantum loco, sed illustri maximè, vtor, qui rem continet. Is esto c. 13. lib. de Corr. & Grat. *Hi qui non pertinent ad istum felicissimum numerum pro meritis iustissimè iudicantur: aut enim iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est generatione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum, liberum iustitiæ, peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas noxias cupiditates alij magis, alij minus, sed omnes mali, & pro ipsa diuer-*

Lib. de Corr. & Grat.

ſitate, diuerſis ſupplicys iudicandi: Itaque quos in derelictione æquales Auguſtinus reliquerat, in Reprobatione inæquales effecit.

Hinc difficiles quidam loci explicantur, quos quidam minùs in Auguſtino verſati implicarunt, & corruperunt. Capitalis eſt ille lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Non ergo ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio, id eſt non quia Deus inuenit bona opera in hominibus quæ eligit, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius, ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum Cælorum. Nam, niſi eſſet electio, non eſſent electi, nec rectè diceretur: Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* Cuius loci genuinus eſt ſenſus: Deum non elegiſſe homines ex meritis propriis: ita vt merita eſſent cauſa voluntatis eligendi ad iuſtificationem: quod volebant Pelagiani: initium me-

Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

Vide Aluarez de Auxil. l. 5. d. 41. & Zumel. in vat.

riti ante iuſtificationem ponentes: cui Iuſtificationis Gratia deberetur: quos Auguſtinus refutat dicens: Propoſitum iuſtificandi in Deo non eſſe ex vi meritorum, ob quæ Deus hos potius quàm illos iuſtificandos eligent: ſed contrà merita omnia, & iuſtificationem ipſam naſci ex Deo proponente donare Prædeſtinatis: in quibus ideo merita futura erant, ad gloriam conſequendam, quoniam Deus illos gratis iuſtificaturus erat. Horum autem iuſtificatorum electionem ad gloriam fore, quòd eam ſuis iam meritis exigerent: atque adeo præ aliis non merentibus eligerentur ad gloriam iam ab iis diſtantes per merita, qui antea non diſtabant ante merita, cum in eadem eſſent maſſa diſcreti. Itaque Prædeſtinatos ante propoſitum ex ſe nihil omnino ab derelictis diſtare, cùm adhuc merita non haberent. Sed ſola Dei

Suar. l. 3. de Prædeſt. c. 7.

misericordiâ esse discretos: at cum ex proposito Dei miserentis iis merita & iustificatio destinarentur; tunc incepisse eos distare ab aliis qui derelicti fuerant; ac proinde eligi præ illis ad gloriam, quæ esset merces & præmium meritorum. Augustinus igitur distinxit inter voluntatem iustificandi, & glorificandi. Primam dixit Propositum: secundam Electionem. Nam noluit hîc Electionem appellare, nisi quæ rationem & causam haberet eligendi: & meritis niteretur. Vnde, *Nemo enim*, ait, *eligitur nisi distans ab illo qui reiicitur.* Quod quia in propositum non quadrabat, cuius nulla esse ratio in eligendis poterat: maluit eo nomine appellare, quòd vim quandam liberæ voluntatis significat. Perinde ac diceret: Proposuit, statuit, voluit dare quod, quomodo, quibus placuit: vt inueniret quos posset eligere.

Hanc

Hanc alibi mentem expreſſit lib. de Præd. Sanct. c. 17. *Quos*, inquit, *prædeſtinauit, ipſos & vocauit: illâ ſcilicet vocatione ſecundum propoſitum: non ergo alios, ſed quos prædeſtinauit, ipſos & vocauit: nec alios, ſed quos vocauit, ipſos & iuſtificauit: nec alios, ſed quos prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, ipſos & glorificauit: illo vtique fine, qui non habet finem.* En gradus totius negotij Prædeſtinandi: Quorum primus eſt *Prædeſtinauit.* Secundus *vocauit:* Tertius *iuſtificauit.* Vltimus *glorificauit.* Primum eſt Propoſitum. Poſtremum Electio apud Auguſtinum ad Simplicianum. Cur autem maluerit diſtinguere duo iſta: Propoſitum ante omne meritum, & Electionem poſt merita iam proximè diximus. Nunc addimus rectè id feciſſe, cùm prima illa Prædeſtinationis pars liberatio propriè fuerit, ac diſcre-

Theodor. Smiſing. tr. 3. d. 6. q. 8. nu. 608. contra Eſtium & Bellarminum.

ſo à derelictis: quanquam ex affectu dandi gloriam, veluti inchoatè. Quam, quia Deus ſine meritis donare nolebat, opus deinde erat gratiam donare, vt merita exiſterent. Quibus merces & prçmium redderetur. Quare hoc loco theſis noſtra magnoperè confirmatur: nam prima illa Prçdeſtinandi ratio ante omnia merita, imo intra demerita facta, directio ad Gloriam fuit; ſed quòd ante præuiſam iuſtificationem fuit, ad certam Gloriam eſſe non potuit, cuius dum certa merita non conſtabant, nec eius menſura apparebat. Apparuit autem cum prœmia meritis reſponderunt. Qua item ratione derelictio prima, ſeu reprobatio negatiua (vti loquuntur ſcholaſtici) certam damnationem minimè continebat; quç tamen eſt poſtea certis prçuiſis demeritis & peccatis, quç Reprobi admiſſuri erant, conſe-

cuta. Hac ratione alij quidam obſcuriores loci vti monui intelliguntur ; quos nunc adducere properantes non poſſumus.

THESIS XIV.

Deum non habuiſſe voluntatem generalem inefficacem erga omnes homines.

HÆC, quæ cum vltimâ parte 15. & cum 58. 59. 61. & 62. nexa omnino & cohærens eſt. Negat Deum habuiſſe voluntatem generalem inefficacem ſaluandi omnes. Ex quo ſequitur non omnibus Gratiam donare voluiſſe ; quare multos cùm infantes, tum adultos eâ omnino caruiſſe : quæ ſex illis proximè citatis theſibus doctrina continetur. Vix aliam tu in Auguſtino maiore luce perfuſam, maiore vi probatam pluribus & argumentis rationum, & authoritatum mo-

Cum Auguſtino hæc In reſentiunt. Proſper in Epiſt. ad Ruffin. Fulgent. lib. de Incarnat. & Grat. c. 29. Inſinuat Diuus Gregorius Magnus lib. 6. Moral. c. 8. adducta ſimili loco. Vide infra in Diuo Gregorio. art. 4. in fine.

mentis confirmatam inuenias. Quod eò fortius agit, quò Pelagiani oppoſitam ſententiam vehementius vindicabant, & obſtinatius defendebant. Quippe qui Gratiam naturæ ſubiicere, & addicere ſtatuebant: vt ſpecie pię ergà omnes Prouidētię, ęquitatem inducerent. Eoque fuco iuſtitiæ nomen obtegerent: tandémque illud extorquerent: quę nemini homini negaretur, eam humanæ prorſus naturæ deberi: atque adeo non eſſe gratiam, quæ deberetur. Itaque ex pietate, prouidentiam; ex prouidentia, æquitatem; ex æquitate iuſtitiam intulerunt, quo tota ratio Gratiæ tolleretur. Acuti quidem mortales, ſed diuino acutior ingenio Auguſtinus: à quo cùm eorum inſidioſa ratiocinatio eſſet perſpecta detraxit perſonam, ſpeciem abſtulit: ac errorem detexit: ac fuccato pietatis gladio peti Diuinæ Gratiæ viſcera com-

Vide in hunc locum Pauli Bedam & Remigium & Anſelm. & D. Thomam. Hic in 4. d. 6. q. 1. a. 1. Auguſtino penè aſſentitur.

Voluntas ſaluandi omnes generaliter negator à Theodoro Smiſing. tract. 3. d. 6. q. 12. n. 769. & à Suar. de Incarn. d. 41. ſ. 4.

mon-

monſtrauit. Occupauit acumine, conuicit rationibus, obruit exemplis. Igitur Pelagiani cùm argumentis non poſſent, locis Sacrarum Scripturarum ſe munierunt. Duos præcipuè opponere, intrudere, celebrare: alterum Ioannis: alterum Pauli. Ex Ioanne illud: *Illuminat omnem hominem: venientem in hunc mundum.* Ex Paulo illud in rem aptiùs *Deus vult omnes homines ſaluos fieri* vſurpabant. Ex illuminatione diffundi in omnes radios Gratiæ, Ex voluntate ſaluandi donari omnibus media quæ ſufficerent, inferebant. Auguſtinus Gratiæ vindex, & veritatem Scripturæ vindicauit. Negauit eum locorum, quem Pelagiani aſtruerent, ſenſum eſſe. Monuit illud vocabulum *Omnes*: non omninò generaliter accipiendum, ſed ſtriĉtiùs ſumendum ad rem qua de agebatur accommodatè. Idque aptiſſimis ex eadem Scriptura de-

Debet item negari à Vaſquez qui nulla omnino auxilia ſufficientia infantibus ſine baptiſmo decedentibus dari contendit. 1.p. d.96. c.2.

Ioan. 1.

1. ad Timotheum 2.

Lege de hac voluntate ſaluandi omnes Suar. de Incarnat. d. 4. ſ. 54. & Aluarez l. 5. d. 33.

H

ductis testimoniis comprobauit: in quibus *Omnes* generaliter non posset intelligi: quòd is cum veritate sensus pugnaret. Docuit eam Dei voluntatem nullam fuisse, quòd non esset debita, quòd inanis, & ludicra si esset, futura foret. Cuius nulla in nonnullos beneficia essent, eam nullam omnino circa eosdem voluntatem fuisse. Id inuictè adducto infantium sine baptismo in maternis vteris decedentium probabat: quibus nulla prorsus ratione consuli poterat, omni aditu ad baptisma conferendum præciso. Quî ergo illa voluntas saluandi sustineri poterat, quæ cùm pia prouidentia esse deberet, proindéque ab eâ rerum causæ ita disponendæ essent, vt ad illos paruulos peruenire media salutis possent: causarum ita seriem disposuerat, vt earum explicari exitus ad salutem infantium non posset? Ex quo non

Ita sentit Gregor. Ariminens. in 1. d. 46. q. 1. post med.
Vide Orosium in Apol. pro libert. post med.

modò non iusta & pia illa voluntas futura erat; sed contrà ludicra, & fallax, cùm, quæ media essent ad salutem omnium instituta, ita in causarum inuoluta sinubus contineret, ac implicaret; vt explicari inde ad vsum salutarem minimè possent: ita ne in vniuersitate quidem serieque causarum iis infantibus vlla ratione prouisum, quibus communia media ex earum cursu interclusa, negabantur. Ergo huiusmodi voluntatem Augustinus remouit: locúmque aliter, id est quatuor modis, explicauit. Qui, cuiusmodi sint non est huius otij dicere. Tantum est locos, vbi negarit de omnibus prorsus intelligi, qui sunt omnes expressi, indicare: qui, quòd nullo, opinor, excepto ad theses adhibeantur; vno vel altero adducto conquiescam. lib. 4. cont. Iulian. c. 8. sic: *Sed ponis apostolicum testimonium, & ab eo dicis pulsantibus aperiri,*

Inclinat Sotus l. 2 de Nat. & Grat. c. 10. ad fin. & Driedo de captiu. & redempt. gen. hum. tr. 5. c. 3. conc. 8. Nec re ipsa dissentit Ruisius Montoya lib. de Prædestin. & Reprobat. d. 49. s. 1. & 2. & 3.

Omnes adducit & probat Aluarez li. 5. d. 33.

Vide Theses.

Augustin. li. 4. cont. Iulian. c. 8.

qui omnes homines vult ſaluos fieri; & in agnitionem veritatis venire: vt videlicet intelligamus docentibus vobis, ideoq́ non omnes ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere; cùm Deus velit dare: nolunt quærere, cùm velit oſtendere: nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire. Sed hunc ſenſum veſtrum infantes illi ipſâ ſuâ taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulſant; imò etiam cum baptizantur, reclamant, reſpuunt, reluctantur; & accipiunt tamen & inueniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, vbi ſit eis æternitatis ſalus, & agnitio veritatis; longè pluribus infantibus in iſtam gratiam non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non poteſt, volui, & noluiſtis, quia ſi voluiſſet, quis eorum qui nondum habent voluntatis ſuæ arbitrium, voluntati eius

Ita Vaſqu. 1. p. d. 96. nec admodum diſſentit. Ruis. Montoya. d. 49. ſ. 3.

eius omnipotentissimæ restitisset? cur ergo non sic accipimus quod dictum est, qui omnes vult homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: quomodo & illud accipimus, quod idem dixit Apostolus, per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ? hos enim omnes vult Deus saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, in quos omnes per vnius iustificationem gratia peruenit ad iustificationem vitæ, ne dicatur nobis, si Deus vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt: cur tot milia paruulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, vbi certa est agnitio veritatis? nunquid aut homines non sunt, vt non pertineant ad id quod dictum est, omnes homines? aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle, seu nolle ista nouerunt. Epist.

D. Gregor. clarissime hanc Augustini sententiam tradit l. 27. moral. c. 2.

107. ad Vitalem. *Manifestum*, inquit, *est eos qui huic resistunt tam perspicua veritati* (id est multos carere gratiâ) *non intelligere omnino quâ locutione sit dictum, quòd Omnes homines velit Deus saluos fieri, cum tam multi salui non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus noluit. Quod sine caligine manifestatur in paruulis.* Itaque Augustinus acutè vidit: Deum quibus nôn prouidit ad salutem consequendam expedita remedia, eos potiùs noluisse, quam voluisse saluari. Quo loco & aliis ex lib. de Dono Perseu. c. 14. & l. 4. contr. Iul. c. 8. & in Enchir. c. 97. probatur thesis 59. de infantibus. De adultis vero, quibusdam docet idem Augustinus. lib. de Dono Perseuer. c. 11. *Paruulis quibus vult etiam non volentibus, & currentibus subuenit: & Maioribus etiam his, quos preuidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus nō vult*

Ep. 107. ad Vital.

Consentit Prosper. lib. de Ingrat. c. 30. & 31. & l. 1. de vocat. Gent. c. 16. & 22. & lib. 2. c. 20. & 21.

Lib. de Dono Perseuer. c. 11.

ſubuenire, non ſubuenit. Et lib. 4. contr. Iulian. c. 8. *Vtrique profundum ſit, cur & in maioribus & in minoribus Deus, velit alteri, & nolit alteri ſubuenire.* Et lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 5. loquens de adultis: *Cur autem,* inquit, *illum adiuuet, illum non adiuuet, illum tantùm, illum non tantùm, iſtum illo, illum iſto modo: penes ipſum eſt, & æquitatis tam ſecreta ratio, & excellentia poteſtatis.* Hac ratione probatur item vltima pars concluſionis 15. & illâ Auguſtini ſententiâ lib. de Dono Perſeu. c. 12. *Qui hominibus dat gratiam quibus vult, non dat quibus non vult.* Quod ad omnes tum paruulos, tum adultos pertinet.

Lib. 4. cont. Iulian. c. 8.

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. & rem. c. 5.

Lib. de Dono Perſeuer. c. 12.

THESIS XV.

ALiæ duæ partes Theſis xv. expediendæ. Prima de voluntate efficaci erga electos patet. Secunda de voluntate ineſ-

ficaci circa aliquot Reprobos, quibus quædam media ad salutem concessit, præterquam quòd alibi sit ex instituto probanda: interim eo loco lib. de Corr. & Grat. c. 13. confirmatur. Vbi Augustinus Reproborum genera proponens, ac distinguens ait. *Aut iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt,* &c. *Aut gratiam Dei suscipiunt, & temporales sunt, nec perseuerant. Deserunt, & deseruntur.* Perinde quasi primi, omni gratiæ auxilio careant: secundi aliquâ fruantur, quę quod efficax non est ad salutem, à voluntate efficaci esse non potuit: igitur ab inefficaci: quę quòd volũtas fuit, aliquid ponere in effectu debuit, quòd inefficax non est finem consecuta. Vnde apparet si nihil ea re exhiberet nullam prorsus voluntatem fore. Quare cui nullum Deus auxilium Gratiæ dedit, erga eum nullum omnino actum

Suarez de Incarn. d. 41. sect. 4.

Lib. de Corr. & Gratia. c. 13.

actum voluntatis vel inefficacis habuit. Sic Augustinus.

THESIS XVI.

Deus nouit futura in statu conditionato.

HANC aliàs Scholasticè in Academia Conimbricensi probauimus: nunc authoritate monstremus. Augustinus igitur perspicuè omnibus fermè ad marginem citatis locis. Ille illustrior lib. de Dono Perseu. c. 9. & 10. vbi quærens causam cur Deus quosdam vocet, quosdam non vocet? tractat opinionem illorum qui aiunt, rationem discriminis esse præscientiam peccatorum, quę acturi essent si viuerent, quæ obiecta sunt conditionata. Qua in re Augustinus admittit præsciri quidem ea potuisse; sed puniri ob ea non potuisse. Falsus esse pręscientiam,

Hæc est Patrum Societatis communis sententia. Molina in Concord. & 1. p. qu. 14. d. 14. ad 18. Bellarm. lib. 2. de Grat. & lib. arb. c. 9. Valentia 1. p. q. 14. p. 6. Vasq. 1. p. d. 67. Suar. de Scientia Dei. lib. 2. & tomo 1. de Grat. Prologom. 2. Lessius in Apolog. c. 9.

Lib. de Don. Perseu. c. 9. & 10.

inficians cauſam damnandi in præſcientia eſſe poſſe. Igitur ille: *An eò*, inquit, *redituri ſumus, vt adhuc diſputemus, quantâ abſurditate dicatur, iudicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præſciuit eos Deus perpetraturos fuiſſe, ſi viuerent?* Deinde docens Tyrios, & Sidonios, ſi audiſſent, credituros fuiſſe, quod à Chriſto Domino dictum accipit: adſcribit: *Porrò ſi etiam ſecundum facta, quæ facturi eſſent ſi viuerent mortui iudicantur, profectò quia fideles futuri erant iſti, ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet Euangelium prædicatum, non ſunt vtique puniendi.*

Scientiam conditionatorum multi Thomiſtæ admittunt: quos ſummâ eruditione colligunt Patres Diſcalceati in ſuo Curſu Theolog. tract. 3. de Scient. Dei diſput. 10. ſed ſcientiam conditionatam mediam nemo Thomiſtarum admittit.

THESIS XVII.

Libera ita nouit, vt non in ſeipſis, ſed in connexione efficacitatis auxilij & Decreti antecedentis, & inferentis actum liberum bonum cognorit.

NON de omni actu libero, sed de bono: non in omni statu, sed in hoc ruinæ cum Augustino loquor. Igitur hac ratione thesis constat. Nam cum in statu ruinæ voluntas humana sit ad peccandum prona: ac citra gratiam malè operetur: vt eius actus præsciri bonus possit, virtus gratiæ prænosci debet, qua inclinetur & moueatur ad operandum: aliter vti proxima Thesi XVIII. dicimus peccatum existet, quòd vbi virtus Gratiæ non sit, peccatum futurum sit. Itaque ratio cognoscendi non erit arbitrium, sed Gratia in arbitrio. Hoc in Augustino perspicuum est. lib. de Grat. & lib. arb. c. 4. sic: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt: quibus autem datum est sic volunt vt impleant quod volunt. Itaque vt hoc verbum ab aliquibus capiatur &,*

Ita sentiunt à fortiori Thomistæ. Aluarez l. 2. de auxil. d. 7. Zumel tomo 1. variar. dub. 5. & tomo 3. d. 4. §. 1. Mendoza in controuers. Theolog. qu. 7. Scholast. concl. 5. ledesma Zanard. Nuño. & alij quos late citant. Patres Discalceat. d. 10.

Fauet Scotus in 2. d. 37. q. vn. & in 1. d. 41. §. sed contra. & d. 38. q. vn. in corp. & d. 39. §. viso de contingentia.

Sequitur omnino Smising. tr. 3 d. 2. q. 5. & ex Patribus Societatis Henriquez lib. vltim. de fine hominis c. 4. n. 2. in textu.

Lib. de Grat. & lib. arb.

Dei donum est, & liberum arbitrium. Et paulo pòst: *Victoria quâ peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei.* Huiusmodi autem donum proximè *Gratiam* dixerat. Quòd si quis roget, vtrum ex natura rei cognosci possit actus liber in se ex determinatione causæ? Omnino id fatendum est iuxta principia Augustini: imo in statu integro actus bonus futurus præsciri certò potuit in se, & spectato libero arbitrio, cum gratia concomitante, non trahente & inclinante operaturo. Quia tunc ratio operandi erat in arbitrio vtente Gratiâ, & applicante Gratiam: atque vti illud operaturum erat, ita præuidendum erat posse operari. Vnde non erat expectanda efficacia Gratiæ, quemadmodum nunc in statu ruinæ. Id manifestè patet ex discrimine vtriusq; gratiæ in duplici statu integritatis & ruinæ. Illud delibo. *Prima*

Ita docent Patres Societatis.

Gratia

Gratia est, qua fit vt homo habeat iustitiam si velit, secunda plus potest, qua etiam fit, vt velit. Et infra: de primo homine integro, *vt vellet, in eius reliquit arbitrio.* Et *sicut fecerunt Angeli Sancti.* Et *Per liberum arbitrium steterunt ipsi.* Quare vti *steterunt*: ita & staturos fore præuisum.

THESIS XVIII.

HVius eadem quę superioris probatio. Id tantùm adiecero ex lib. de Cor. & Grat. c.13. loquens August. de Reprob. Derelictis: *Per liberum*, inquit, *arbitrium, alia peccata addiderunt: arbitrium inquam liberum sed non liberatum: liberum iustitiæ, peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas noxias cupiditates.* Quæ igitur ab arbitrio sine Gratia existerent, ea peccata essent, atque adeo ea tantùm noscerentur. Nec obstat Augustinum de

Ita Thomistæ suprà relati cum Patr. D. S. calc. altius tamen, quod nollem, ducto principio, ac voluntatis liberæ in omni statu naturâ spectatâ.

derelictis gratiâ prorsus carentibus loqui, cùm constet, vbi gratia victrix desit, fore peccatum: ac proinde non nisi peccatum præuidendum.

THESIS XIX.

Peccatum originale causa iusta damnationis infantium.

VBique obuia. Illum locũm eligo. lib. de Dono Perseu. c. 9. in fine. *Restat*, inquit, *vt solo peccato originali teneantur obstricti, & propter hoc solũm eant in damnationem.*

Lib. de Dono Perseuer. c. 9.

THESIS XX.

Peccatum originale est causa inadæquata & remota Reprobationis positiuæ, &c.

HÆC Augustini est; ita explicata; vt plana sit. Igi-

Esse Augustini tradunt Bañez prima p. q. 23. a. 5. & Zu-

tur peccatum originale est causa derelictionis in massa damnata: ex qua sequitur carentia Gloriæ, & Gratię cum illa nexæ efficacis, sine qua Gloria non comparetur: quanquam igitur Deus aliqua media his efficacia, & temporaria conferat, cum non sint ex voluntate efficaci dandi gloriam profecta, quæ ideo non fuit, quòd erat peccatum originale, non sunt cum Gloriæ consecutione coniuncta. Igitur effectum quidem habebunt temporalem, sed non æternum. Peccata vero actualia ob quę positiuè damnantur, etsi causa sint proxima damnationis, permissa sunt tamen ex præuisione peccati originalis in massa damnata. Vnde in eo radicem habuerunt. Remitti autem peccatum originale non tollit manere in nobis adhuc concupiscentiam illius effectum, qui cùm languor quidam & affectionalis ex culpæ contagio qualitas.

mel. q. 4. a. 5. & Vasquez d. 95. c. 4. & 5.

Vide hac de re. Didacum Ruiz de Montoya. d. 16. s. 8. & Theodorum Smising. tract. 3. d. 6. q. 11.

Lege Bellarm. lib. 2. de Grat. c. 16. ad finem. Et Valentiam. 1. p. q. 23. a. 5.

Lib. 5. contr. Iulian. c. 5. & 6. & lib. 6. c. 18. & lib. 2. de nupt. & concup. c. 34.

sit: ex ea existunt peccata sequentia, vnde finalis damnatio consequatur. Quemadmodum in homine Peccatore iustificato manent habitus acquisiti vitiosi inclinantes ad peccata alioquin iam remissa. Nunc ad Augustinum. Perspicuè id docet. Cum alibi, tum libro de Corr. & Grat. c. 13. *Hi qui non pertinent ad istum felicissimum numerum pro meritis iustissimè iudicantur: aut enim iacent sub peccato, quod originaliter traxerunt, & cum illo hæreditariò debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt, &c:* Deinde. *Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseuerant: deserunt, & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto Perseuerantiæ dono, iudicio Dei iusto, sed occulto.* Quæ doctrina cum tradita proximè ad thesim 13. coniuncta rem continet. Nam damnatio

Suarez. In.1.2. lib 5. d. 4, Sect. 1. id docet. de homine iustificato.

Lib. de Corr. & Grat. c. 13.

mnatio ad certam pœnam peccata actualia respicit: sed illa negatiua reprobatio, ex qua ista sequitur, fit cum respectu ad originale: ex quo cum derelictio consequatur, ac ex derelictione dimissio: vnde peccata existant quibus certa damnatio statuta; fit vt peccatum Originale sit ratio remota & inadequata istius damnationis positiuæ. Et quemadmodum Prædestinati, etsi deficiant temporaliter, & peccent tamen ex illo efficaci Dei Prædestinantis proposito resipiscunt, & redeunt: ita Reprobi contrà, quanquam Gratiam ad tempus recipiant, quòd non sunt Electi, decidunt, & pereunt. Vtrumque Augustinus præclarè. lib. de Cor. & Grat. c. 7. *Sciuit Dominus qui sunt eius. Horum Fides quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, & deletâ,*

Lib. de Corr. & Grat. c. 7.

quæ interuenerat, iniquitate, vsque in finem perseuerantia deputatur.
Contra Reprobi. *Qui verò perseueraturi non sunt, ac sic à Fide Christiana & conuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vita huius finis inueniat, procul dubio, nec illo tempore quo benè piéque viuunt in isto numero computandi sunt: Non enim sunt à massa illa Prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi: sed in eis vocati de quibus dictum est, Pauci vero electi. Et tamen quis neget eos electos, cum credunt, & baptizantur & secundum Deum viuunt? Planè ita dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos nouit non habere perseuerantiam quæ ad Beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, vt præsciret esse casuros.* Ibid.

THESIS XXI.

De traduce peccati ex vitio seminis, & Regeneratione ex Gratia intimè inhærente.

PAtet Augustini pluribus in locis sententia. Prima pars traditur expressè in libris contr. Iulianum: Secunda perspicuè in libris de Peccat. mer. & remissione. Vtrámque comprehendit, ac repræsentat locus ex lib. contra Iulian. imperf. quem voco. *Si autem semen ex vtraque parte* (id est Adami generantis, & Christi regenerantis) *deposcis, sicut per Adam semen carnale vitiatum est, sic viget spiritale per Christum.* Solétque sæpè Augustinus tractam ab Adamo corruptionem, & acceptam à Christo iustificationem inter se comparare. Illustrissimus locus est ille lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. 9. vbi re-

Lib. cont. Iulian. imperf.

futans Pelagianam hæresim negantem te contrahi, & sola imitatione referri originale peccatum affirmantem, & exemplo iustificationis abutentem, sic ait: *Si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione, sed imitatione intrauerit, eius principem non Adam, sed Diabolum diceret.* Deinde: *Imitantur quidem Adã quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei. Sed aliud est, quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam & Christum imitantur sancti eius ad sequendam iustitiam: vnde & Apostolus dicit Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Sed præter hanc imitationem Gratia eius illuminationem, iustificationémque nostram etiam intrinsecus operatur.* Tum, *Sicut ergo ille in quo omnes viuificabuntur, præterquam quòd se ad iustitiam exemplum*

Lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. 9.

plum imitantibus præbuit, dat etiã sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis. Sic & ille in quo omnes moriuntur, præterquam quòd eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur imitationis exemplum est, occultâ etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes.

THESIS XXII. & XXIV.

EOdem pertinent. Faciles sunt. In Augustino expressæ. Locos indicaui. Sententiis abstineo.

THESIS XXIII.

Status Iustitiæ non erat ignorantiæ, nec erroris.

SEnsus est non de ignorantia speculatiua, quæ potius ne- Theologi cum Magistro in 2. d. 28.

ſcientia, & incogitantia appellatur. Sed de practica: & de hac quidem in ordine ad rectè viuendum ad materiem aptè; atque adeo principio peccandi. Igitur de ea Auguſtinus in Enchir. c. 24. *Nolentibus ſubintrauit ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum: quibus comites ſub inferuntur error & dolor.* Idem tradit lib. 3. de lib. arb. c. 18. & 19. & 20. & lib. de Nat. & Grat. c. 46.

Conſentit D. Bonau. in 2. diſt. 23. q. 2. & Durand. ib. qu. 3. & Suarez lib. 3. de opere ſex dier. c. 10. & Tomo 1. de Grat. Prolog. 4.

THESIS XXV.

Donum integritatis ac Rectitudinis quoad pacem & concordiam partium animi fuiſſe quiddam proprium & habituale.

AVguſtinus docuit, cùm Adã *inculpatum*, & *rectũ ac ſine vitio*, & *ſuâ ſecum pace* fruentem, atque adeo *beatum* dixit: cùm illam ſanitatem languori noſtro,

Ita Scotus in 2. d. 29. qu. vn. & diſt. 32. Vide Herrera. in 2. d. 21. qu. 3.

Lib. de Corr. & Grat. lib. de Ciuit. 14. lib. 3. de Gen. ad lit. lib. de Nat. &

Grat. libris. cont. Iulianum.

illam libertatem nostræ seruituti: illam quietem nostro tumultui: illam pacem nostro bello: illam concordiam nostræ discordiæ: illud robur nostrę infirmitati: illam temperantiam nostræ concupiscentię opposuit. Quæ cum intimè hæreant, & congenita perseuerent, necesse est, vt quibus opponuntur, ea insita homini, & adnata forent. Sed iam Augustinus apertè. lib. 13. de Ciuit. c. 12. *Hæ igitur partes in Paradyso vitiosæ non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur, vnde necesse esset eas ratione tanquam frenis regentibus abstinere. Vnde quòd nunc ita mouentur*, &c. *non est sanitas ex natura, sed languor ex culpa.* Et lib. de Corr. & Grat. c. 12. *Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat.*

Suar. lib. de opere sex dier. c. 12.

THESIS XXVI.

De Peccato veniali ante mortale in Paradyso.

Sequitur Scotus in 2. d. 21. & Gabr. ib. d. 22. q. 1. a. 3. dub. 1. Maior & Bassol. ib. & Herrera d. 22.

Lib. 3. de lib. arb. c. 5. & 11. In Enchirid. c. 105.

HVius Augustinus est author: cùm ait Adamum in arce libertatis situm: vt in quancunque partem agendo verti possit: cùm docet à Dęmone instigante potuisse tentari: cùm tradit primum quod admisit mortale peccatum Superbiæ fuisse. Ex quo sequitur quicquid ante Superbiam peccauit veniale fuisse. At peccasse Augustinus disertè affirmat, imo & venialiter peccasse affirmat. Ita lib. 11. de Gen. ad litt. c. 42. *Noluit*, Adam, *eam* Euam *contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo.* Et lib. 14. de Ciuit. *Adam sciens ac prudens peccauit, ne vxori displiceret.* Deinde ibidem prorsus

ſus inuictè. Super illud Pauli: *Adam non eſt ſeductus: Quomodo*, inquit, *verum erit, Adam non eſt ſeductus? ſed inexpertus Diuinæ ſecuritatis, in eo falli potuit, vt veniale crederet eſſe commiſſum.* Faciunt ſcripta in Pſ.83. de Adam non ſeducto. Et lib.11. de Gen. ad lit. c. 42. vbi ait: *Non carnis victum concupiſcentiâ, quam non dum ſenſerat ſed amicabili beneuolentiâ deliquiſſe.*

THESIS XXVII.

SVperbia primum peccatum mortale. Ita Auguſt. lib. de Ciuit. c. 13. *Diabolus hominem non cepiſſet, niſi iam ille ſibi placere cœpiſſet. Hunc enim & delectauit quod dictum eſt. Eritis ſicut Dij. Quod melius eſſe poſſent, ſummo veróque principio cohærendo per obedientiam, non ſuum ſibi exiſtendo principium per ſuperbiam.* Et lib. 11. de Gen. ad lit. c. 30. de

Eua, *Quando crederet mulier se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propria potestatis, & quadam de se superba prasumptio?* Et c. 31. de ambobus. *Gratiâ deserente nudati, quam typho quodam & superbo amore sua potestatis offenderant.*

THESIS 28. 29. 30. & 33.

OBuiæ sunt, & faciles. Locos indicaui. Confirmare opus non est.

THESIS 31. 32. & 34.

EOdem has filo ducas. Initium esto à 34. Nam si homo lapsus vulneratus est in naturalibus; constant cætera. Esse autem docet Augustinus ex eo quòd hic status damnationis sit; cuiusmodi Authores aiunt non fore, si tamen esset status puræ naturæ. De quo nobis sublatum

Augustinum sequuntur. Aluarez lib. 6. de Auxil. d. 45. & 46. & 47. ex D. Thoma & Thomistis. & Pennottus. in Propugnac. l. 9. c. 7. n. 5.

per Auguſtinum non eſt diſputandi arbitrium. Igitur ille: *Fides non dubitat Chriſtiana*, &c. *etiam paruulos filios Redemptorum ſub eiuſdem Diaboli eſſe poteſtate captiuos: niſi & ipſi eâdem Chriſti gratiâ redimantur.* Lib. 1. de nupt. & concup c. 20. *Dæmon Adamum ſeduxit, & ſeruum fecit, & cœpit nos tanquam vernaculos poſſidere.* In fragm. tom. 10. fol. 623. Idem habet lib. 3. de lib. arb. c. 18. & lib. 6. contr. Iulian. c. 15. & 16. & Epiſt. 105. & lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. vltimo. Illa eſt inuicta probatio quæ ducitur ex amiſſa indifferentia ad bonum & malum, & ex inditâ concupiſcentiâ, & propenſione in malum, quam Auguſtinus vbique admittit: quæ ſuis in locis proponemus. Satis ſit ille lib. de Nat. & Grat. c. 43. vbi ſic. *Sed nunc de illo agitur quem ſemiuiuũ latrones reliquerunt, qui grauibus ſauciùs confectúſque vulneribus,*

Lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 20.

In fragm. tom. 10. fol. 623.

Lib. de Nat. & Grat. c. 43

qui acerrimè defendunt vulneratum in naturalibus.

Hanc tradit Beda in cap. 10. Lucæ.

Conſentit Fulgentius. lib. de Incarnat. & Grat. c. 12. & 13. Et ex Scholaſticis Gregorius in 2. diſt. 30. qu. 1. a. 2. ad 3.

Ambroſ. lib. 7. in Lucam.

non ita potest ad Iustitiæ culmen ascendere, &c. Quanquam non eo sensu dicat Augustinus hominem esse vulneratum, quasi truncata fuerit pars aliqua visq; naturalis, sed quod additâ concupiscentiâ, & inclinatione ad peccandum impeditus fuerit vsus libertatis in vtramque se partem æquâ potestate flectentis. Vti nos in nostra propria quæstione de necessitate & libertate peccandi ex Augustino docuimus.

Vide Scotum in 2. d.32.qu.vn.& in Report. q.33. & Suar. lib. 1. de necessit. Grat. c. 24. n. 28.

THESES XI. à XXXV. ad XLVI. quæ continent doctrinam necessitatis Fidei & Gratiæ ad actus honestos morales. Idcircò omittuntur, quòd hac de re quæstio fuit proximè instituta.

THESIS XLVI.

Gratiam excitantem in illustratione mentis, & suauitate

Lib. de Spir. & lit. c. 29.

tate voluntatis supernaturali constituens, ità ex Augustino probatur. Lib. de Spir. & Litt. Per *Fidem confugiat ad misericordiam Dei, vt det quod iubet, atque inspiratâ Gratiæ suauitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit.* Deinde: *Lex Fidei Charitas eius conscripta in cordibus, atque diffusa perficitur sperantibus in eum; vt anima sanata operetur bonum.* At nusquàm melius quàm lib. de Grat. Chr. contr. Pelag. vbi hoc ex professo tradit: Illa seligo. ex cap. 12.

Ita Zumel de Grat. & lib. arb. discurs. 5. 5. 2. Suarez. Proleg. 5. c. 3. & Smisingtr. 3. d. 6. q. nu. 309. & Aluarez de Auxil. d. 74. ad 78. & Didacus Ruiz de Montoya de Prouident. d. 30. Vasquez 1. 2. d. 185. c. 6.

Lib. de Gr. Chri. c. 12 & 13.

Gratia agitur, vt non solum facienda nouerimus, verumetiam vt cognita faciamus: nec solum vt diligenda credamus, verumetiam vt credita diligamus. Et c. 13. *Hæc Gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere: ita vt non ostendat modo veritatem, verumetiam impertiat charitatem.*

P

THESES XLVII. ad L.

Montoya de Prou.d. d. 17. s. 2.

Bañez 1. 2. q. 111. a. 1. 2. 3. dub. 4. conclus. 2.

Suarez tomo 1. de Grat. Prolog. 5. c. 3.

Vasquez in 1. 2. d. 185. sect. 6.

Theodorus Smising. tr. 3. disp. 6. q. 6.

HÆ tres eiusdem sunt, paulùm deflexi tamen, sensus. Illud vinculum omnium. *Suauitas*, *& Delectatio* supernaturalis à Deo communicata in operando actus voluntatis: quæ Augustino genuina est ratio Gratiæ ad actum excitans, & comitans actum. De quo nos in art. vltimo quæstionis de libertate, & necessitate peccandi. Huiusmodi delectatio & suauitas *victrix* dicitur ab Augustino lib. 2. de peccat. mer. & remiss. c. 19. quâ nimirum *peccandi cupiditas vincatur*. Quemadmodum habet l. 1. ad Bonif. c. 13. & lib. 13. de ciuit. c. 5. & Epist. ad Galat. & lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 17. & lib. de Spir. & litt. c. 28. & in Enchir. c. 118. Ille illustris est locus lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 19. *Intelligamus Dominum, Deum*

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 19.

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 19.

bonum ideo etiam sanctis suis alicuius operis iustitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem; vt cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & suauitatem qua det fructum terra eorum. Illustrior adhuc est ille lib. de Spir. & litter. c. 29. *Inspiratâ Gratiæ suauitate per Spiritum sanctum facit, Deus, plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit.* Itaque Augustinus rationem efficaciter operandi, tum benè ad virtutem, tum malè ad vitium indelectatione constituit. Hinc serm. 6. de verb. Apost. *Quicquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus non exoriuntur, nisi ex malâ cupiditate: non exoriuntur, nisi ex illicitâ delectatione.* At verò huiusmodi delectatio, non est præcisè actus indeliberatus: cùm transeat in actum deliberatum, sitque accidens actui: & ve-

Aluarez de Auxil. d. 74. ad 78.

Zumel de Grat. & lib. arbitr. discurs. 5. sect. 2.

Lib. de spir. & lit. c. 29.

Pennottus in Propugnaculo. l. 9. c. 7. 8. & 9.

Serm. 6. de verb. Apostoli.

luti affectio quædam comitans, & attemperans actum. Ex his manet satis probata 49. Thesis. Pars verò prima 48. *Lex sine Gratiâ stimulus peccati.* Tam est Pauli propria, quam Augustini. Satis sit illa lib. de Grat. & lib. arb. sententia: *Gratia nos facit legis dilectores: lex verò ipsa sine Gratia, non nisi prauaricatores facit.* c. 13.

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 13.

THESIS L.

Motio Gratiæ Excitantis non est solùm moralis, sed etiam physica, &c.

PAtet ex differentia Gratię Innocentis Adami, & lapsi. Vti infrà monstrabimus. Deinde ex effectu, & virtute probatur. *Hac* enim ait lib. de Cor. & Grat. c. 11. *fit vt velit: & tantum velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem vo-*

Ita D. Thom. 12. q. 9. & q. 111. a. 2. & in disput. qu. 23. a. 5. Ægyd. in 2. d. 5. q. 2. a. 1. Gregor. in 2. d. 26. 27. & 28. qu. 1. ar. 3. Capreol. in 2. d. 28. a. 3. ad 12.

Lib. de Corr. & Grat. c. 11.

voluntate ſpiritus vincat. Et ſtatim. *Adiutorium tantum ac tale eſt, vt velimus.* Et eod. lib. c. 12. *Tantùm Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideò poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic volunt, quia Deus operatur vt velint.* Et ibid. *Subuentum igitur eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ Gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.*

Ibid. c. 12.

Aluar. De Auxiliis. d. 95. ad 103. Bañez. 1. p. q. 23. a. 3. dub. 3. poſt concl. 10. & ad 6. argum.

Zumel. in var. d. 5. concl. 2. Dried. lib. de Conc. lib. arb. & prædeſt. c. 2. fol. 25. Trigoſus ſup. Bonau. 1. p. q. 14 a. 6. & q. 15. a. 2. & q. 18. a. 4.

THESIS LI.

Gratia Excitans non ſolum efficax, ſed inefficax etiam datur.

GRauis in doctrina Auguſtini quæſtio. Sic interim expedio. Datur quidem alia Gratia præter efficacem: quæ inefficax ſit: An verò ſit ſufficiens alia quæſtio eſt. Idcirco dixi. Dari Gratiam inefficacem. Tacui de ſufficiente. Satis fuerit ad theſin probare Auguſtinum aliud ge-

Vide Scotum in 1. d. 46. q. vni.

Ita Palacios. in 2. d. 25. diſput. 1. de li. arb.

nus Gratiæ vltrà Efficax admisisse. Cuiusmodi sit illud non inquiro. Tantum assumo esse Gratiam inefficacem. Patet in Augustini doctrina. Nam is admittit paruas quasdam voluntates bonas, & inchoatas & imbecillas, quæ non nisi à Gratia sunt. Non ab efficaci, igitur ab inefficaci. Deinde perspicuè docet Augustinus Deum diuerso modo iuuare homines auxiliis Gratiæ; *Hunc isto, illum illo modo, hunc tantùm, illum non tantum.* Quod ipsum est dicere Deum donare aliis tantùm Gratiæ, vt operentur, aliis non tantùm, qui non operantur. Igitur cum in ipsa Gratiæ Efficacia, sit ratio operandi, imo & ex ea sit operatio voluntatis: Qui non operatur cùm tamen iuuetur: ei alia datur Gratia, quâ excitetur, & non operetur. Cum præsertim ibi Augustinus ad iudicia Dei confugiat. Quasi diuerso modo se ha-

Zumel. in var. d. 3. d. 3. 5. 1. & d. 5.

Vide Beniúm Patauin. de Effic. aux. & lib. arb. c. 3. 4. & 8. Osorium lib. 9. de Iust. pag. 2. & 3. Ioan. Anton. Delphium lib. de Iustif.

Vasquez 1. 2. d. 185. c. 11. & 12.

Lib. de peccat. mer. & rem. c.

Tolet. in Comment. c. 17. Ioannis.

Ruisius de Prouid. d. 39. 5. 2. & disput. 49. 5. 2.

Suarez in Opusc. l. 3.

beat in iuuando: vnde existat illa differentia operandi & non operandi. Quare quam sequitur operatio est Gratia Efficax: quam non sequitur, inefficax. Bonam illam, & imperfectam voluntatem proponit multis in locis. Sermon.3. de verb. Apost. c.10. lib. de Spir. & lit. c.36. lib. de perf. iust. c.7. & 10. lib. 2. de peccat. mer. & remiss. c. 3. lib. 8. Conf. c.5. & 10. lib. de Grat. & lib. arb. c.15. & 16. serm. 44. & 97. de diuers. & serm. 101. Hęc voluntas bona iam à Deo est: non tamen efficax est. Igitur ab aliquâ Gratia: non efficaci; atq; adeo ab inefficaci. Do locum huiusce conantis cum Gratię paruæ voluntatis. lib. 8. Confess. c.5. *Voluntas noua quæ mihi esse cœperat nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Et manifestius lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 15. *Per hanc Gratiam fit, vt sit homo bonæ voluntatis, qui*

Lib. 8. Confess. c. 5.

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 15.

Aluarez de Auxil. d. 95. ad 103.

prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, vt ipsa voluntas bona, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata. Et c.16. *Oret*, inquit, *vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Et ibid. *Ab illo* Deo *petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus.* Quanquam vero huiusmodi Gratia faciat velleitates quasdam non ideo efficax est, cùm non efficiat velle efficaciter: vnde omnino sicut voluntas est inefficax, ita & Gratia inefficax est. Vnde illud Augustinus. *Sufficit tibi Gratia mea. Volo vt velis, sed non sufficit, vt velis. Adiuuandus es, vt plenè velis. & impleas quod velis.* Et aliud. *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam. Poterit autem cum magnam habuerit, & robustam.* Di-

Ib. c. 16. Ibid.

Zumel in var. d. 5.

Bañez 1. p. q. 23. a. 3. dub. 3.

Driedo lib. de Concord. & Prædest. c. 2.

Serm. 3. de verbis Apost.

Trigosus super D. Bonauent. 1. p. q. 14. a. 6. & q. 15. a. 2. & q. 18. a. 4.

Lib. de Grat. & lib. arbi. c. 17.

uersa

uerſa opinor eſt Gratia illa prior voluntatis bonæ, ſed inualidæ, à ſecunda magnæ, & robuſtæ voluntatis. Hæc ſunt igitur diuerſa auxilia, de quibus Auguſtinus: *Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet. Illum tantum, illum non tantùm, iſtum illo, illum iſto modo penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecreta ratio, & excellentia poteſtatis.* lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 5.

Lib. 3. Peccat. mer. & rem. c. 5.

THESES LII. & LIII.

VTraque Auguſtini eſt: & ex proximis deducitur. Fundatúrque in capitali illa de differentia Gratiæ in ſtatu integritatis & Ruinæ Auguſtini ſententia. Quæ ob oculos ſemper habenda, vt ratio Gratiæ Chriſti virtúſque intelligitur. Nam hæc ab ea diſtinguitur, in eo quod ex ſe mouet, & inclinat, & trahit voluntatem, cum alia trahe-

voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent: aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Hinc illa *Victrix Delectatio.* lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 19. Hinc illa *vincens delectatio iustitiæ.* Lib. 1. ad Bonif. c. 13. & in Enchir. c. 118. & lib. 13. de Ciuit. c. 5. & lib. 1. imperf. oper. contr. Iulian. Hinc *delectari ardentius.* lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. Hinc illa *occultissima & efficacissima potestas.* lib. 1. ad Bonif. c. 20. Hinc *interna atque occulta mirabilis ac ineffabilis potestas Operandi bonas voluntates.* lib. de Grat. Christi. c. 24. Hinc *Vocatione altâ, atque secretâ Agi hominis sensum.* epist. 107. Hinc *mirabili modo & ineffabili operari velle.* lib. de Prædest. Sanct. c. 20. Hinc *Diuinâ Gratiâ indeclinabiliter agi.* lib. de Cor. & Grat. c. 12. Quæ cum in nobis fiunt Gratia efficax adest: cum

Vide Pennottum in Propugnac. lib. 9. c. 7. 8. 9. & Smising. tr. 5. d. 2. à n. 145.

Zumel. in var. disp. 5. 5. 2.

Driedo lib. de Concord. lib. arb. & Prædest. c. 3.

non fiunt, & tamen insunt quidam ad bonum motus *inchoatæ* cuiusdam, & *imperfectæ*, *paruæ inualidæ*, & *nondum idoneæ voluntatis* Inefficaci Gratiâ, & remissâ, tangimur & afficimur.

THESIS LIV. & LV.

VTraque est expedita. Prima in quæstione de libertate & necessitate peccandi: Altera in proximis Thesibus continetur.

THESIS LVI.

Gratia in vno Efficax est: in alio Inefficax. Sed semper ex parte Gratiæ victoria.

CVM Adiutorium Gratiæ illud sit, quo *fit vt homo velit, & tantum velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus*

Lib. de Corr. & Gr. c. 11.

ſpiritus vincat. Eaque ſit *Victrix Delectatio*. Sequitur inde, quòd ſpectanda eſt virtus Gratię ex magnitudine difficultatis vincendæ. Vnde fiet, vt minore vi Gratię opus ſit ad excitandam voluntatem hominis iuſti, quàm peccatoris inueterati. De Excitante loquor, non de ſanctificante: quę in hominibus iuſtis eſt, & ſecundum gradus iuſtitię maior. Fieri ergo poteſt, vt minor Gratia ſit efficax in vno, & maior non ſit alio efficax; ex proportione ad voluntatem minus, vel magis impeditam. Non tamen inde ſequitur Gratiam eſſe in poteſtate voluntatis: vt ex voluntate, ſumatur ratio operandi: Hoc enim eſt alieniſſimum à mente Auguſtini. Qui ſemper docet Gratiam dominari in voluntate & mouere, & trahere voluntatem. Non negat tamẽ trahi aliquando à minore Gratia quæ minus reſiſtat, voluntatem: atque adeo vt

Hanc docet B. ñ. z in 1. 2. q. 111. a. 1. 2. 3. dub. 4. & 5.

Zumel. in var. diſp. 5. concl. 2.

Aluarez de Auxil. 2. d. 95.

Theodorus Smiſing. tr. 3. d. 6. à n. 144.

Trigoſus ſuper Bonauent. 1. p. q. 14. & 15. & 18.

S

congruat Gratia voluntati, id eſt ad exigentiam detur: nam cùm in exigentia eſt diuerſitas, & in Gratia eſt ad illam proportio. At ſemper in Gratia erit ratio operandi, nec ipſa ſequetur: ſed ducet, trahétque voluntatem. Hęc eſt omninò mens Auguſtini in eo difficili ad Simplicianum loco lib. 1. q. 2. *Deus eo modo vocauit, quo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem.* Et infrà: *Illi Electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti quamuis vocati.* Deinde: *Etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocet, quomodo eis vocari aptum eſt, vt ſequantur.* Pręterea: *Cuius miſeretur ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Quorum ſenſus eſt. Deum ita vocare, vti nouit conuenire Electis, applicando talem Gratiam, qualem

Gabriel Pennottus in Propugn. lib. 9.

Driedo lib. de con. & Præd. c. 2.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2.

Ibid.

Toletus in Comment. Ioan. c. 6. & 17.

Ibid.

Henricus quodlib. 8. q. 5. lit. C. poſt med.

Cord. in qu. l. 1. q. 56.

Mendoça in ſuis cōtrouerſ. Theolog. q. 1. Schol. n. 7. & n. 14.

nouit futuram congruam ad trahendum: nam secundum exigentiam voluntatum concursus debitus tribuendus. Ita tamen, vt ratio trahendi sit ex parte Gratiæ mouentis, cui voluntas liberè, sed omninò tamen indeclinabiliter consentiat. Quòd si non veniat vocatus, ideo erit, quia non congruit, nec attemperatur vocationi. Ne quis autem putaret rationem sequendi esse voluntatis torquentis Gratiam, eique moderantis; dixit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui eo modo vocauit. Quo aptum erat eis.* Aliter diceret; si doceret, rationem veniendi esse à voluntate Gratiam trahente. Vnde ad eos conuersus, qui vocati non sequuntur ait; *Si vellet etiam ipsorum misereri: posset ita vocare, quomodo illis aptum esset.* Quod postea probat exemplo Esau, quem si illo modo vocaret, prorsus tra-

Guilielmus Estius in 1. dist. 41. §. 8.

Ibid.

D.Thom. 1. 2. q. 112. a 3. in corp. & 2. 2. q. 24. a. 3. & 1. p. q. 14. a. 5.

Ibid.

heret. Quare patet non solùm esse differentiam in sequendo, sed etiam in vocando. Sempérque ad misericordiam, & iudicium prouocandum. Non ideo tamen tollit, aut meritum in veniendo, aut culpam in non sequendo. Cum sit in vtroque libertas. Nam *consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Quod cum verum sit, tamen *in Electis præparatur voluntas à Domino.* Hac ratione intelligendus est Augustinus quoties loquitur de congrua vocatione vtens hoc vocabulo congruitatis. Vti lib. de Dono Perseu. c. 14. & lib. 4. de Trin. c. 1. & lib. 8. c. 4. & lib. 4. de Doctr. Christ. c. 30. & Epist. 99. & 243. Sed illâ inter omnes sententiâ Thesis nostra continetur; *Vt quamuis multi vno modo vocati sunt, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Non quod

Lib. 3. de Spir. & lit. c. 24.

Gregor. & Capreol. in thesi 50. citati.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2.

ex

ex se idonei sint, nam id maximè Augustino repugnat; sed quod eadem Gratia applicata diuersis voluntatibus vnam trahet, alteram non trahet, quia vna minus, altera magis erit impedita: & cũ suaptè vi moueat Gratia secundum exigentiam voluntatem mouebit. Vnde fiet, vt maiore Gratia opus sit ad vnam, quàm ad aliam mouendam. Nam vel hoc maximè loco Augustinus docet, Deum si vellet tracturum voluntatem repugnantem: quo significet, *miserentis esse Dei, non currentis, aut volentis hominis.* Sic enim concludit. *Cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eadémque res sapè alio modo dicta moueat, alio dicta non moueat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam Fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Reuocanda huc illa à qua

Lib. 1. ad Simpl. qu. 2.

inchoauit doctrinam sententia: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

THESIS LVII.

Satis est in superioribus de Efficaci Gratia probata: & infra Thesi 68. & 73. & 74. probabitur.

THESIS lviii. lix. lx.

Quæ negant omnibus omnino communia esse auxilia Gratiæ, eâdem quâ supra Theses 14. & 15. doctrinâ & methodo continentur.

ADdo tamen locum ex lib. de Cor. & Grat. c. 11. *Quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est. Quibus autem datur, secundum Gratiam datur, non secundum debitum.* Et illas tres sententias ex Epist. 107. *Scimus Gratiam Dei non omnibus homi-*

Lib. de Corr. & Gr. c. 11.

D. Thomas expressè 2. 2. q. 2. a. 1. & 5. ad 1. consentit lib. 3. cont. Gent. c. 160. Abul. in c. 4. Matth. 6. 12. Gregor. in 1. dist. 46. quæst. vn. Caiet. in c. 9. Ioan. Roffens. art. 26. cont. Luther. Ruard. Tapper in art. 7.

Epist. 107.

nibus dari: Scimus quibus datur misericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur iusto iudicio Dei non dari. Rursum lib. de Dono Perseu. c. 12. *Dat quibus vult. Non dat quibus non vult.* Et iterum lib. 4. contr. Iulian. c. 8. *Vtrique profundum sit, cur & in maioribus & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri subuenire.* Tandém lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 18. *Quibus hoc Dominus dare voluerit eius misericordia est, non meriti illorum: quibus autem noluerit, veritatis est.* Hac etiam ratione Thesis 62. confirmatur: necnon Thesis 64. ex parte stabilitur.

Lib. de Dono Perseu. c. 12.

Lib. 4. contr. Iulian. c. 8.

Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 18.

pag. 254. inclinat Henricus quod l. 8. q. 5.

Eiusdem cum Augustino sunt Prosper & Fulgentius Vasqu. teste 1. p. d. 97. c. 6. sententiæ. Vide Theodor. Smising. tr. 3. disput. 6. q. 4. n. 106. & 113. & 127. & Vasquez 1. 2. d. 193. Vide D. Gregor. infra & D. Bernardum.

THESIS LXI. & LXIII.

De necessitate Fidei ad bona opera, & præcepta implenda in quæstione proxima de Necessitate Gratiæ continentur.

Lege nostram quæstionem de necessitate Gratiæ. Ad opera naturalia, & moralia. Præcipuè art. 2. & 3. & quos ad calcem art. citaui autores.

PAuca nihilominus de Fide adducam testimonia. Præfat. in Psal. *Bonum opus intentio facit, intentionem Fides dirigit.* Et in Ps. 67. *Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc aut necesse est, vt antecedat Fides: vt inde ista, non ab istis incipiat illa.* Et in Psal. 31. *Ea ipsa bona opera, quæ dicuntur ante Fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt.* Et lib. de Gest. Pelagij c. 14. *Fides initium vnde bona opera incipiunt.* Et ibidem. *Hoc accepimus vnde incipit quicquid in nostris actibus habemus boni.* Tandem clarissimâ clausulâ finiamus. Ex lib. de Grat. & lib. arb. c. 13. *Gratia IESV Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa Fides.*

Præfat. in Psal.

Psal. 67.

Psal. 31.

D. Greg. Magnum art. 4.

Lib. de Gest. Pelag. c. 14. 161.

D. Bernard. serm. 30. in Cant.

Et Serm. 51. & serm. 1. in Annunc.

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 13.

THE-

THESES DVÆ lxiv. & lxv.

AD eandem ſuperiorum doctrinam pertinent, & in quæſtione de neceſſitate Gratiæ ſatis tractatę. Addiderim pro confirmatione vtriúſque, quæ inſolens fortaſſe videri poſſit duos Auguſtini locos, ex quibus illam ego deduxi. Alter eſto ex lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. 22. *Vnde fit, vt homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit auaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes cæteras prouectior aptiórque conſurgat: & tamen eo loco ſit, vbi ei prædicari Gratia Chriſtiana non poſſit.* Alter ex l. 1. q. 2. ad Simpl. q. 2. *Non habeo quid intuear in eligendis hominibus ad Gratiam ſalutarem, ſi ad examen huius electionis aliquâ cogitatione permittor, niſi vel maius ingenium, vel mi-*

Harum Theſium doctrina ex proxima ſequitur: Et eorundē Authorum Sententiâ confirmatur. Præcipuè Gregor. Arimineńſ. in 2. diſt. 39. q. 1. a. 2.

Lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. 22.

Vide Proſper. l. 1. de vocat. Gent. c. 7. vel 3. & Fulgent. lib. de Incarn. & Grat. a. c. 12. ad 25. & Iſidor. lib. 2. Sententiā c. 5. & Richard. Victor. tract. 1. de ſtat. inter. hominis p. 1. c. 33.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2.

nora peccata, vel vtrumque, &c. Quisquis ergo fuerit, quàm minimis peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullis quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad Gratiam. Sed cùm hoc statuero, ita me ridebit ille qui informa mundi elegit, vt confundat fortia, vt eum intuens & pudore correctus ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores. Quibus sententiis opinor constat mentem Augustini esse, primùm: rationem Prædestinandi non respicere opera naturæ: nec qui benè viuat secundum eam, continuò adepturum Fidem & Gratiam, cùm hæc gratis detur. Nec quibusdam naturæ meritis debeatur. Deinde fore qui cum solo peccato originali, & quàm minimis peccatis, id est venialibus, viuant & decedant: nam si Pueris & Puellis ingenuis ac

Gregor. Magnus. hom. 13. in Ezechiel. & in Psal. 70. & in lib. 1. Reg. c. 13.

Bernard. Epist. 146. & 207. & Serm. 78. in Cant.

Lege Vasquez in 1. 2. d. 190. & Caiet. in cap. 9. Ioannis & Smising. tr. 3. d. 6. q. 4.

bene moratis intra pubertatem mors accidat, non fore paucos exiſtimo, qui à Peccatis lethalibus liberi ſolis venialibus teneantur: ac ita contigiſſe arbitror in multis vrbium excidiis; v. g. Troiæ, in quibus multi paulò ſupra illum flexum ætatis, quo ſe aperit ratio, adulti innocentes, ſed non à venialibus culpis immunes interfecti ex hac vita migrarunt.

THESIS LXVI. & LXVII.

Non eſſe Gratiam efficacem in Phyſica illa Prædeſtinatione conſtituendam.

Repugnat Auguſtini doctrinæ Phyſica Prædeterminatio: primò quia ponitur more naturę ad omnem actionem voluntatis, tanquam vnum ex requiſitis ad operandum: quod Auguſtinus negat aiens in ſtatu in-

Hæc Patrum Societatis eſt. Molinæ in Concord. variis in locis præſertim. q. 14. Vaſquez 1. p. d. 99. Suarij in opuſcul. li. 3. Leſſius in Apolog. Ruyſij Montoyæ lib. de volunt. Dei d. 39. & 45. 46. 47. 48. & lib. de Prædeſt. d. 35.

Lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12.

& Malderi. in 1.2. qu. 111. a. 3. dub. 13. assert.

nocentiæ voluntatem solo auxilio *sine quo* nullo modo prædeterminante arbitrium, vi suâ, iuuante tantùm Gratiâ operatu-

Alphonsi Castr. li. 8. aduers. hæreses verbo Gratia. hær. 1.

ram: atque adeo in potestate arbitrij Gratiam fore docuit. Quo manifestè supponit virtutem se

Dried. lib. 1. de Grat. tract. 2.

determinandi esse in ipsa voluntate: nec ei ab aliqua præuia motione conferri. Secundò quia Au-

Ibid.

Bellarm. l. 1. de Grat. & lib. arbit. c. 30.

gustinus vult vt Gratia efficax sit necessaria ex vitio naturæ, & ex meritis Christi sanantis vitiatam naturam: nullâ ratione debitam naturæ, neque instar concursus naturalis dati ad operandum: sed beneficij supernaturalis ex altiore causa collati naturæ ad reponendã eam in statu supernaturali: aptámq; ad supernaturales actus reddendam: Vnde duplex Gratiæ auxilium statuit, *sine quo non*, & *quo cum* fiat actus. Alterum minus, alterum maius: illud non ex meritis Christi: istud ex meritis Christi: sed vtrumque

Lib. de Dono Perseu. c. 7. & li. de Cor. & Grat. c. 11.

Lib. 4. de Ciuit. c. 26.

cum

cum effectu in suo statu : nam Angeli cum illo, *sine quo non* sunt operati : cùm *Per liberum arbitrium steterunt.* Eo autem homines in statu ruinæ non operantur, quia infirmi & vitiati peccato sunt : & *Potentiore Gratiâ indigent, quæ præbeat vires efficacissimas voluntati.* Tertiò : quia tollitur omninò istud discrimen auxiliorum. *Sine quo non.* & *Quo cum.* Inductâ istâ præuiâ & prędeterminante qualitate: nam cum ea omnino necessaria sit ad indifferentiam liberi arbitrij determinandam : semper erit necessaria eadem vis Gratiæ in omni statu; atque adeo nullum erit auxilium *sine quo non*: Sed omne & solum erit auxilium *quo*: cùm ab ipso sit operatio voluntatis. Itaq; eadem ratione necessarius erat in statu naturæ integrę, & lapsę. Quod euertit doctrinam Augustini. Quartò : quia positâ huiusmodi prędeterminante qualitate actus

Lib. de Corr. & Gr. c. 11. & 12.

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 16.

Lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12. & lib. de Dono Perseu. c. 7.

Pennotti in Propugn. l. 9. c. 13.

Diotaleu. 1. p. opusc. Theolog. a. c. 5.

Raynaud. d. 8. q. 5. a. 5. à n. 341.

Nullam in Augustino & Patribus prædeterminantis Gratiæ mentionem inueniri docet Suarez tom 1. de Grat. Prolog. 3. c. 6. nu. 13.

Vide nostram quæstionem proximam de libertate, & necessitate peccandi.

non eſt in poteſtate voluntatis: cùm ab alio quam à ſua virtute determinetur: atque adeo ab ea voluntas neceſſitatur. Vnde ſequitur, non eſſe propriæ voluntatis *conſentire, vel diſſentire.* Quod omnino Auguſtinus requirit: cum admiſſâ motione, & impulſu Gratię ait, lib. de Spir. & lit. c. 34. *Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire, propria voluntatis eſt.*

THESIS LXVIII.

Gratia efficacia non in congruitate illâ ſumptâ ex circunſtantiis & reſpectu ad voluntatem opportunè vocatam conſiſtit.

COnſtat in doctrina Auguſtini. Primo quia Auguſtinus docet Gratiam ex ſe & ſuapte virtute efficacem eſſe, & præbere vires efficaciſſimas voluntati. Quod non habet Gratia illa

Vide Theſ. 51. & 53. & 56.

Hæc eſt doctrina D. Thom. 1. 2. q. 111. & 3. contr. Gent. c. 70. & 88. Et Proſper. cont.

Epiſt. 107. lib. 4. ad Boniſ. c. 6. lib. de Grat. & lib. arb. c. 16. & 17.

X

congruitatis. Secundò: quia Augustinus ponit Gratiam sanantem & medicinalem, atque adeo potentiorem Gratiâ integrę naturę: at vero hæc Gratia congrua supponit naturam valentem & integram, vti erat ante peccatum, quandoquidem cum concomitante tantùm Gratiæ auxilio operatur. Tertiò: quia euacuat virtutem Crucis, cui debetur auxilium potentius, quàm erat illud integræ naturę, quod non erat in Augustini sententia Crucis effectus. Quartò quia Augustinus ex Paulo vult, vt ratio discernendi non sit ex voluntate, sed ex Gratia: aliter vero esset, si congrua tantum gratia esset, cùm à voluntate Gratia traheretur; & in effectum poneretur. Quintò quia illa proportio ad voluntatem, inuoluit quendam respectum ad naturam aptã & idoneam ex se ad tribuendam Gratiæ efficaciam, quod est inf-

lib. de Cor. & Grat. c. 12. Lib. de Nat. & Grat. c. 10. 21. 23. 34. 50. 55. lib. de perf. iust. c. 2. 3. 4. lib. de Nat. & Grat. c. 53. & 54. & lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12. Lib. de Grat. & lib. arb. c. 6. lib. de Prædest. Sanct. c. 5. lib. 2. ad Bonif. c. 9. & lib. 4. c. 6. lib. de Gr. Chr. c. 24. in Psal. 34. lib. 1. ad Simp. q. 2. Lib. de Prædest. Sanct. c. 8. Lib. de Grat. & lib. arb. c. 7. Lib. de Præd. Sa. c. 11. tr. 29.

Collator. c. 1. & Fulgent. l. 1. ad Mon.

Stapleton. l. 4. de Iust. mult. capit.

Vide Aluarez. De Auxil. d. 73. d. 85. & 86. & 95. ad 103. & in Concordia.

Zumel. de volunt. & Grat. & lib. arb. disc. 5 2. & in var. fol. 159. & 1. p. q. 27. a. 3. d. 2.

tiale quiddam in voluntate ad merendum ponere, & subtiliter Gratię detrahere, quod est Augustini doctrinæ contrarium. Sextò, quia eâ ratione operandi non esset verum illud Pauli celebratum ab Augustino, *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Cum æquè saltem dici posset, *Est miserentis Dei, & currentis & volentis hominis.* Imo viceuersâ meliùs diceretur: *Non est miserentis Dei, sed volentis & currentis hominis*: nam nisi Gratia inueniret voluntatẽ aptã eamq; sequeretur non sortiretur effectum. Septimò: quia illa sententia supponit nescio quid congruum in voluntate ante Gratiã, ratione cuius posset ea magis illi, quam illi tribui, nam cùm tribuatur propter effectum, est maior ratio dandi, vbi est quiddam congruum ad effectum. Quod quàm sit ab Augustini mente alienũ, nemo nón videt. Octauò,

quia

In Ioan. Lib. 2. ad Bonif. c. 9. In Ench. c. 3. In Ps. 70. Lib. de Grat. & lib. arb. c. 17.

Dried. de Captiu. & Redempt. Gen. hum. tr. 6. c. 2. præcipuè in 2. p. fol. 151. vsque ad 54.

Franciscus à Christo Augustin. in 1. d. 39. de Diuin. Prouid. & 1. d. 40. & 41.

Cosm. Philiarch. quæst. de Causa Prædest. c. 11. ad 15. & li. 3. de dogmat. Fid. c. 24.

quia priores partes meriti, Augustinus Gratię solet tribuere, adeo, vt totam rationem merendi attribuat Deo, cùm tamen admittat libertatem in voluntate cooperante: atqui stante illâ congruæ Gratiæ ratione primas sibi in merito voluntas vendicat: atque adeo erit vnicuique locus sibi ex operatione blandiendi, de eaque gloriandi, contra quam ex Paulo Augustinus docet. Nonò: quia apud Augustinum Gratia efficax consistit in *delectatione victrici*, quę tamen Gratiæ victoria nulla erit, si nihil sit in voluntate vincendum: imo victrix erit dicenda voluntas, cuius ratione Gratia sortitur effectum. Decimò: quia, Gratiæ summa est penes Augustinum & dignitas, & potestas in voluntatem: apud quem hęc omnino ductum Gratiæ sequitur cùm tracta veniat, & vocata respondeat insinuanti. Cui sanè dignitati & [illegible]

Toletus Annot. 54. in cap. 5 Lucæ.

Lib. de Cor. & Grat. c. 8. 12. & 13. Epist. 105. lib. 2. li. 2. de peccat. mer. & rem. c. 19.

Capreol. in 2. dist. 28. qu. ad 12.

Caietan. 1. p. q. 22.

Ferrar. 1. cont. Gent. c. 8.

Conrad. 1. 2. qu. 10

Cabeźudo 3. p. q. 12 a. 5. q. sua 2.

Lib. 4. ad Bonif. c. 3. Lib. de Grat. & lib. li. arb. c. 5. Serm. 4. de verb. Apost.

Pet. not. lib. 9. Pro. pug. c. 7. & 8. & sequentibus.

perio detrahitur, si Gratia sit in potestate voluntatis, si eius nutum ita sequatur, vt expectet eius consensum, & ad illum accommodet sese, nec quicquam nisi ex illius imperio agat, tanquam pedisequa voluntatis. Vndecimò: quia hoc modo congruitatis, Gratia reponitur in statu concursus ordinarij, vnde fit, vt tam sit potens voluntas ad actum naturalem, atque actum supernaturalem: quod longe abest à mente & doctrina Augustini. Et confirmatur: quia tunc erit voluntas causa & ratio maioris intentionis actus supernaturalis, datâ enim Gratiâ remissâ non erit vnde fiat actus intensus nisi ex conatu voluntatis: eique non modo operatio, sed perfectio supernaturalis operationis tribuetur. Duodecimò: quia tota ratio prædestinandi ab Augustino tradita, inductâ congruitate corruit; cùm ex nobis incipiat ratio

Vide Concil. Senonense in Decret. Fidei. c. 5. & Coloniense 1. p. 7. c. 32.

Lib. 1. ad Bonifac. c. 19.

Lege infra D. Gregorium a. 1. Et D. Bernard. in principio & fine tractatus.

Lib. de Prædest. Sanct. c. 10. Epist. 105. lib. 5. cōtra Iu-

lian. c. 4. lib. 4. ad Bonif. c. 6. Lib. 1. Retr. c. 9.

discernendi & prædestinandi: neque iam sit quid ex misericordia veniat, quid ex iudicio: cum Deus nihil omnino, nisi ex præuisione nostrorum meritorum decernat, agátque, imo & tota eius Diuinæ Prouidentiæ ratio ex nostra voluntate sumatur: nec homines ductum Dei, sed Deus hominum ductum sequatur.

Tertiodecimò: quia hoc pacto minuitur dependentia quam habemus à Deo, & fiducia in eius bonitate, & augetur præsumptio nostra, & auferuntur humilitatis Christianæ fundamenta, quibus nititur Pauli, & Augustini doctrina: neque tam rogandus est Deus, vt nobis det Gratiam, quam nos ipsi rogandi, vt Gratiæ tribuamus effectum.

Lib. 14. de Ciui. c. 11. Serm. 11. de Verb. Apost.

Quartodecimò: quia videmus sæpè multos vocari, & conuerti peccatores in ipso æstu & feruore peccandi; & iustos interdum non respondere Gratiæ in summâ pace

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 5. Lib. 1. ad Bonifac. c. 19.

vitiorum: ecquis vero dicat id ex proportione voluntatum oriri? non ex misericordia & iudicio Dei? Sanè cùm vocatus est, conuersúsque Saulus, congruam eius voluntatem non fuisse, sed redditam à Gratiâ efficacissima congruam, tractámque à Gratia flectente, & vincente Augustinus affirmat. Quintodecimò: quia spectatâ infirmitate & pronitate ad malum voluntatis nostræ, si tantùm detur illa Gratia ex se indifferens, & quasi subordinata voluntati, nullâ ratione benè operabitur: vincente cupidine, & trahente in peccatum: vti apparet in Adamo, qui in beatitate illa corporis & animi constitutus eo adiutus auxilio peccauit. Quantò nos igitur certius miseri homines iusta tu ruinæ lapsantes, & vulnerata vix membra colligentes eo tantùm oblato ordinario auxilio, nec sanante antecedenter, nec ro-

Lib. de Cor. & Grat. c. 11. 12. & 13. In Ps. 70. Lib. de perf. iust. c. 4. Lib. 1. ad Simp. q. 2. Lib. de Nat. & Gr. c. 22. In Epist. Prosp. & Hilar. ad Augustin.

roborante, nec ſtatuente, nec mouente, in culpas, peccatáque ruemus? Sextodecimò: quia ex ſententia Auguſtini conſultum eſt maximè Gratiæ virtuti & dignitati, vnde aliqui libertati timuerunt. At verò de congruitate Gratiæ opinio libertati maximè conſulit, adeovt nihil ex ea timendum ſit libertati, imo contrà Gratiæ virtuti & dignitati.

Vide Epiſtol. Proſp. & Hilar. ad Auguſti.

THESIS LXIX.

In explicatione Theſium 52. & 53. continetur.

IN quibus loci *de victrici delectatione* non pauci proponuntur. Adiicio proprios duos: ad ſecundam partem concluſionis confirmandam. Lib. de Spir. & lit. c. 15. *Spiritu Domini fit vt non peccare delectet.* Et c. 29. *Inſpiratâ Gratiæ ſuauitate facit plus delectare quod præcipit, quàm de-*

Vide pro hac doctrina Vaſquez. in 1. part. d. 98.

Et Pennot. in Propugn. l. 9.

lectat quod impedit. Et Serm. 29. *Inspirando virtutem, dando menti cælestem delectationem, qua omnis terrena delectatio superetur.* Et lib. sexto de Musica. *Non enim amor temporalium rerum expugnaretur nisi suauitate æternarum.* Et Serm. 17. de verb. Apost. *Decertant in te duæ delectationes*, tum addit inferius: *Præponite delectationi carnis, delectationem mentis.* Et lib. secundo imperf. oper. contra Iulian. *Insuper donat Deus, vt delectatio peccati iustitiæ delectatione vincatur.*

Vide infra in D. Gregorio Magno art. 5.

THESIS LXX.

Gratia antecedenter, & physicè mouet, & inclinat suauiter quin determinet.

Hâc etiam 71. & 73. licet paulò explicatiùs proposita continentur.

EX iis quæ diximus in quæstione 1. de libertate & potestate in actus liberos voluntatis: & ex Thesium proximarum doctrina de ratione Gratiæ efficacis, constat: eam delectando mouere, ac ita mouere, vt cùm motus sit delectabilis, sit maximè voluntarius & in potestate voluntatis. Vnde sequitur agere voluntatem trahendo in actum & illiciendo, inclinando, non determinando: Si enim determinaret voluntatem cùm sit principiũ ab extrinseco & supernaturale necessitaret voluntatem. Inclinat ergo, & mouet suauiter, facítque vt se voluntas cum ea semper iuuante determinet: ita vt in puncto determinationis delectata victrice Gratiâ voluntas, quia sic delectatur, eliciat actum: vt ratio eliciendi sit Gratia, & ita sit, vt nihil diminuat de potestate voluntatis: constétque dignitas &

Tenet expressè Didac. Ruiz. Montoya. De Prouid. d. 24. s. 4. nu. 11.

Roffens. a. 36. contra Luther. Tapper a. 7. cont. eund. Pigh. l. 7. & 8. de lib. arb. Horant. li. 4. locor. Cathol.

Vega. l. 2. in Trid. a. c. 12. & qu. 11. de iustif.

Pennottus in Propugn. lib. 9.

virtus Gratiæ in mouendo, & voluntatis in determinando. Hęc vero doctrina illo Augustini celebri principio nititur: in omni actione voluntatis *delectationem* esse rationem operandi. Quare in vtramque partem, siue ad vitium, siue ad virtutem *delectatio* valet. De quo multa iàm diximus: & illud tamen adducimus ex lib. 1. ad Simpl. qu. 2. *Quis autem animo amplectatur aliquid quod eum non delectat?* Et infrà. *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrat quod delectet atque inuitet animũ, moueri nullo pacto potest.* Hinc illud. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Et aliud. *Ratio nostra deduci ad contentionem peccati non potest, nisi cum delectatio mota fuerit.* Igitur vti nemo erit qui dicat Concupiscentiam cum peccamus, determinare voluntatem delectando, sed tantum inclinare & mouere: Ita nemo authot fuerit Gratiam suauitate suà tra-

Malder. 1. 2. q. 111. a. 3. dub. 13.

Suar. de Auxil. lib. 2. & 3.

D. Bernard. Serm. 21. in Cant.

Et Serm. 2. Exhort. ad Frat.

Ibid.

Lib. 2. de Gen. contr. Manich. c. 14.

Et lib. 22. cont. Faustum c. 28. & in Enchir. c. 24. Et lib. 22. de Ciuit. c. 30.

trahendo, & mouendo, determinare voluntatem: ſed ducere, & inclinare. Itaque Auguſtinus cum ſępiſſimè de motu & impulſu Gratiæ agat; & aliis atque aliis verbis eius virtutem ſignificet, nunquam vtitur verbo *Determinare*, vel ęquipollente: ſed ſemper reſeruat locum poteſtati liberæ voluntatis. Etſi vero non neget difficile eſſe cum Efficaci Gratia libertatem componere, quo indicare videtur trahi à Gratia voluntatem, non ideo tamen ad determinationem trahendum: nam ad id ſatis eſt quod Gratia antecędenter, & ſûaptè virtute moueat voluntatem, & inclinet ad rectè operandum: & inclinando faciat ſuauiter operari. Id autem quomodo poſſit fieri ſine determinatione voluntatis non facilè perſpicitur.

Auguſtinus lib. de Grat. Chr. c. 47. l. 2. de peccat. mer. & rem. c. 18. & Epiſt. 2. ad Valentin. & Epiſt. 105. & lib. de Prædeſt. Sanct. c. 14.

THESIS LXXII.

Acceptâ Gratiâ Efficaci ac hac voluntas potest aut sustinere actum, aut oppositum efficere.

HOC ex traditâ proximè doctrina sequitur: & est omnino Augustinianum. Nam cùm motio Gratiæ fiat delectando, & trahendo, & inclinando voluntatem, non prędeterminando: manet actus ille in potestate voluntatis: atque vti est illius domina cùm se determinat: ita potest cooperari, aut non cooperari determinando: imo & elicito iam liberè actu, potest ab eo cessare, & oppositum, si velit, agere: cùm determinatio libera fuerit, & libera illa in actu permansio. Audiamus in hanc sententiam Augustinum lib. de Spir. & lit. c. 34. *Visorum suasionibus agit Deus, ait velimus, & vt credamus*; &c. *Sed consentire vel dissentire propria voluntatis est.*

Ita Concil. Trident. Sess. 6. Can. 4. & c. 5. Et Conc. Senonense. Decreto Fidei 15. *Nec tale, inquit, est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Idem habetur in Concil. Coloniensi de Sacramento Pœnit.

August. expressè l. 2. cont. lit. Petil. c. 84. & tr. 26. & 29. in Ioannem: & li. 1. ad Bonif. c. 18. 19. 20.

Lib. de Spir. & lit. c. 34.

THESIS lxxiv. & lxxv.

SAtis & per ſe patent, & in proximis Theſibus explicantur. Itaque ſententia Auguſtini germana, media eſt inter vtraſque de Prædeterminatione & Congruitate ſibi extremè oppoſitas ſententias.

THESIS lxxvi. & lxxvii.

De Adiutorio Gratiæ, ſine quo proprio ſtatus Innocentiæ, & quo proprio ſtatus ruinæ.

REcepta & celebris Auguſtini doctrina eſt vtrumque pro ratione ſtatuum diſtinguentus: nec in iis explicandis opus eſt morari: cùm ſatis Auguſtinus ipſe diſtinxerit, & formarit, & illuſtrarit: Præcipuè lib. de Cor. & Grat. locis citatis. Rationem diſtinctionis adhibemus in The-

ſibus. Et tradit Auguſtinus cum in aliis, tum iis de Corr. & Grat. adductis locis. Tria in his Theſibus probanda. Primùm in ſtatu integritatis neceſſariam prorſus fuiſſe Gratiam ad benè operandum, & merendum: vt quanquam libero arbitrio tribueretur opus, quòd Gratiâ pro libito vteretur, ſine eâ tamen nec rectè poſſet agere, nec mereri. Ita Auguſtinus lib. de Corr. & Grat. c. 11. Propoſita Adami in ſtatu integro beatitate. *Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, ſed diſparem.* Et cuiuſmodi eſſet explicans: *Sanè habuit*, inquit, *in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet.* Et lib. Enchir. c. 106. cùm de immortalitate Adamo ex meritis conferenda egiſſet, ocupauit: *Quamuis ſine Gratia, nec tunc vllum meritum eſſe potuiſſet.* Adam itaque

Ita Vaſquez to. 1. in 1. part. d. 98. c. 2. à n. 6. ad fin. & Didac. Ruiz de Montoya to. de Prouid. tr. 4. d. 43. ſ. 1.

Vide Aluarez d. 106. & 108.

ſtaque, ait lib.14. de Ciuit.c.27. *in eo ſtatu ſi maneret, eſſet meritum bonum habens in adiutâ Diuinitus voluntate rectâ. Is quippe*, inquit, lib.11. de Geneſ.ad lit.c.4. In poteſtate habebat *velle, adiuuante tamen illo qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Etenim *Parum*, ait in Enchir. *erat velle, niſi ille, qui eum fecerat adiuuaret.* Ergo & *ibi*, inquit lib. de Nat. & Grat. c. 48. *eſſet adiutorium Dei, & tanquam lumen oculis ſanis, quo adiuti videant ſe prabere volentibus.* Vnde conſtat eam Gratiam eſſe neceſſariam ad meritum, atque adeo ſine illa in nullo ſtatu rectè agi potuiſſe. Quanquam in integro Gratia ita in poteſtate voluntatis eſſet, vt eâ ad libitum vteretur, quia etſi *ſine illo non poſſet perſeuerare, ſi vellet, non tamen erat tale, quo in homine Deus operaretur vt vellet.* At verò in ſtatu ruinæ, *Potentiore Gratiâ opus*

Lib. de Corr. & Gr. c. 11.

Bb

erat. Nam *secunda plus potest, qua etiam fit ut velit; & tantum velit, tantóque ardore diligat, ut carnis voluntatē voluntate Spiritus vincat. Hæc autem tantò maior est: ut parum sit homini per illā reparare perditam libertatem, parū sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur, ut velit.* Sanè: *Nunc postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.* Hæc verò Gratia in statu ruinæ est omnino Gratia Christi. Alia vero non erat Gratia Christi vti probauimus Thesi 3. Quod autem Augustinus ita loquatur de his Gratiis, perindè ac in sola perseuerantia versentur. Idcircò est, quia supposito quòd Angeli, & Adam fuerunt in Gratia creati, non potuerunt eam Gratiam mereri; sed tantùm perseuerare in illo statu

Vide Theodor Smising. t. 3. d. 9. qu. 10. à nu. 669.

Malder. 1. 2. q. 111. a. 3. dub. 11.
Vasquez 1. 2. d. 185. c. 11. & 12.
Montoya de Prouid. d. 43. & de Prædest. d. 30. 54.

iam accepto, & illum meritis ex Gratia retinere. Vnde omnes & singuli actus erant Perseuerantiæ in bono: sed actus singulares qui cum auxilio Gratiæ fiebant. Atque adeo minor ad perseuerandum Gratia necessaria erat, quàm nunc in statu naturæ lapsæ; cùm amisso illo statu rectitudinis prostrata natura erigenda: vulnerata sananda: debilitata confirmanda: & postquam vel baptismate acceperit, vel postea meritis receperit Gratiam, in tantis concupiscentiæ ardoribus, & tentationum periculis difficilè Gratia retinenda: vt qui erecti, & integri facile perseuerare possent: lapsi, in accepta Gratia non possent nisi cum magna difficultate consistere. Hinc patet veritas Thesis lxxviii. Nam si Adam cum illo adiutorio *sine quo* in tanta Pace & tranquillitate animi, & status beatitate non perseuerauit: qui possit homo lapsus in

Vide Albert. Pigh. l. 4. de lib. arb.

Horant. l. 1. contr. Caluin. c. 59.

Pennottum lib. 9.

Bellarmin. in Præfat. de lib. arb.

tanta discordia, ac tempestate affectuum, efferuescente tot libidinum æstu, tantis in ardoribus concupiscentiæ, illo tantùm adiutus inefficacis Gratiæ auxilio rectè operari? quemadmodum anteà ad Thesim 18. diximus. *Maior enim*, Augustino authore, *libertas est necessaria aduersus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt dono perseuerantiæ munita, atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Tantum igitur Spiritu sancto accenditur voluntas eorum vt ideò possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint: nam si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo*

Zumel. in var. d. 5. concl. 2.

Aluar. de auxil. à. d. 95. ad 103.

lib. de Corr. & Grat. c. 12.

Bañez 1. p. q. 23. a. 3.

Mendoçam in suis controuers. Theolog. q. 1. Scholast.

Estium in 1. dist. 41. §. 8.

ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt possent. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt Diuina Gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, nec aduersitate aliquâ vinceretur. Sed de his in propria quæstione tertia latè diximus.

Ac ex harum Thesium explicatione doctrina conclusionis lxviij. planè constat.

THESIS LXXIX.

Hominum quidam sunt, quibus nulla omninò Gratia datur: quidam quibus sola inefficax: quidam quibus & inefficax & efficax temporaria, & sine dono perseuerantiæ: alij quibus datur Gratia efficax cũ perseuerantia.

QVoad primam partem probata est in Thesibus 14. 15. 58. 59. 60. Quoad secundam probatur eo loco. *Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet: illum tantum, illum non tantum, istum illo, illum isto modo, &c.* Reliquæ ita confirmantur. Primum ex illo loco de Cor. & Grat. c. 13. *Hi ergo, qui non pertinent ad istum certissimum, & felicissimum numerum pro meritis iustissime iudicantur: aut enim iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt, &c. Aut Gratiam Dei suscipiunt: sed temporales sunt, nec perseuerant, deserunt & deseruntur.* ⋆ *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam prædestinatus donatâ sibi etiam vsque in finem perseuerantiâ illuc integer perducetur, & illic integerrimus*

Lib. de Corr. & Grat. 13.

Pennottus in Propugn. lib. 9.

Trigos. sup. Bonauent. 1. p. q. 14. & 15. & 48.

iam sine fine beatißimus seruabitur, adhærente sibi misericordiâ Saluatoris, siue cùm conuertuntur, siue cùm præliantur, siue cùm coronantur. Deinde alio loco lib. de Dono Perseu. c. 22. *Ita se habet de Prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex infidelitate acceptâ voluntate obediendi conuertantur ad Fidem, vel perseuerent in Fide; cæteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideo non surrexerunt, quia non dum eos adiutorium Gratiæ miserantis erexit, &c. Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt: nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt.*

Lib. de Dono Perseu. c. 22.

Didacus Alarço non improbat sententiam negantem multis, item adultis, auxilium omne sufficiens. 1. p. tract. 3. d. 6. c. 3.

Bañez. 1. 2. q. 111.

Zumel. in var. d. 3.

Aluar. de auxil. à d. 90. ad 95.

Theses duodecim ab 80. vsque ad 92. in quibus tota de libertate ac necessitate actuum voluntatis doctrina proponitur, speciali quæstione ad id eo sub titulo

institutâ, omnino exactè continentur.

THESES 92. 93. 94.

Eiusdem doctrinæ sunt: & in eadem induratione versantur. Illas eodem filo oportet ducere, & vna ratiocinatione explicare.

DVÆ partes sunt. Prima: indurationem plus esse, quam simplicem permissionem peccati, atque adeo pœnam & supplicium peccati antecedentis. Id sæpè docet Augustinus. Ille capitalis est locus. l. 5. ad Iulian. c. 3. vbi sic. *Nonnulla esse peccata, quæ pœnæ sint peccatorum verissimum inuenitur. Ita Paulus Rom. 1. Propter hoc tradidit illos in passiones ignominiæ: Propter hoc tradidit, propter hoc deseruit. Mercedemque vocauit. Mercedem mutuam dicit accepisse damnatos, vt tanta operarentur mala, & tamen ista*

Ita cum Augustino Driedo de Concord. c. 1. & vlt. Et lib. de capt. & redempt. tr. 5. c. 4.

Lib. 5. ad Iulian. c. 3.

Canus de locis. Theolog. c. 4. & 7.

Suarez in opuscul. l. 2. c. 3.

ista damnatio, & reatus est, quo grauius implicantur. Et vides causam propter quam traditi sunt. Dixit quippe quid mali antea fecissent, & adiunxit. Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum. Fit igitur peccatum consequens pœna peccati. Vnde fit homo reus, cedit, consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur. Et paulò post: *Occulto Dei iudicio fit peruersitas cordis, vt inde peccetur.* Illud clarius est. *In quibus liquidò apparet iusto Dei iudicio fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur, quod verum dicitur, & inde peccetur, & fit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati.* Aliud non minus manifestum: *Cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum dignâ animaduersione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Hinc tract.

Vasquez 1. p. d. 95. c. 10.

Smising. tract 3. d. 3. qu. 3.

Ibid.

erat. Nam *secunda plus potest, qua etiam fit vt velit; & tantum velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatē voluntate Spiritus vincat. Hæc autem tantò maior est: vt parum sit homini per illā reparare perditam libertatem, parū sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur, vt velit.* Sanè: *Nunc postea quàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.* Hæc verò Gratia in statu ruinæ est omnino Gratia Christi. Alia vero non erat Gratia Christi vti probauimus Thesi 3. Quod autem Augustinus ita loquatur de his Gratiis, perindè ac in sola perseuerantia versentur. Idcircò est, quia supposito quòd Angeli, & Adam fuerunt in Gratia creati, non potuerunt eam Gratiam mereri; sed tantùm perseuerare in illo statu

Vide Theodor Smising. tr. 3. d. 9. qu. 10. à nu. 669.

Malder. 1. 2. q. 111. a. 3 dub. 11. Vasquez 1. 2. d. 185. c. 11. & 12. Montoya de Prouid. d. 43. & de Prædest. d. 30. 54.

iam accepto, & illum meritis ex Gratia retinere. Vnde omnes & singuli actus erant Perseuerantiæ in bono: sed actus singulares qui cum auxilio Gratiæ fiebant. Atque adeo minor ad perseuerandum Gratia necessaria erat, quàm nunc in statu naturæ lapsæ; cùm amisso illo statu rectitudinis prostrata natura erigenda: vulnerata sananda: debilitata confirmanda: & postquam vel baptismate acceperit, vel postea meritis receperit Gratiam, in tantis concupiscentiæ ardoribus, & tentationum periculis difficilè Gratia retinenda: vt qui erecti, & integri facile perseuerare possent: lapsi, in accepta Gratia non possent nisi cum magna difficultate consistere. Hinc patet veritas Thesis lxxviii. Nam si Adam cum illo adiutorio *sine quo* in tanta Pace & tranquillitate animi, & status beatitate non perseuerauit: qui possit homo lapsus in

Vide Albert. Pigh. l. 4. de lib. arb.

Horant. l. 1. contr. Caluin. c. 53.

Pennottum lib. 9.

Bellarmin. in Præfat. de lib. arb.

tanta diſcordia, ac tempeſtate affectuum, efferueſcente tot libidinum æſtu, tantis in ardoribus concupiſcentiæ, illo tantùm adiutus inefficacis Gratiæ auxilio rectè operari? quemadmodum anteà ad Theſim 18. diximus. *Maior enim*, Auguſtino authore, *libertas eſt neceſſaria aduerſus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt dono perſeuerantiæ munita, atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus. Tantum igitur Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum vt ideò poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur, vt velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei ſine quo perſeuerare non poſſent manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, &* *ideo*

Zumel. in var. d. 5. concl. 2.

Aluar. de auxil. d. d. 95. ad 103.

lib. de Corr. & Grat. c. 12.

Bañez 1. p. q. 23. a. 3.

Mendoçam in ſuis controuerſ. Theolog. q. 1. Scholaſt.

Eſtium in 1. diſt. 41. §. 8.

ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt possent. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Diuina Gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, nec aduersitate aliquâ vinceretur. Sed de his in propria quæstione tertia latè diximus.

Ac ex harum Thesium explicatione doctrina conclusionis lxviij. planè constat.

THESIS LXXIX.

Hominum quidam sunt, quibus nulla omninò Gratia datur: quidam quibus sola inefficax: quidam quibus & inefficax & efficax temporaria, & sine dono perseuerantiæ: alij quibus datur Gratia efficax cũ perseuerantia.

QVoad primam partem probata est in Thesibus 14. 15. 58. 59. 60. Quoad secundam probatur eo loco. *Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet: illum tantum, illum non tantum, istum illo, illum isto modo, &c.* Reliquæ ita confirmantur. Primum ex illo loco de Cor. & Grat. c. 13. *Hi ergo, qui non pertinent ad istum certissimum, & felicissimum numerum pro meritis iustissime iudicantur: aut enim iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia insuper ad iderunt, &c. Aut Gratiam Dei suscipiunt: sed temporales sunt, nec perseuerant, deserunt & deseruntur.* ⋆ *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam prædestinatus donatâ sibi etiam vsque in finem perseuerantiâ illuc integer perducetur, & illic integerrimus*

Lib. de Corr. & Grat. 13.

Pennottus in Propugn. lib. 9.

Trigos. sup. Bonauent. 1. p. q. 14. & 15. & 18.

iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordiâ Saluatoris, siue cùm conuertuntur, siue cùm præliantur, siue cùm coronantur. Deinde alio loco lib. de Dono Perseu. c. 22. *Ita se habet de Prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex infidelitate acceptâ voluntate obediendi conuertantur ad Fidem, vel perseuerent in Fide; cæteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideo non surrexerunt, quia non dum eos adiutorium Gratiæ miserantis erexit, &c. Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt: nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt.*

Lib. de Dono Perseu. c. 22.

Didacus Alarco non improbat sententiam negantem multis, itemadultis, auxilium omne sufficiens. 1. p. tract. 3. d. 6. c. 3.

Bañez. 1. 2. q. 111.

Zumel. in var. d. 3.

Aluar. de auxil. à d. 90. ad 95.

Theses duodecim ab 80. vsque ad 92. in quibus tota de libertate ac necessitate actuum voluntatis doctrina proponitur, speciali quæstione ad id eo sub titulo

ista damnatio, & reatus est, quo grauius implicantur. Et vides causam propter quam traditi sunt. Dixit quippe quid mali antea fecissent, & adiunxit. Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum. Fit igitur peccatum consequens pœna peccati. Vnde fit homo reus, cedit, consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur. Et paulò post: *Occulto Dei iudicio fit peruersitas cordis, vt inde peccetur.* Illud clarius est. *In quibus liquidò apparet iusto Dei iudicio fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur, quod verum dicitur, & inde peccetur, & fit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati.* Aliud non minus manifestum: *Cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum dignâ animaduersione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Hinc tract.

Vasquez 1. p. d. 95. c. 10.

Smising. tract 3. d. 3. qu. 3.

Ibid.

in Expoſ. Epiſt. ad Rom. nu. 62. *Obdurans deſerendo vt malè operentur.* Et quæſt. 14. in Matth. *Cogimur fateri, eos aliis quibuſdã peccatis ita excæcari meruiſſe, qua tamen excæcatione non potuerunt credere.* Et infra. *Credere non poterant, quia excæcati erant.* Claudat lib. contr. Aduerſar. Legis & Prophetarum. *Ille igitur qui ſecundum Apoſtolicam ſententiam. Cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat, procul dubio, quem vult illuminat, & quem vult excæcat.*

Tract. in Expoſ. Epiſt. ad Roman. q. 14. in Math.

Lib. cont. aduer. leg. & Proph.

Quòd autem non ſolum per Patientiam, ſed etiam per potentiam induret, manifeſtè Auguſtinus lib. 5. contra Iulian. c. 3. vbi docet: non permiſſionis ſolùm eſſe, aut Patientiæ, ſed etiam Potentiæ Diuinæ indurationem Peccatoris. *Quid eſt autem,* inquit, *quod dicis, quòd cum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per Diuinam Patientiam intelligendi*

Lib. 2. cont. Iulian. c. 3.

ſunt, non per Potentiam in peccata compulſi? Quaſi non ſimul hæc duo poſuerit Apoſtolus, & Patientiam & Potentiam, vbi ait ad Roman. 9. Sic autem volens Deus oſtendere iram, &c. Et lib. de Grat. & lib. arb. c. 21. *Operatur*, inquit, *Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntatis quocumque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique ſuo aliquando occulto: ſemper autem iuſto.* Quomodo autem per Potentiam induret: aliàs dicemus in noſtro Auguſtino vindicato: interim ſufficiat citari ſuper hac re à nobis Conimbricæ dictata vbi quatuor modos attulimus ex Auguſtino: ac ſuos ſingulis Patronos dedimus. Qua de re item multa ad quæſtiones noſtras Euangelicas: quæ cito lucem videbunt, diſceptauimus.

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 31.

THESIS XCV.

Astruens meritum quod appellant de congruo.

HAbetur confirmata secundâ quæstione de necessitate Gratiæ art. 4. ex multis locis Augustini: & qui cum illius generis meriti Authorem tradunt diligenter Scholastici Scriptores citati. Quicquid reclamet Sotus lib. 2. de Nat. & Grat. c. 4. Sanè Pelagiani id genus meriti ante Gratiam, sed in natura ponebant. Quod à natura Augustinus ad inchoatam Gratiam, & Fidem reuocabat. Vti nos diximus & docet Suarez to. 3. de Grat. c. 32. & alij quos dedimus. Vnum pro huiusmodi merito locum adduxerim. Ex Epist. 105. *Nec ipsa remißio Peccatorum, sine aliquo merito est, si Fides hanc impetrat: nec enim nullum est meritum*

Consentit Vasquez 1. 2. d. 218. c. 3.

Sm sing. tr. 3. d. 6. qu. 6.

Quæst. nostra 2. de necess. Grat. a. 4.

Ep. 105.

tum Fidei, qua Fide ille dicebat Deus propitius esto mihi peccatori: & descendit iustificatus merito fidelis humilitatis. Restat igitur vt ipsam Fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur tribuamus arbitrio, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si Gratiam veram, id est sine meritis cogitamus. Atque de hoc merito Fidei inchoato, quod iustificationem antecedit, loquitur Augustinus Epist. 89. & 106. & lib. 1. ad Simpl. qu. 2. & lib. 1. contr. 2. Epist. Pelagian. c. 17. & tract. 44. in Ioan. & lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 17. & lib. 4. contra Iulian. c. 3. & li. 1. Retract. c. 9. & 23. & in libro de Prædest. Sanct. frequenter. Itaque rem meriti de congruo tenemus, vocabulum tantùm desideramus.

THESIS XCVI.

Infantes in Originali decedentes, damnandi, sed in mitißimâ tamen pœna futuri.

Hæc est doctrina Concilij Florent. Session. vlt. & Fulgent. l. de Fide ad Petrum. c. 27. & lib. de Incarn. c. 30. & Anselm. l. de Concept. Virg. c. 21. & Author. Hippogn. l. 5. post med.

OMninò Augustini est: qui inter dextram & sinistram in iudicio locum medium nullum agnoscit. Qui sinistram locum damnatorum docet: qui damnationem cum Pœna ignis coniunctam tradit. Quare cum hosce Infantes in sinistra locet, eos Pœnis æternæ damnationis reseruat, sed pro peccato tamen non actu commisso, sed ex origine contracto mitissimis puniendos. Non oportet accumulare sententias. Vnus Sermo 14. de Verb. Apost. rem continet, ac exhaurit. *Venturus est*, ait, *Dominus, & iudicaturus de viuis & mortuis. Duas partes facturus est. Dextram & sinistram. Sinistris*

Serm. 14. de verb. Apost.

dicturus : Ite in ignem æternum, &c. Dextris dicturus: Venite benedicti, &c. Mox. *Nullus relictus est medius locus vbi ponere queas infantes.* Deinde. *Ecce in dextra regnum Cœlorum.* Tum. *Quid erit in sinistra? ite in ignem æternum. Qui non in Regno, procul dubio in ignem æternum.* Addit. *Tunc abibunt isti in combustionem æternam.* Concludit: *Ecce exposuit tibi quid sit Regnum, & quid ignis æternus: vt quando confiteris paruulum non futurum in Regno: fatearis futurum in ignem æternum.* Fore autem istam pœnam omnium mitissimam docet lib. 1. de Peccat. mer, & rem, c. 16. *Potest proinde rectè dici paruulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros.* Eadem phrasi vtitur in Enchir. c. 93. & l. 3. de lib. arb. c. 23. & l. 5. cont. Iulian. c. 8.

Eandem sententiam expressè tradit D. Gregor. Magn. lib. 9. Moral. c. 12. ad illa verba: *Multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.* Inductâ infantium in Peccati Originali decedentium personâ, & tormenta Inferni ob id solum peccatum patientium. Vide locum: est enim elegantissimus. Sequitur Gregor. Arimin. in 1. d. 31. qu. 3. & Driedo l. 1. de Grat. c. 2. p. 5.

Lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c. 16.

Sed quoniam, ne plana esset

Regia hæc via, ſcrupulus effecit, quem vehementer aduerſarij obiiciunt: & noſtri non prorſus, opinor, auferunt. Operæpretium erit proponere, & tollere. Eſt autem locus in lib. 3. de lib. arb. c. 23. *Dicunt imperiti. Quid opus erat vt naſceretur, qui antequam iniret vllum vitæ meritum, exceſſit è vita? Aut qualis in futuro iudicio deputabitur, cui nec inter iuſtos locus eſt: quoniam nihil rectè fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccauit? Quibus reſpondetur. Ad vniuerſitatis complexum, & totius creaturæ per locos, vel per tempora ordinatiſſimam connexionem non poſſe ſuperfluò creari qualemcumque hominem, vbi folium arboris nullum ſuperfluò creatur, ſed ſanè ſuperfluo quæri de meritis eius qui nihil meruerit. Non enim metuendum eſt ne vita eſſe potuerit media quadam inter rectè factum atque peccatum, & ſententia iudicis media eſſe non poßit inter præ-*

Lib. 3. de lib. arb. c. 23.

mium atque supplicium. Ex hoc loco videtur colligi: Augustinum authorem esse status medij inter virtutem & vitium, inter Prœmium & pœnam.

Sed non ea est mens Augustini hoc loco. Qui tamen ei iam olim à Massiliensibus obiectus. Ac ex responsione lib. de Dono Perseu. c.12. colligimus nihil contra Thesim definisse: imo ex Ep. 28. constat à se ne de ea quidem re eo loco esse disputatum. Vnde aliud ibi Augustinus agebat. Sic enim in Epistola. *Non de damnatione paruulorum tunc aliquid dicendum putauit; quia non, quod nunc agitur, agebatur.* Quid ageret, exponit in loco de Dono Perseuer. *Contra quos mea dirigebatur intentio sic mihi visi sunt refellendi, vt siue pœna esset peccati originalis in paruulis, quod veritas habet; siue non esset; quod nonnulli errantes opinantur, nullo modo tamen quam Manichæorum*

error inducit duarum naturarum boni ſcilicet & malè permixtio crederetur. Ex his patet mens illius loci de libero arbitrio. Agebat Auguſtinus de naturâ ſecundum ſe ſpectata, vt eſt à Deo authore naturæ: abſtinendo à ſtatu meriti, & demeriti: pręmij & poenę: ſiſtendo in natura, à moribus præſcindendo, continendo pueros intra intra terminos purè naturales. De quibus in eo ſtatu ait condi à Deo potuiſſe in rerum vniuerſitate tanquam creaturas naturales, quin ordinarentur ad virtutem & vitium, prœmium & pœnam: nec id eſſe mirandum, cùm non eſſent in ſtatu morali, ſed naturali futuri. Qui ſtatus naturalis ſecundum ſe à moribus præſcindebat: atque adeò à prœmio pœnáque abſtinebat. Quare errare imperitos, qui illum naturæ puræ ſtatum cum ſtatu moratę naturæ confundantes, negabant fore eos in mundo, qui-

bus aut prœmium deforet, aut pœna: Nam aliud erat esse in rerum natura, aliud habere virtutes & vitia, & affici prœmio, vel pœna. Quo patet, & Augustinum abstinuisse ab huiusmodi quæstione de damnatione paruulorum: & Manichæis restitisse. Hoc enim supposito iam non erat cur mala esset natura, cùm quòd natura erat, mala esse non posset; malum enim non erat in genere moris, quod erat à stastatu illo purè naturali alienum. Is itaque me authore sensus est loci, quem alij melius explicent. Ego non potui clariùs & breuiùs. Id obiter aduerterim magnum in huiusmodi loco esse momentum ad inducendum statum puræ naturæ; sed non qualis vulgò circunfertur. De quo nos alias accurratiùs agemus.

TRES PROXIMÆ THESES XCVII. XCVIII. XCIX.

AD rationem libertatis pertinentes, in nostra quæstione de libertate & necessitate peccandi articulo vltimo statutæ & confirmatæ. Tantum hic adiicio eiusdem omnino esse sententiæ Diuum Anselmum lib. de liber. arb. c. 1. & c. 2. Et lib. Cur Deus homo? c. 10. & 17. & D. Bernard. lib. de Grat. & lib. arb. & Diuum Thomam totius Theologiæ verticem., quæst. 10. de potent. art. 2. ad 5. & illum Scholasticæ subtilitatis Apicem Scotum quodl. 16. art. 1. & 3. & in 1. & 3. & in 1. dist. 10. qu. vn. §. Ad quæstionem dico. & §. ad secundum dubium vers. Et si respondeas. & in dist. 2. qu. 7. §. Dico tum ad quęstionem. Doctrinam verò ibi à nobis ex Augustino propositam multo maiori fiduciâ tradit

tradit, & probat egregius huiusce ætatis Theologus noster Theodorus Smising, quem honoris causa inter tot Principes nomino: Cuius hęc est post longam ratiocinationem sententia. *Agens ex proposito & rationale est illud, quod natum est agere eligibiliter determinando se ipsum cum perfecta cognitione omnium in quibus est actio. Hoc autem est idem ac esse principium liberum. Si enim aliud requireretur ad liberū principium, esset indifferentia, seu contingentia ad agendum, adeóque exclusio necessitatis agendi. At hoc est falsum, quia secundum Diuum Augustinum, D. Anselmum, & D. Thomam libertas agendi stat cum agendi necessitate.* Ac tandem concludit. *Si principium sit eligibiliter à seipso determinatum ad vnum, etiam cum necessitate talis determinatio & necessitas stat cum essentiali libertate.* Nota illud *Essentiali* nō loquitur de meritoria.

Theodor. Smising. tract. vii. de Trinit. d. 3. qu. 6. nu. 321.

Idem ibid. nu. 317.

THESIS C.

Christus pro omnibus mortuus esse & dici potest & debet.

QVÆ hac in re fuerit Augustini mens, Thesis opinor exactè explicat, & nos hic dilucidè exponemus. Primùm. Pro solis Prędestinatis mortuū Christum, absolutè verum non est. Nam in Augustini doctrina constat: non solis Prędestinatis donari Fidē & Gratiam. Sed multis item Reprobis, qui Gratiam accipiunt temporariam. Quemadmodum ostendimus Thesi 79.] Imo & quibusdam prauis Christianis illustris admodum Fides & Gratia ad tempus obtingit; vti videre est in Ecclesiasticis historiis, quæ plenæ sunt casuum magnorum in omni litteraturæ, ac virtutis genere virorum, putà Origenis, & similium. Ecquis au-

Vide nostram Thesim 79.

tem dicere audeat: Illa dona supernaturalia eximia non esse effectus Crucis Christi? atque adeo mortuum pro iis hominibus Christum non esse? Itaque pro iis Reprobis qui Fidē & Gratiam acceperūt, & quibus media salutis aliqua sunt adhibita *Mortuus* omnino August. Authore dicendus est Christus. Id non aptius, vel efficacius probem, quàm exemplo Iudęorum & Iudæ. De Iudæis igitur Augustinus in Psal. 61.

In Ps. 61.

Expandens manus suas ad populum incredulum in Cruce positus Sitio dixerit, quamuis illi non hoc dederint, quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat, illi acetum dederunt.

Prosper. obiect. Vincent. 1.

Nescio an manifestius in Ioan. tract. 4. *Qui propter superbiam suam spernentes humilitatem Dei, crucifixerunt Saluatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* Puto quod qui damnator effectu, affectu Saluator fuit.

Tr. 4. in Ioan.

In Ps. 68.

De Iuda vero sic in Psal. 68.

Ita Fulgent. l. 2. de remiss. peccat. Et Epist. 7. c. 5. Leo Serm. 3. & 5.

ad fin. *Iudas traditor punitus est, & Christus crucifixus est. Sed nos redemit sanguine suo, & puniuit illum de pretio suo. Proiecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnouit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.* Hic locus sanè Achilles est. Nam Augustinus eodem verbo vsus fuit, cum dixit *Nos* & *Iudam* fuisse redemptos. Vnde si illud *nos* significat solos Electos, apparet qui pro iis mortuus est, & pro Iuda mortuum esse: nec in morte discrimen, sed in mortis fructu fuisse: Si verò eâ voce *nos*, & Electi & Reprobi simul comprehendantur, nulla quæstio est, cum & pro Reprobis mortuus sit, quibus Iudas tanquam cumulus accedit. Ita vt Iudas sit argumento, qui pro illo mortem subiit, eum & pro reliquis omnibus subiisse. Hinc est quod Augustinus illud sæpè assumit. *Peribit infirmus propter*

Epist. 15. & 137. & 180.

quem

quem Christus mortuus est. eo sensu qui admittit posse perire, & damnari. Vt Christi Passio etiam pertineat ad perituros.

Cum verò sint quidam Reprobi, quibus nulla omnino Fidei notitia, nec Gratiæ pulsus obtingit, cuiusmodi sunt Infantes non baptizati; & non pauci in altissima barbarie homines adulti ferino more viuentes, quærendum: Vtrum & pro his quoque mortuus sit Christus? Atque adeo absolutè dicendus sit *mortuus pro omnibus?* Nam vt verum fatear loci proximè adducti de Reprobis, qui Fidei Gratiæque sunt participes, agunt. De quibus non est dubium, quin à Christo Domino sint redempti: quemadmodum in Thesi docuimus. Igitur ad quos nec Fides, nec Gratia vlla peruenit: pro iis mortuus non esse Christus videbitur. Idque ex doctrina, quam ex Augustino tradidimus de voluntate

antecedente generali salutis omnium patet. Hæc quippe vti nulla esse potuit, vbi nihil posuit, ne vllus in Deo esset affectus, sine effectu: ita Christi Redemptio, vbi ne inchoata quidem redemptio fuit, vlla profecto esse non debuit. Itaque sicuti apud Augustinum illa propositio *Deus vult omnes homines saluos fieri* vniuersim de omnibus ac singulis vera non est, sed ad alios sensus coarctanda, quos attulimus ex Augustino, ita & hæc *Christus pro omnibus mortuus est*, eodem erit modo intelligenda. Quod cùm multis, tum pręcipuè expositione illius apud Augustinum Ioannis sententiæ, *Christus propitiatio est, peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed etiam totius mundi.* comprobatur. Nam eâ voce *Totius mundi.* Prædestinatorum cœtum intelligit *quem suo*, inquit, *sanguine comparauit*. Ita tr. 87. in Ioan.

1. ad Timoth. 2.

1. Ioan. 2.

& in Epist. 1. Ioan. tract. 1. & 5. & Epist. 48. Quare in Epist. ad Euodium: *Non perit, inquit, vnus ex illis pro quibus mortuus est Christus.* Nec tantùm explicando, sed & negando pro omnibus mortuum esse Christum Augustinus procedit: Ecce enim in Ioannem tract. 55. ait: *Qui ita confitetur Christum Deum, vt hominem neget, nec pro illo mortuus est Christus:* Quare si hæc vera est. *Pro aliquo non est mortuus Christus.* Illa vera esse non potest. *Pro omnibus mortuus est Christus.*

Tract. 55. in Ioan.

Verùm Authore Augustino affirmandum omnino est: Christum pro omnibus etiam Reprobis infidelibus mortuum esse: nec de huiusmodi propositione, idem ac de illa *Deus vult omnes saluos fieri* iudicandum. Augustinus enim hanc de vniuersali Dei voluntate propositionem nunquam voluit admittere: ne inanis esset in Deo, aut ficta volun-

Concil. Tridentin. ita definit. sess. 6. c. 3.

tat-

tas, quę cum omnia posset, nihil donabat. Quæ ratio negandi Augustino fuit. *Quia Omnipotens velle inaniter non potest, quodcunque voluerit.* At *Christum pro omnibus esse mortuum* nusquam omnino Augustinus inficiatus, tantùm interpretatus *mortuum esse pro Electis* fructuosè. Quia non eadem ratio erat Voluntatis Diuinæ, & Passionis & affectus humani. Poterat enim Christus velle aliquid, & pro eo pati, quin effectum sortiretur eius voluntas & passio: vti ei in horto accidit, cùm mortem horruit. Quare velle Christus potuit omnium salutem, & pro omnibus morti se offerre: nec tamen prodesse nisi iis quos Pater eligeret & designaret. Quod cùm demum Christus nollet, voluntatem suam humanam diuinæ accommodauit: itavt ex vniuersali erga omnes, particularem erga Prædestinatos efficeret. Erat

In Enchir. c. 103.

enim

enim causa mutande voluntatis. An erit qui neget Christum in horto voluisse primùm vitam conseruare, mortémque vitare, cum dixit *Transeat à me Calix iste?* Deinde aliâ voluntate Diuinę sese accommodante, eandem, quam seruare voluerat, vitam profundere voluisse? Eadem igitur ratione Christus pró omnibus se obtulit Patri, sed cùm vidisset, eum non omnes, aut eodem modo, aut eadem efficaciâ velle saluare, non aliter quàm ille voluit Passionis suæ iis merita applicauit. Id prorsus est, quod Augustinus ait tract. 12. in Ioannem; *Quantum in medico est, sanare venit ægrotum.* Et Psal. 96. De mundo loquens. *Totum*, inquit, *iudicabit, quia pro toto pretium dedit.* Igitur mens Augustini est Christum pro omnibus mortuum, cùm primùm se obtulit Patri: cùm autem vidit mortem suam ab eo pro omnibus cum

Tract. in Ioan. 12.

In Psl. 95.

effectu non acceptari, tunc iis solũ prodesse voluisse, quos Pater elegerat. Vt pro omnib⁹ affectu mori; non pro omnibus effectu mori diceretur. Exemplum est manifestũ in vno & eodẽ Iuda: Nam cum à Christo Redemptũ ait in Psal. 68. Et in symbolo ad Cathecum. c. 2. Redemptum inficiatur. Do locos. Ait in primo *Vendidit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.* Ait in secundo: *Eum vendidit, à quo redimi debuit.* Quî *redimi debuit iam redemptus?* Planè redemptus affectu Christi ex prima voluntate: non redemptus effectu ex secunda ad Prędestinatos arctatâ voluntate. Atque hac ratione cæteri loci expediuntur: qui sibi videntur opponi. Nec vero est pręter mentem Augustini explicatio. Nam is in Psal. 87. sic scribit: *Solis Prædestinatis ad æternam salutem, non autem omnibus eius, bona opera profuerunt.* Vbi apertè sensum astruxit, quo dixit. Pro so-

August. in Psal. 68. & in symb. ad Cathecum. c. 2.

In Psal. 87.

lis Prædeſtinatis mortuum eſſe, nempe ad fructum vitę æternæ. Vnde ſi exceptio, vt aiunt, firmat regulam, illud *ad æternam ſalutem* confirmat, quoad alia pro omnibus mortuum fuiſſe. Magiſtri ſui mentem omnino attigit Proſper. ad cap. Gallor. obiect. 9. aiens; *Cùm rectiſſimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione Crucifixus, poteſt tamen dici pro his tantùm Crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Idem Proſper alibi affirmat. *Penes quos proprietatem Redemptionis eſſe.* Quod ſint efficaciter & cum fructu ad vitam æternam redempti. Quare ita expoſitâ Auguſtini ſententiâ, non admodum refert: Vtrum ſit affirmandum, an negandum *mortuum pro omnibus*, modo ſano rectóque ſenſu alterutrum dicatur. Quanquam omnino rectius dicendum ſit. *Mortuum eſſe Chriſtum pro omnibus*: Idque ego propiùs & accommodatiùs ad Auguſtini men-

Proſper ad cap. Gallor. obiect. 9.

tem esse existimo; non solum propter adductas à me rationes, sed ob eam etiam capitalem: quam sic firmo. Solet Augustinus vt probet cum D. Paulo, Omnes homines in Adamo esse mortuos, vti eodem quo Paulus argumento *Christum pro mortuis mortuum esse*. Vnde concludit, Si pro mortuis mortuus est, *omnes in Adamo mortuos esse*. Quod nullatenus concluderet, si Christum non crederet pro omnibus mortuum esse. Quare terminus *Omnes* ex vtraque sibi parte respondens vniuersalis omnino est, ac neminem prorsus excludit: vt recta sit argumentatio. Nam quo pacto conuincat Augustinus *Omnes* in peccatis mortuos esse, ex eo quod Christus pro omnibus mortuus sit? Ergo cum probat, ideo mortuos esse omnes, quia pro mortuis omnibus mortuus est Christus, necesse est, vt nullus sit pro quo non sit mor-

Lib. 20. de ciuit. c. 6.

Lib. 5. contr. Iulian. c. 2.

Et lib. 6. c. 4.

mortuus. Vtitur autem hoc argumento Augustinus l. 20. de Ciuit. Dei. c.6. & lib. 5. cont. Iulian. c. 1. & lib. 6. c. 4. vbi sic ait. *Ex hoc probauit Paulus, Omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus.* Ac concludit. *Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Nec omittam dicere, Christum esse mortuum pro omnibus, propositionem affirmatiuã esse, atque adeo si vno in sensu vera sit, veram simpliciter eam & idoneam fore. Non dubium est autem multis in sensibus veram esse posse. Quos verbis Prosperi referre malo, qui tandem censet absolutè in Augustini doctrina dicendum, Christum pro omnibus mortuũ esse. Eoque ora obmurmurantium quorundam obturat. Quanquam non neget alio sensu magis presso, ac, vt ait, proprio dici posse: pro solis quibus mors eius profuit, mortuũ esse. Igitur Prosper in respons. pro Augustino ob-

Lib. 6. cont. Iulian. c. 4.

Prosper. obiect. 9. Gallorum.

iect. 9. *Cum itaque rectißimè dicatur Saluator pro totius mundi Redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantùm Crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Quibus ſimilia habet in reſponſione ad obiectiones Vincentianas.

Obiect. 1. Vincent.

Quare abſolutè pronuntiandum: Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, atque ita Auguſtinum cenſuiſſe. Nec eſt cur ſuper ea re tot contentiones, turbæque excitentur. Quarum cauſæ non in Auguſtini doctrina, ſed in ſtudiis partium continentur. Quæ ſi abeſſent, vnus Auguſtinus ſatis eſſet ad omnia ſcholarum diſſidia componenda. Cum eius doctrina è fontibus hauſta Diuinis ad Pacem & Charitatem Chriſtianam compoſita videatur. Equidem ſic ſentio. In Auguſtino

ſummam quandam eſſe Sacrarum Scripturarum peritiam: ac quę de rebus Theologicis fert iudicia, ea nonniſi ex illarum oraculis deprompta: nec Auguſtini doctrinam quempiam, niſi per Diuinæ Scripturę corp⁹, petere poſſe. Nec ea dura, aut inſolens eſt: ſed alta & profunda: Fontem Diuinitatis ſapiens, vnde effluxit. Quanquã doleo non deeſſe, qui eam duriuſculam interpretãdo reddant. Sed id minùs ægrè fero, quòd quà parte iudicia Dei tangit non admodùm aut poteſt, aut debet emolliri. Illud certè ferre non poſſum, quòd ſint, qui eam vulgari lingua vulgo exponant, cum ibi maxima Regis Diuini Sacramenta abſcondantur. Quæ nefas ſit plebeculæ reuelare. Nam quod quidam & ingrati & inuidi ſolent opponere: Hæreticos anſam errandi ex quibuſdam Auguſtini ſententiis arripere, eaſque in peruerſos ſenſus traducere, nõ magis verò, quàm eum, qui Floribus in-

dignetur, quòd ex eorum ſucco Araneæ nutriantur, & ſuum inde venenum conficiant.

Ad calcem Profiteor: hac me non meo, ſed Auguſtini ſenſu dixiſſe: in eoq; cùm indagando, tum proponendo Amoris, odij, inuidia, gratia cauſas procul habuiſſe. Vna mihi Scopus veritas fuit. Ita me Deus amet, & Auguſtinus redamet. Sanctiſſima Matri Eccleſia huiuſmodi doctrinã propono, non vti Author, ſed vti Auditor Auguſtini. A quo ego intus audiui. Iudicium qualecunque hoc meum Romana ſedi ſubiicio: paratus ſi qua in re ſum falſus, doceri: ſi qua lapſus, corrigi: ſi qua deuius, reduci. Vnũ oro, vt ſi qua cenſenda ſit ſententia, de ea nihil me inconſulto, dum ſum in viuis, ſtatuatur: cùm præſertim ſim iſta accuratiùs deinceps & copioſiùs tractaturus. Nec ego magnoperè cuiuſuis cenſuram extimeſcam, ſi cenſor is ſit, qui Cantet Domino Miſericordiam, & Iudicium. *Si quid peccaui, id meum eſto, non Auguſtini, peccatum.*

DIVI

GREGORII MAGNI DE GRATIA CHRISTI CVM DIVO AVGVSTINO CONSENSIO.

PRODIT AD ORACVLA AVGVSTINI CONFIRMANDA

COLVMEN illud Fidei, lumen Sapientiæ, exemplar morum, flos integritatis, ſpeculum virtutis, Religionis decus, lex probitatis, cœleſtiũ theſaurus diuitiarum, re ac nomine Magnus Gregorius cui in ſummo dignitatis faſtigio conſtituto is cumulus acceſſit, vt omnes & virtutis, & doctrinæ numeros expleuerit, & authoritatis punctum tulerit. Cuius teſtimonium tum vita idoneum, tum ſcientia probatum, tum Sedes ſacrum fecit. Quo non modo fidem pu-

blicam, sed proximam diuinę authoritatem in Ecclesiam inducit. Itaque non dubium, quin quod ille sentiat, oraculi instar habeat. In ea re præcipuè, quæ, quidam quasi Religionis nostræ ac Fidei cardo, est. Ac primùm scire oportet quanti apud eum sit Augustini doctrina: in qua se ille versatum ostendit Registri lib. 8. Ind. 3. c. 37. & c. 42. Ex quibus legenti palàm fiet pręclarè illum de Doctore nostro magnificè que sentire. Nam proximè citato capite respondens Eulogio Patriarchæ Alexandrino, eius de scriptis à se contrà Agnoitas litas libris iudicium per litteras requirenti, cùm probare non modo se, sed admirari traditam ab illo doctrinam dixisset, ac ex eo confirmasset, quòd ea cum iis quæ Latini Patres docuerant consentiret, adducit Augustini locos in quibus idem Augustini iudicium continetur. Cui Gregorius ipse subscribit. Eius tantum testimonio ac vnius vsus, quòd qui cum Augustino sentiret, ab Ecclesia dissentire non posset. Iam verò altero capite 37. illustre redditur Augustino à Gregorio testimonium; cuius sane magnum pondus esset, nisi tantum ei detraxisset Gregorius, quantum sibi vt Augustino adderet detrahere voluit. Ita enim Innocentius

Greg. l. 8. Reg. Ind. 3. c. 37. & 42.

Episcopo editos ab ipso in Iobum commentarius summis, vti par est, laudibus efferenti respondet. *Si deliciosò cupitis pabulo saginari beati Augustini Patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæretis.* Certè summa demissio laudem Augustini corrupit. At etsi non credo Gregorio sese vltra quàm debuit demittenti, bene tamen cognosco, quàm celso apud Gregorium loco Augustinus fuerit. In quem nisi tam se profunde demitteret iustus suspectus non esset. Atque, vt minutos alios locos omittam, illud monuerim: solere Gregorium Augustini in 1. Psal. Pœnit. & 4. sententias & citare, & sequi, nunc illius expresso lib. Regístr. 1. & 39. nomine, nunc Psalm. Pœnit. 2. & 4. & 7. suppresso, sed prodente autorem sensu. Ad rem propiùs venio. Quam de Gratia doctrinam Augustinus tradit, quanquam nos hoc in opere exhibuimus eam certè Gregorius tenet, ac inculcat. Vtrum ab Augustino acceperit, an aliunde hauserit, haud facile dixerim: id affirmarim, eandem vtrique mentem esse: adeò vt locos, & sensa conferenti *in diuersis personis*, vt cum Gregorio loquar, *spiritus fuisse non diuersus* videatur. Imo & qui non norit esse diuersos, eandem sequi personam.

putet. Nihil enim aliud videtur agere Gregorius quàm dicta ab Augustino latiùs, compendio dicere, ac ne memoriâ excidant studiosè suggerere.

INcipiamus à Capite. De Prædestinatione sit Gregorius lib. 1. Reg. c. 14. ad illud. *Porrò Philistiim in abiere in loca sua.* 1. Reg. 14. nu. 46. *Tacentibus quidem Doctoribus in loca sua dæmones abeunt; quia per Pastorum silentium non pereunt, nisi qui ad vitam æternam prædestinati non sunt. Loca etenim dæmonum sunt; quia diuinâ præscientiâ, in habitaculum Dei præordinati non sunt. Hinc est quod prædicantibus primis Doctoribus dicitur: Cre-*

AVgust. lib. de Dono Perseu. c. 14. *Qui Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt Gratiæ Prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta per quæ possent credere, si audirent vtique talia vel viderent.* Ibid. *Vbi Tyrij sunt & Sidonij qui etiam credere potuerunt si mira illa Christi signa vidissent? Quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum.* Et lib. de Corrept. & Grat. c. 9. *Ipsi sunt Prædestinati & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit.* Ibid. c. 1[illegible] *Si is qui corripitur ad Prædesti-*

destinatorum numerum pertinet, fit ei correptio salubre medicamentum: si autem non pertinet, fit ei pænale tormentum. Lib. de Don. Perseu. c. 9. *Vt Prædestinati non inaniter audiant Euangelium sed eo audito conuertantur & credant.* & ib. c. 11. *Quos præuidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire non subuenit de quibus in sua Prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud indicauit.*

Lib. de Cor. & Grat. c. 13. *Numerus ergo sanctorum per Dei Gratiam Dei regno Prædestinatus, donatâ sibi etiam vsque in finem perseuerantiâ illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordiâ Saluatoris, sui sine cùm conuertuntur, siue cùm coronantur.*

Addit. *Hi verò qui non pertinent ad hunc Prædestinatorum numerum quos Dei Gratia siue nondum habentes vllum liberum suæ voluntatis arbitrium, siue cum arbitrio voluntatis, ideo verè libero quia per ipsum gratiam liberato, perducit ad regnum: hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur: aut enim iacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quòd non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed*

Credebant quotquot Prædestinati erant ad vitam æternam. Hinc Paulus: quos præsciuit & Prædestinauit, & quos Prædestinauit, vocauit. Hinc est quòd volentes Apostoli transire in Asiam à Spiritu Sancto prohibiti sunt. Qui ergo non Prædestinati sunt, siue audiant Doctorum verba, siue non audiant vocari in Dei habitaculum nequeunt, quia per notitiam in qua sunt ante mundi constitutionem præcogniti, locum inter malignos spiritus parauerunt. Sanè ita rem definit Gregorius, vt mens Augustini sit. Pergit ire vlterius Gregorius. *Bene igitur dum consequi Philisthæos cessare dicitur, in loca sua Dæmones abijsse referuntur, quia aliquando Dei dispensatione prædicatores tacẽt, vt illis tacentibus hi qui Domini non sunt à malis spiritibus recipiãtur.* Vbi sunt qui Augustini de Prædestinatione senten-

tiam duriorem putant? Quid si hæc se ijs Gregorij objiciat? lib. 1. Exposit. in 1. Regum. c. 1. ad illa verba: *Porrò Anna loquebatur in corde suo. Quid est aliud cor sanctæ Ecclesiæ, nisi ea quæ intra se est deuota & erudita beatitudo fidelium? in corde autem suo Anna locuta est, quia Sanctæ Ecclesiæ prædicatio eis tantum profuit qui verò lumine illustrandi erant ex diuina Prædestinatione.* Psalmo. 70. ex Pœnitentialibus. *In factis manuum tuarum meditabar. Loquitur Propheta, inquit, ad Deum. Et alibi Cæli enarrant gloriam Dei: illi sunt Cæli qui enarrant gloriam Dei, qui opus manuum Dei dicuntur, qui diuinam in se non deformant imaginem, Charismatum non excludunt dona, animæ speciem non moliuntur. Qui nihil boni sibi sed totum Gratiæ Dei tribuunt, scientes se ni-*

non liberatum; liberum iustitiæ peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas noxias cupiditates alij magis, alij minus; sed omnes mali, & pro ipsa diuersitate diuersis supplicijs iudicandi: aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseuerant, deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseuerantiæ dono, iudicio Dei iusto & occulto.

Ad Bonifacium lib. 2. *Et illi qui laborauerunt, & quòd sic vocati sunt vt venirent, & sic pasti vt non deficerent, ab ipso patrefamilias habuerunt. Vbi autem dicitur, ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat? qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: bonum quidem immeritis & gratis datur, quia ex eadem massa est cui datur: malum verò merito & debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo non malè redditur, & ei cui redditur malum est quia supplicium est: ei vero à quo redditur bonum est, quia rectè factum eius est.*

De Correptione & Gratia. *Vt si is qui corripitur ad Prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit correptio pænale tormentum. Sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cuius exitus ignoratur; & pro illo cui adhibetur, orandum est vt sanetur.*

Contra Iulianum Pelagianum. *Ex isto numero Electorum & Prædestinatorum etiam qui pessimam*

duxerunt vitam , per Dei benignitatem adducuntur ad pænitentiam, per cuius patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti ; vt ostendatur & ipsis & alijs cohæredibus eorum, de quam profundo malo possit Dei Gratia liberare. Ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur. Absit enim vt Prædestinatus ad vitam , sine Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hoc Dominus ait : hæc est autem voluntas eius qui misit me patris , vt omne quod dedit mihi , non perdam ex eo. Cæteri autem mortales qui ex isto numero non sunt ex eadem quidem massa ex qua & isti , sed vasa iræ facti sunt , ad vtilitatem nascuntur ipsorum.

Augustinus lib. 1. q. 2. ad Simplic. *Quis discutiat opera Domini ex eadem conspersione alium damnantis alium iustificantis ? & Epist.* 105. Cur autem illum *potius , quam illum liberet scrutetur qui potest.* Et lib. de Prædest. Sanct. c. 8. *Cur autem istum potiùs quam illum liberet inscrutabilia sunt iudicia eius.* Et lib. de Dono Perseuer. *Cur in eadem causa me potiùs quàm illum puniet, aut illum potiùs quam me liberabit? Hoc non dico. Si quæris quare? Quia in hac re sicut iusta est ira eius , sic magna est misericordia eius.* & lib. 4. contr. 2. Epist. Pelag. c. 6 *Sed quare istos homines oues facit & istos non facit apud quem non est acceptio personarum? ipsa est quæstio quam Beatus Apostolus curiosiùs, quam capacius proponentibus ait: O homo tu quis es nihil habere quod non acceperint. Hoc enim operatus est in eis, qui vasa misericordiæ fecit eos, qui illos antè mundi constitutionem in se elegit ipso, vt in se non glorientur , ne altum sapiant , sed timeant, ne dicant , In abundantia mea non mouebor in æternum.* Rursum lib. 2. in Ezechiel hom. 13. expendens illa verba : *& calamus mensuræ in manu eius* Ezechiel. 4. n. 3. *Calamus est , quia per incomprehensibile eius iudicium , & alter intrà mensuram electorum mittitur , & alter foras relinquitur , vt nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Habet ergo in manu funiculum, habet in manu calamum mensuræ. Qui enim funiculo locum metitur alibi funiculum trahit aliunde retrahit , & huc ducit quem aliunde subducit. Sic Redemptor noster in collectione hominum facit : dum alios à suis*

iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit. In his enim quos colligere dignatus est occultæ mensuræ funiculum retraxit? Vt & boni intrà mensuram cælestis fabricæ teneantur, & mali extrà fabricam. Hunc funiculum & mensuræ calamum in manu sua Redemptor noster tenuit, cum Paulum Apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est, ita vt idem Macedouir diceret: Transiens adiuua nos. Et tamen volentibus Apostolis ire ad prædicandum in Asiam non permisit spiritus IESV. *Quid est quòd sancti Apostoli & ibi vocabantur ire, vbi fortasse pergere non cogitabant & illuc vbi desiderabant pergere prohibebantur? nisi quia occulti iudicij funiculus & mensuræ calamus tenetur in manu, vt & alij verba vitæ audiant, & alij audire nullatenus merentur? Funiculus ergo mensuræ*

qui respondeas Deo? Et lib. 1. q. 2. ad Simplic. *Certè tam occulta est hæc electio, vt in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit, aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrunque: addamus etiam si placet, honestas, vtilesque Doctrinas; quisquis ergo fuerit quàm minimis peccatis irretitus atque maculatus (nam nullus quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam: sed cùm hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit vt confundat fortia, vt eum intuens & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores.*

Lib. 5. cont. Iulian. c. 4. *Bonitas Dei ad Pœnitentiam te adducit, verum esse constat, sed quem Prædestinauit adducit.* Epist. 107. *Ipsi vtique fuerant credituri qui ordinati erant in vitam æternam.* Et lib. de Dono Perseu. *An quisquam dicere audebit Deum non præscisse quibus esset daturus vt crederent? aut quos daturus esset Filio suo vt ex eis non perderet quemquam? ib. Quæ vtique si præsciuit profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare præsciuit.*

Lib. de Præd. Sanct. c. 10. *Quod ait*

ait Apostolus: Non ex operibus gratia est. Ipsi putant acceptis præcepti. iam per nos ipsos fieri libera voluntatis arbitrio Sanctos & immaculatos in conspectu eius in charitate: quod futurum quoniam Deus præsciuit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinauit in Christo, cum dicat Apostolus: Non quia futuros tales nos esse præsciuit, sed vt essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ. Cum ergo nos Prædestinauit opus suum præsciuit. Et Epist. 105. *Iacob dilexi: Esau autẽ odio habui: Vt intelligeretur quod antequã illi nascerẽtur, erat in Dei Prædestinatione per gratiã. Antequã aliquid egissent boni vel mali alterũ De⁹ diligit, odit alterũ: vt intelligas Iacob ex illa massa iniquitatis vbi fratrẽ suum, cũ quo habuit communem causam vides per iustitiam meruisse damnari, nonnisi per gratiam se potuisse discerni.* Lib. de Prædest. Sanct. c. 10. *Prædestinatione Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: vnde dictum est. Fecit quæ futura sunt. Quod ait, Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus Prædestinatio est. Promisit Deus, quod ipse facturus fuerat non quod homines, quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit.* Lib. de Dono Perseu. c. 8. *Cur in eadem causa tam diuersum iudicium? respondet eis; nonne similis quæstio cur in diuersa causa idem iudicium? recolamus igitur* *suræ est, qui aliò tractus est aliunde retractus.* Credidi me in Augustino versari cum ista legi. Hom. 17. in Euan. exponẽs illud Luc. 10. nu. 7. *Si ibi fuerit filius pacis requiescet super illum Pax vestra. Quia*, inquit, *erit ibi prædestinatus ad vitam, & cœleste verbum sequitur, quod audit.* E in Concordia Interrogat. 4. de Iacob & Esau. *Iacob dilexi: Esau autem audio habui. Non ex operibus*, inquit, *nec ex futuris: nec enim quisquam existimat tantum dixisse de præteritis, quæ vtique non erant cum supradicti distincti fuerant.* Et mox in responsione ad eandem. *Hinc Redemptor noster ad Ananiam de Paulo: Vas electionis est mihi iste. Intuere quod dixit est, non erit. Nam non ideo electus est, quia Apostolus esset, sed ideo Apostolus erat, quia electus est.* Augustini est hoc, an Gregorij?

Vtriuſque: quòd Diuini afflatus eſt. Igitur Initiũ meriti Prædeſtinatio, non e contra. Rurſum Gregorius in lib. 1. Reg. c. 13. *Quæſiuit ſibi virum iuxta cor ſuum. Quid eſt*, ait, *quod quaſi de præterito dicitur, quæſiuit? Quæſtio facilè ſoluitur, ſi Omnipotentis Dei præſcientia & prædeſtinatio videatur. Ei quidem prædeſtinare facere eſt, & apud ipſum iam facta ſunt, quæ ab ipſo fieri prædeſtinata ſunt.* Hic non modo mentem, ſed vocem quoque Auguſtini reddidit; hæc enim totidem verbis dixit Auguſtinus. Quid? quòd beneficia Gratiæ penes Deum eſſe, ab eoque nobis non pro ratione meritorum, ſed pro ſua voluntate conferri, eodem prorſus modo probat Gregorius, quo probarat Auguſtinus. Sic enim Hom. in Euang. 19. *An non licet mihi quod volo facere? Stulta*, inquit, *hominis quæſtio contrà benignitatem Dei. Conquerendum quippe eſſet, non ſi non daret, quod non deberet, ſed ſi non daret quod deberet.* Nonne hic eſt quod ab Auguſtino dictum celebrauimus? *Hic tota ratio eſt Hoc volo.*

illos operarios in vinea, &c. numquid & hic audierunt murmurantes à patre-familias, niſi hoc volo? ita quippe eius erga alios fuit largitas; vt erga alios nulla eſſet iniquitas. Et lib. 2. cont. 2. Epiſt. Pelag. c. 7. *Nempe hic tota iuſtitia eſt, hoc volo. Tibi*, inquit, *reddidi: huic donaui, neque vt huic donarem tibi aliquid abſtuli: aut quod debebam vel minui vel negaui. An non licet mihi facere quod volo?*

ARTICVLVS II.

DE STATV ET NATVRÆ, INTEGRÆ ET LAPSÆ.

DIuus August. lib. de Cor. & Grat. c. 10. *Rectissime credimus Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet quid posset eorum liberũ arbitrium: deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.* Reprobi Angeli *per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt, cæteri autem per liberum arbitrium in veritate steterunt.* Et lib. de Dono Perseu. c. 7. *Quæ talis libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.* Et c. 11. de Corr. & Grat. *In his demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij.* Ib. *Tale erat adiutorium quod quilibet eorum desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quò fieret vt vellet. Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt defuisset; non vtique suâ culpâ cecidissent. Adiutorium quippe defuisset sine quo permanere non possent. Primum hominem quis nescit sanum, & incul-*

DE statu Angelorum & Adami in statu Innocentię; sic Gregorius in c. 4. Iob. cap 28. *Mirè Omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit; vt & qui permanere nollent, ruerent, & & qui in conditione persisterent, tantò in ea iam dignius quantò ex arbitrio starent, & eò maioris apud Deum meriti fierent, quò mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.* De iisdem iterum, lib. 15. c. 4. *Angelici Spiritus mutabiles ex natura sunt conditi, quatenus aut suâ sponte caderent, aut ex arbitrio starent.* Et rursum Hom. 7.

in Ezechiel. *Natura Angelica quando creata est, liberum arbitrium accepit vtrum vellet in humilitate persistere, & in Omnipotentis Dei conspectu permanere, an ad superbiam laberetur, & à beatitudine caderet?* De Adamo autem propriè, lib. 5. Moral. c. 9. *Homo si praeceptũ seruare voluisset, etiam carne spiritualis futurus erat. Peccando factus est etiam mente carnalis*: Et lib. 8. c. 9. *Ad hoc homo conditus fuerat, vt stante mente, in arcem se contemplationis erigeret & nulla hunc corruptio à conditoris sui amore declinaret: sed in eo quod ab ingenita standi soliditate voluntatis, pedem ad culpam mouit à dilectione conditoris in semetipso protinus cecidit, quia enim fixa mens stare cum potuit noluit, stare iam non valet etiam cũ vult.* Et lib. 4. Moral. c. 30. *Ad hoc in Paradiso homo positus fuerat, vt si se ad Conditoris sui*

pabilem factum & libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate liberâ constitutum? Lib. de Nat. & Grat. c. 41. Et lib. de Cor. & Grat. c. 10. *In quo statu recto, ac sine vitio si per liberum arbitrium manere voluisset profectò sine vllo mortis & infelicitatis experimento acciperet illam merito huiusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem.* Et 11. *Vt autem vellet permanere in eius libero reliquit arbitrio.* Et c. 12. *Per quod habere merita potuit, per hoc perdidit, hoc est per liberum arbitrium.* Et c. 12. *Potuit non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Prima libertas erat posse non peccare* Et Serm. 11. de verb. Apost. *Creatus est rectus, non se fecit rectum. Quid se autem ipse fecerit notum est: cadens à manu figuli fractus est. Regebat enim eum ipse qui fecerat, voluit deserere à quo factus erat; permisit Deus tanquã dicens. Deserat me & inueniat se, & miseriâ sua probet, quia nihil potest sine me.* Lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. penult. *Illo magno primi hominis peccato natura nostra in deterius commutata non solum facta est peccatrix, sed etiam genuit peccatores* Et lib. 1. de peccat. mer. & rem. *Occultâ tabe carnalis concupiscentiae tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes.* Lib. 2. cont. Iulian. c. 8. *Hilarius non dubitat dicere naturam nostram quae de morbo morbum trahit ad peccandum ferri.* Lib. 3. de lib. arbitr. c. 19. *Ignorã & carnã*

sui obedientiam vinculis charitatis adstringeret ad cœlestem Angelorum patriam quandoque sine morte carnis transiret. Sic namque est immortalis conditus, vt tamen si peccaret, & mori posset, & sic mortalis est conditus, vt si non peccaret etiam mori non posset: atque ex merito arbitrij beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccari non posset. Hoc idem agit lib. 3. c. 26. Vbi sic: *Contra hostem suum liberum voluntatis arbitrium accepit. Cui quia suâ sponte succubuit, mox de se quod contra se perstreperet inuenit.* Et mox. *Postquam vero se sponte hosti subdidit adstrictus culpæ suæ vinculis in quibusdam ei etiam nolens seruit: Video aliã legem, &c.*

& cum subditi nascimur. Et tract. 44. in Ioan. *Peccante primo nomine vitium pro natura inoleuit.* In Enchir. c. 105. *Libero arbitrio post ruinam diminatur cum morte peccatum.* In Epist. ad Vital. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* In lib. 14. de Ciuit. Dei. c. 11. *Arbitrium voluntatis datum est a Deo: quod amissum proprio vitio nisi a quo dari potuit reddi non potest.* Lib. de nat. & grat. c. 43. *Nunc de homine agitur, quem semiuiuum latrones reliquerunt, qui grauibus sauciatus confectusque vulneribus non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere.* Lib. de Corrept. & Grat. c. 13. *Per liberum arbitrium, alia peccata insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum: liberum iustitiæ, peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas noxias cupiditates alij magis, alij minus, sed omnes mali.* In Enchir. ad Laurent c. 30. & 31. *Libero arbitrio male vtens homo & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit viuendo se occidit, sed se occidendo non viuit, nec se ipsum potest resuscitare cum occiderit, ita cum libero peccaretur arbitrio victore peccato amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus est huic & seruus addictus est.* 1. Retract. c. 9. *Voluntas nisi Dei gratiâ liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet adiuuetur, rectè piéque viui à mortalibus non potest.*

ARTICVLVS III.

DE RVINA ET SERVITVTE PECCATI.

QVam vero ſit miſera naturæ lapſę conditio, & quę in peccatum propenſio, ſic ad Auguſtini ſenſum ſcribit. li. 8. Mor. c. 3. Gregorius. *Militia eſt vita hominis ſuper terram. Tentatio itaq; ipſa militia eſt. Notandū verò quod vita hominis non tentationem habere dicitur, ſed ipſa tentatio eſſe perhibetur. Sponte quippe à ſtatu conditionis lapſa, & corruptionis ſuæ putredini ſubdita, dum ſibi ex ſemetipſa moleſtias gignit: hoc eſt iam facta, quod tolerat. Vult in contemplatione ſtare, ſed non valet. Cogitationis greſſum figere nititur, ſed infirmitatis lapſibus eneruatur. Quæ nimirum mutabilitatis ſuæ onera, quia volens expetiit, nolens portat. Quia cum culpa ſimul ab origine etiam pœna propagatur, inſerto infirmitatis vitio naſcimur: & quaſi nobiſcum hoſtem deducimus, quem cum labore ſuperamus. Ipſa ergo hominis vita tentatio eſt, cui ex ſemetipſa naſcitur, vnde perimatur.* Addit c. 6. *Quia enim fixa mens ſtare cum potuit, noluit, ſtare iam non valet, etiam cum vult.* Sequētia qui volet, aſpiciat, An non Auguſtin⁹ loquatur: eodem cap. 6. poſt medium. *Soliditatem ingenuam voluntariè homo deſeruit: & ſeſe in corruptionis voraginem merſit, vnde nunc vel per immunda opera labitur: vel per cogitationes illicitas fœdatur. Vt enim ita dixerim, culpæ ſuæ pœnaliter ſubdita ipſa iam natura noſtra facta eſt extra naturam.* Tandem illud maximè Auguſtinianum eſt. *Per nos namque cecidimus, ſed noſtris reſurgere viribus non valemus.* Ibid. c. 19.

§. 2.

AVguſtinus lib. de Cor. & Grat. c. 1. *In malo faciendo liber eſt quiſque iuſtitiæ, ſeruuſque peccati: in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit. Si vos filius liberauerit.* Lib. de Perfect. iuſt. c. 4. *Per arbitrij libertatem factum eſt, vt eſſet homo cum peccato, ſed iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta fecit ex libertate neceſſitatem. Vnde ad Deum Fides clamat: De neceſſitatibus meis educ me. Sub quibus poſiti vel non poſſumus, quod volumus, nec valemus implere. Nam & ipſa libertas credentibus à liberatore promittitur. Si vos, inquit, Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Auguſtin. l. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 17. *Ignorantia & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum.* Et lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Homo non habet in poteſtate vt bonus ſit, ſiue non videndo qualis eſſe debeat, ſiue videndo & non valendo eſſe, qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna, ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt.* Et lib. 1. Retract. c. 9. *Ad miſeriam iuſtæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis ſuæ: nec ab iſto malo liberatur quiſquam niſi Dei gratia.* Lib. de perfect. Iuſt. *Reſpondemus vitari poſſe peccatum ſi natura vi-*

§. 2.

QVid vero de ſeruitute peccati commemorat Gregorius? Ita in c. 15. l. 1. Reg. *Qui lapſus eſt, & in perpetratione peccati immundi ſpiritus ſeruus efficitur, nec carnis cogitationes liberè poteſt vitare, nec ad alias cito recurrere. De victoribus ergo dicitur: Noluerunt ea diſperdere, quia ante caſum à liberis facile peccata vitantur: ſed ſi nolunt vitare cùm poſſunt, poſtea non poſſunt, ſi volunt: quia perfectè velle non poſſunt. Quibus vtique per ſe veritas dicit: Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis. Quaſi dicat, quia ſponte liberi eſſe deſiſtis, poteſtatem adipiſcendæ libertatis in vobis iam non habetis.* An non hæc totidem verbis dixit Auguſtinus? At illa de radicibus peccandi ex peccato relictis Gregorij ſententia, quàm gemina eſt iudicio

Augustini. lib. 14. Moral. c. 15. *Ex pœna culpæ est videre bonum, quod agere debeat, & tamen implere non posse, & rursum ex grauiore pœna culpæ est, quod agere debeat nec videre. Sæpe infirmitate nonnunquam vero ex ignorantia peccatur. Vnde & contra hæc Psalmistæ voce dicitur: Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Contra ignorantiæ enim tenebras illum natio, contra infirmitatem vero Salus est Dominus, quando & ostendit quid debeat ad agendũ appeti, & vires præbet vt quod ostenderit possit impleri.* Similis sibi est lib. 25. Moral. c. 11. Præterea lib. 7. c. 13. de cœcitate cordis ex consuetudine peccandi. *Ei*, inquit, *quandoque lumen rationis clauditur qui prauo vsu ex ini uitatis suę multitudine grauatur. Quoquò autem culpa prodeat, vel quibuslibet occasionibus erumpat, reproborum tiata sanetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. In tantum enim sana non est in quantũ id quod faciendum est, aut cæcitate non videt: aut infi[illegible] non implet.* August. l. 1. ad S[illegible] l. q. 1. *Peccatum vnde in carne [illegible] ex traduce mortalitatis & [illegible] duitate voluptatis? Illud est ex pœna originalis peccati, hoc est pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur: hoc viuendo addimus. Quæ duo scilicet natura & consuetudo coniuncta robustissimã faciunt, & inuictissimam cupiditatem.* Et lib. contr. Fortunat. *In nostris actionibus antequã consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitriũ faciendi aliquid vel non faciendi. Cum autem ista libertate fecerimus aliquid, & facti ipsius tenuerit animum perniciosa dulcedo, & voluptas eâdẽ ipsâ consuetudine sic implicatur, vt postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.* Et lib. 1. oper. imperf. cont Iulian. *Si nulla est peccandi necessitas, vt omittam vim mali eius quod originaliter trahitur, hoc enim nullum esse vos vultis, quid patiebatur quæso, qui secundum vestrum sensum tantâ mole malæ consuetudinis premebatur, vt diceret. Non quod volo facio bonum, &c.* Et lib. 2. de actis cum Felice Manich. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & captiuantem me in lege peccati. manifestum est hoc venisse de traduce primi peccati Adam, & de consuetudine malâ. Nam hodie liberà*

liberà voluntate faciunt homines consuetudinem, quam cum fecerint facilè superare non possunt. Ipsi ergo sibi de se ipsis fecerunt, quod contraria lex habitet in membris eorum.

D. Augustin. lib. 4. cont. Iulian. c.3. *Hi quando in agone contendunt ab omnibus continent vt corruptibilem coronam accipiant, à cuius tamen vana cupiditate non continent. Hæc enim cupiditas vana ac per hoc praua vincit in eis & frenat alias cupiditates propter quod dicti sunt continentes.* Et lib. de Contin. c.12. *Continendo vel erroribus seruiunt, vel aliquas minores cupiditates ideo vincunt, vt alias expleant, quarum granditate vincuntur.* Et lib. 1. de Nupt. & Con[illegible]p. c. *Non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccatis alia peccata vincuntur.* Et lib. 21. de Ciuit. cap. 24. *Nonnunquam sanè apertissima vitia aliis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Causam reddit Augustinus quæst. 18. super Exod. *Quamuis vniuscuiusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio quod inoleuit ex arbitrio voluntatis: tamen qualitate mala, vt huc vel illuc moueatur, cum siue huc siue illuc malè moueatur, causis fit quibus propellitur.* Tandem serm. in illud Apostoli. *Omne peccatum quodcumque* inter fragm. *Omnibus corporalibus, & visibilibus & temporalibus desideriis ac* *tamen semita semper inuolutæ sunt: vt prauis concupiscentiis dediti, aut bona nulla appetant, aut appetentes infirmo desiderio ad hoc nequaquam liberos mentis gressus tendant.* Et lib. 11. c.6. *Si incluserit hominem nullus est qui aperiat. Quia omnis homo per id quod malè agit, quid sibi aliud quàm conscientiæ suæ carcerem facit? Qui cum iudicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat quem inuenire minimè meretur. Nam sæpè nonnulli à prauis actibus, exire cupiunt, sed quia eorundem actuũ pondere premuntur in malæ consuetudinis carcere inclusi à semetipsis exire non possunt. Et quidem culpas proprias punire cupientes hoc quod rectè se agere æstimant, in grauiores culpas vertunt, fitque modò mirabili, vt quod exitum putant, hoc inclusionem inueniant.* Et c. 7. *Sapè committuntur homi-*

nes mala, quę sciunt, & idcirco permittuntur decipi, vt cadant in mala etiam quæ nesciunt.

Igitur quod valdè difficile quidam putant: tantum interdum esse nexum & vinculum peccatorum, vt peccata succedant peccatis, sic exprimit Gregorius, lib. Moral. 32. c. 16. ad illum Vers. *Nerui testiculorum eius perplexi sunt.* Iob 40. *Nerui,* inquit, *testiculorum eius sunt pestifera argumenta machinationum. Per ipsa quippe calliditatis suæ vires exerit, & fluxa mortalium corda corrumpit. Testiculi eius sunt suggestiones prauæ quibus in mentis corruptione feruescit, atque in construpata anima iniqui operis prolem gignit. Sed horum testiculorum nerui perplexi sunt, quia suggestionum illius argumenta implicatis inuentionibus illigantur, vt plerosque ita peccare faciant, quatenus si for-*

voluptatibus humanis indesinenter seruit animus ab ipso Creatore vniuersorum de[illegible] atque derelictus.

D. A[illegible]gustin. lib. de Nat. & Grat. c. 22. *Nec [illegible] prævaricatorem [illegible] quam digne deserat [illegible] veritatis, qua [illegible] cæcus, & plus [illegible] & ca[illegible] vexetur, vexatu[illegible] ne nō surgat, vt ideo [illegible] vocem legis, quo [illegible] implorare gratiam Saluatoris.* E[illegible] lib. 2. cont. Aduers. Leg & [illegible] c. 8. *Ille igitur qui [illegible] sententiam, cuius miseretur, & q[illegible] vult obdurat, procul dubio, quem vult illuminat & quem vult excæcat.* Et Epist. 105. *Quærimus meritum obdurationis & inuenim[illegible]. Merito namque peccati [illegible] massa damnata est.* Et lib. [illegible] G[illegible]t. & lib. 2. b. c. 21. *Quando [illegible] in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdura[illegible] co da eorum nolite dubitar[illegible] præcessisse mala merita [illegible], [illegible] ista paterentur.* E[illegible] lib. 1. op[illegible] impers. *Cum ig[illegible] & [illegible] in hominibus esse p[illegible], quæ committuntur non ne[illegible]ssitate, [illegible] voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, vnde ab eis [illegible] est abstinere, & peccatis d[illegible] ignorantia vel affe[illegible] [illegible] venientibus quæ non tan[illegible] peccata, verumetiam pœna [illegible] peccatorum plenum [illegible] genus humanum, quomodo, &c.* E[illegible] Retract. c. 15. *Qui vero [illegible] cupiditati bona voluntat[illegible] non potest & ideo facit contra præ-*

cepta iustitia iam hoc ita peccatum est, vt sit etiam pœna peccati.

tasse peccatum fugere appetant hoc sine alio peccati laqueo non euadant, & culpam faciant dum vitant, ac nequaquam se ab vna valeant soluere, nisi in alia consentiant ligari] Locus ille ex Homil. 11. in Ezech. insignis esto. Ergo ad id, *Ponam offendiculum coram eo.* Sic Gregorius. *Cur adhuc ei Deus offendiculum ponet, quem iam impiè egisse & cecidisse conspicit? sed districta sunt Omnipotentis Dei iudicia & qui peccatorem diu expectat vt redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc vbi grauius impingat. Peccatum quippe quod per Pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati simul & pœna peccati. Omne enim quod prius committitur peccatum est. Sed si citiùs pœnitendo non tergitur iusto iudicio Omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, vt qui flendo, & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod Pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est & causa peccati, quia ex illo oritur vnde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur peccatum simul est & pœna peccati, quia ex crescente cæcitate ex retributione prioris culpę generatur, vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia incrementa ipsa vitiorum.* Idem versat argumentum lib. 2. Moral. c. 15. Vbi sic; *Occulta iustitiæ licentia malignis spiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant.* At nusquam melius, quam lib. 25. Moral. c. 9. locus est omnino legendus.

ARTICVLVS IV.

DE GRATIA INCARNATI VERBI, ET INITIO GRATIÆ CREATÆ quæ eſt Fides.

DE ſumma illa Incarnationis Gratia ita cum Auguſtino Gregorius lib. 16. Moral. c. 14. *Quis alius niſi mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus æquitatis nomine deſignatur? De quo ſcriptum eſt. Qui factus eſt Sapientia vobis à Deo & à Iuſtitia. Quæ ſcilicet iuſtitia dum in hunc mundum contra vias peccatorum venit antiquum hoſtem vicimus à quo capti tenebamur? Dicat ergo. Nolo multâ fortitudine contendat mecum &c.* id eſt ad redarguendas *vias meas Incarnatum Filium mittat, & tunc inſidiantem aduerſarium per abſolutionis meæ indi-*

AVguſtinus lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. 26. *Appa[illegible]t Dominum Ieſum Chriſtum n[illegible]n aliam ob cauſam in carne veni[illegible]e, ac formâ ſerui acceptâ factum o[illegible]dientem vſque ad mortem: ni[illegible]t hac diſpenſatione miſericor[illegible]e gratiæ omnes quibus tan[illegible]a membris in ſuo corpore conſt[illegible] caput eſt ad capeſſendum Regnum Cœlorum viuificaret ſalu[illegible] faceret; liberaret, redimeret, illum[illegible]naret, qui prius fuiſſent in pecc[illegible]torum morte languoribus, ſ[illegible]rui[illegible] captiuitate, tenebris conſti[illegible], ſub poteſtate Dia[illegible]oli [illegible] peccatorum: ac ſic fieret me[illegible] Dei & hominum, per que[illegible] inimicitias impietatis noſtr[illegible] gratiæ pace finitas, reconci[illegible]ar[illegible] Deo in æternam vitam, a[illegible]na morte, quæ t[illegible]bus imp[illegible]. erepti.* Et ibi. c. 31. *Nemo a[illegible] niſi qui deſcendit, niſi ergo in vn[illegible] Chriſti omnes mutandi [illegible] cōcurrerant, vt C[illegible]s qui [illegible]dit ipſe aſcendat n[illegible]n a[illegible]tans corpus ſuum, id eſt, [illegible]m ſuā, quam ſeipſum, quia de Chriſto, & Eccle-*

& Ecclesia verius intelligitur, erunt duo in carne vna de qua re ipse dixit: Itaque iam non duo, sed vna caro ascendere omnino nõ poterunt, quia nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo. Filius hominis qui est in cœlo. Quamuis enim in terra factus sit filius hominis, diuinitatem tamen suam, quâ in cœlo manens descendit in terram, nõ indignam censuit nomine Filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine Filij Dei, ne quasi duo Christi accipiantur vnus Deus & alter homo: sed vnus atque idem Deus homo. Deus quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Homo, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ac per hoc per distantiam Diuinitatis & infirmitatis Filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra: per vnitatem verò personæ, qua vtraque substantia vnus Christus est, & Filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse filius hominis manebat in cœlo. Si enim Diuina substantia longè distantior atque incomparabili diuersitate sublimior potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, vt vna persona fieret, ac sic filius hominis qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cœlo per participatam carni diuinitatem: quantò credibilius alij homines sancti & fideles eius fiunt cum homine Christo vnus Christus: vt omnibus per eius hanc gratiam societatemque ascendentibus, ipse

iudicium victor excludam. Si enim in Diuinitatis fortitudine sic vnigenitus Filius inuisibilis maneret, vt nil de nostra infirmitate susciperet infirmus homo ad eum inuenire accessum gratiæ quomodo potuisset? Consideratum quippe, pondus eius magnitudinis opprimeret potius, quam iuuaret, sed fortis super omnia apparuit infirmus inter omnia, vt dum nobis ex assumpta infirmitate congrueret, ad permanentem nos suã fortitudinem eleuaret. In altitudine enim sua Diuinitas à nobis vt pote paruulis apprehendi non potuerat, sed strauit se hominibus per humilitatem, & quasi in iacentem ascendimus: Surrexit, & leuati sumus. Et lib. Moral. 27. c. 8. *Nos qui editi in terra sumus, Cœlum conscendimus: vbi est quod veritas dicit. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo. Omnes enim nos qui in eius*

fide nati sumus eius procul-dubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum Dominus caput factus est repulsâ Reproborum multitudine solus est etiam nobiscum, quia dum nos vnum cum illo facti iam sumus, vnde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis, & is qui in cælo semper est, ad cælũ quotidie ascendit, quia qui Diuinitate super omnia permanet, humanitatis suæ cõpage sese quotidie ad cælos trahit. Iterum lib. 4. expos. in lib. 1. Reg. c. 1. *Misericorditer prouidet Deus. De his malis, quæ per iudicium irrogat, quæ bona facere disponat. Nam quæ maior culpa, quam illa, qua omnes morimur? Et quæ maior bonitas quàm illa, per quàm à morte liberamur? Et quidem nisi Adam peccasset Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oportuisset. Non enim venit vocare iustos,*

vnus Christus ascendat in cælum qui de cælo descendit? Sic & Apostolus ait. Sicut in vno corpore multa membra habem, omnia autẽ membra corporis cum sint multa, vnum est corpus, ita & Christus. Non dixit, ita & Christi, sed ita & Christus, vnum Christum appellans caput & corpus.* Et lib. 10. de Ciuit. c. 22. *In eius nomine vincitur Diabolus, qui hominem assumpsit, egitque sine peccato: vt in ipso Sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum: id est, per mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, per quẽ facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo.* Et Serm. 8. de verb. Apostoli, *Filius hominis, non venit, nisi quærere, & saluare quod perierat. Humanus sum, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum. Quare venit in mundum? Peccatores saluos facere, & vocabis nomen eius Iesum. Quos non saluat, non habendo in eis quod saluet, non est illis Iesus.* Et tract. 36. in Ioan. *Prima dispensatio Domini nostri Iesu Christi medicinalis est, non iudicialis. Quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino neminem esse immunem à morte peccati prius erat eius misericordia proroganda. Quæ est misericordia? Creator hominis homo esse dignatus est, factus est quod fecerat. Parum fuit homini fieri, voluit ab hominibus reprobari.*

* D. August. de Fide & operib. c. 7. *In homine nisi præcedat Fides vita*

bona sequi non potest. Et tract. 25. in Ioannem. *Sunt opera, quæ videntur bona, sine Fide Christi, & non sunt bona.* Et lib. de Gest. Pelag. c. 14. *Quantumlibet opera infidelium prædicentur Apostoli sententiam veram nouimus & inuictam: Omne quod non est ex Fide peccatum est, Cum ipsa sit initiũ vnde bona opera existant.* Et Epist. 105. *Opera bona fiunt ab homine; Fides autem fit in homine sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Et lib. de Prædest. Sanct. c. 7. *Solet dici ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest: cuius acceptæ eleemosynæ & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse saluus non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus. Quicquid igitur & antequam in Christum crederet, & cum credidit operatus est, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Incipit homo percipere gratiam ex quo incipit Deo credere, vel internâ vel externâ admonitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & euidentior infundatur. Non enim Cathecumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo cũ eleemosynis & orationibus dignum*

sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret; si peccata ad quæ delenda venisse creditur per iustitiam Dei esse permissa sentiuntur, dum pro peccatoribus Deus homo nasciturus erat, ex illo malo quo morituri erant, bonũ quod malum illud vinceret, Omnipotens Deus sese facturum prouiderat. Cuius profecto boni magnitudo, quis fidelis non videat quàm mirabiliter excellat? Magna quippe sunt mala quæ per primæ culpæ meritum patimur, sed quis Electus nollet maiora perpeti quàm tantum Redemptorem non habere? * Hinc aditus ad Gratiam inspiciamus: an non Fidé, clauẽ adhibeat Gregorius: quæ omnis initium Gratiæ sit, citra quã vel inchoatam, nullum bonum opus existat. Id apparet loco lib. 2. in Ezechiel. Homil. 16. *Per*

vestibulum, inquit, *Fides potest intelligi; ipsa quippe est ante gradus & portam quia prius ad Fidem venimus vt postmodum per spiritualium donorum gradus cœlestis vitæ aditum intremus. Non enim virtutibus venitur ad Fidem, sed per Fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio, cuius eleemosynæ ante Baptismũ Angelo testante laudatæ sunt non operibus venit ad Fidem, sed Fide venit ãd opera. Nam & ei per Angelum dicitur: Orationes tuæ & eleemosynę tuę ascenderunt in conspectum* Dei. *Si enim verè & ante Baptismũ non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc Omnipotens Deus exaudierat? si non ab ipso in bonis perfici petebat. Sciebat igitur Creatorem omnium Deum, sed quod eius Omnipotẽs Filius Incarnatus esset ignorabat. Neque enim poterat bona agere nisi antè credidisset. Sine fide enim im-*

possibili

se præberet, cui Angelus mitteretur. Sed nullo modo ista operaretur nisi antea credidisset. Iisdem verbis vtitur Gregorius: ac omnino cum Augustino consentit

Certa & constans Augustini sententia est, multis & magnis Diuinæ authoritatis momentis confirmata: Gratiam non omnibus adesse, sed aliis dari, aliis non dari. Disertè id lib. de Dono Perseu. c. 11.* *Paruulis quibus vult etiam non volentibus & currentibus subuenit. Et maioribus etiam his quos prœuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros quibus non vult subuenire non subuenit.* Et lib. 4. cont. Iulian. *Vtrique profundũ sit, cur & in maioribus & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri subuenire.* Et lib. de peccat. mer. & rem. c. 5. *Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet, illum tantum, illum non tantum: istum illo, illum isto modo penes ipsum est, & æquitatis tam secreta ratio & excellentia potestatis.* Qui locus continet! dari quibusdam magnam & efficacem, quibusdam paruam & inefficacem, quibusdã nullam omnino gratiã dari. Ita Epist. 105. & 107. & lib. de Prædest. Sanct. c. 8. & in Enchir. c. 97. & 99. & lib. de Cor. & Grat. c. 14. locum Pauli, *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Quem Pelagiani de Gratia omnibus communi, quam vocant sufficientẽ, explicabant, cum aliis modis intelligit, tum præcipuè de omni genere hominum interpretatur. Lib. de cor. & grat. c. 14. &

serm.

ſerm. 37. de Diuerſis, & in Enchir. c. 103. vbi ſic. *Certè ſic dictum eſt, Omnes homines vult ſaluos fieri: non quod nullus hominum eſſet quem ſaluum fieri nollet: ſed vt omnes homines omne genus humanum intelligamus per quaſcunque differentias diſtributum, Reges, priuatos, nobiles, humiles, doctos, indoctos,* &c. *Et ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus.* Eodem ſenſu explicat alios Euangelij locos, vbi commune illud vocabulum *Omnes* proponitur, nec niſi diſtributiuè intelligi poteſt. ibid. & lib. de Cor. & Grat. c. 14. *Quod ſcriptum*, inquit, *eſt quod Deus vult omnes ſaluos fieri, nec tamen omnes ſalui fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt: ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemorauimus: ſed hic vnum dicam. Ita dictum eſt. Omnes homines vult ſaluos fieri, vt intelligantur omnes Prædeſtinati, quia omne hominum genus in eis eſt, ſicut dictum eſt Phariſæis: Decimatis omne olus: vbi nō eſt intelligendum, niſi omne quod habebant: neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe decimabant. Secundum iſtū locutionis modum dictum eſt: Sicut & ego omnibus per omnia placeo. Nunquid enim qui hoc dixit, Placebat etiam tam multis perſecutoribus ſuis? ſed placebat omni generi hominum, quod Chriſti congregabat Eccleſia, &c.*

poſſibile eſt placere Deo. Fidem ergo habuit, cuius operationes & eleemoſynæ placere potuerunt. Et concludit. *Per fidem ergo venit ad opera, ſed per opera eſt ſolidatus in Fide.*

Quod autem Fides & Gratia non communis omnium ſit: atque adeo multis à Deo non detur, contra quàm ſcholaſtici quidam opinantur: quibus ea tantum placent, quę humana ratiocinatione conſequi poſſunt: & iudicia diuina ſuo iudicio metiuntur: perſpicuè docuit cum Auguſtino Gregorius. lib. Moral. 27. c. 6. ad illud; *Dat eſcas multis mortalib⁹, ſed cùm eſcas ait dare mortalibus diceret, notandum quòd non ait omnibus, ſed multis, quia videlicet ſcriptum eſt: Non omniū eſt Fides. Et quibuſdam dicitur: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

Qui autem exiſtimant terreri nos eâ Pauli ſententiâ

Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Quam & Auguſtino Pelagiani obiiciebant, audiant qua ratione ſimilem locum explicet Gregorius lib. 6. Moral. c. 8. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Omnem videlicet creaturam ſolum intelligi hominem voluit, cui commune aliquid cum omnibus creauit: quamuis hoc loco vniuerſa intelligi & aliter poſſint. Sancti enim Spiritus Gratia, cum ſibi diuites ſubiicit, pauperes non repellit: cum fortes humiliat, venire ad ſe debiles non recuſat: cum nobiles colligit, ſimul & ignobiles apprehendit; cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit.* Hac ſane ratione Auguſtinus vocem illam: *Omnes:* apud Paulum intelligit, id eſt, *ex omni genere hominum.* Quo tandem ratiocinationem ſuam Gregorius concludit. *Vniuerſa ergo*, inquit, *Deus aquis irrigat, qui dono ſancti Spiritus ex omni genere hominum ad ſuam cognitionem vocat.*

(.·.) (.·.)

(.·.)

ARTICVLVS V.

DE NATVRA, NECESSITATE AC VIRTVTE GRATIÆ, DE RATIONE merendi, deque Gratiæ cum libertate concordia.

DIuus Augustinus lib. 4. de Trin. c. 2. *Pluuiam voluntariam, nonnisi Gratiam vult Dauid, intelligi, non meritis redditam, sed gratis datam, vnde & Gratia nominatur. Dedit enim eam non quia digni eramus, sed quia voluit.* Et in Psal. 67. eandem vrgens metaphoram. *Multò congruentiùs intelligitur ipsa Gratia pluuia voluntaria, quia nullis præcedentibus meritis gratis datur.* Et Epist. 105. *Si autem Gratia, vtique nullis meritis reddita, sed gratuitâ bonitate donata.* Et Serm. 11. de verb. Apost. *Quis prior dedit illi, quasi suorum gratia meritorum? quis prior dedit illi? Quis præuenit Gratiam, quæ gratis datur? Si aliquid meritorum ante venit gratiam, iam non gratis, sed ex debito redditur. Nihil dederunt vt eis retribueretur, pro nihilo saluos faciet illos.*

Augustin. lib. 4. ad Bonif. c. 3. *Non potest captiua voluntas nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem.* Et lib. 1. Retract. c. 9.

NAturam Gratię, quę liberum & gratuitum Dei donum est Gregorius expressit lib. 29. Moral. c. 15. ad illud: *Quis est pluuiæ pater, vel quis genuit stillas roris? Ac si diceret, nisi ego? qui siccam terrã hominis cordis, guttis scientiæ gratuitò aspergo. De hac enim pluuia aliàs dicitur: Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Voluntariã quippe pluuiã hæreditati suæ Dominus segregat: quia nõ eã nobis pro nostris meritis, sed pro suæ munere benignitatis præstat. Et idcirco hoc loco pater pluuiæ dicitur, quia superna nobis prædicatio non de*

nostro merito, sed de eius gratiâ generatur.

Necessitatem vtriusque Excitantis & Adiuuantis Gratiæ, & nostræ sine ipsius ope infirmitatem naturæ ita proponit. Hom. 11. in Ezechiel. *Ad bona assurgere perfectè non possumus, nisi nos spiritus & præueniendo elucet, & subsequendo confortet.* Deinde. *In omni ergo quod cogitamus, semper cogitandum est, vt & ipso aspirante cogitemus, & ipso adiuuãte faciamus.* Rursumque lib. 1. Dial. c. 4. *Omne opus dona Dei præueniunt, quamuis ex subsequenti opere ipsa etiam Dona succrescant.* Hæc sint quasi lineamenta. En imago iusta & spirans in tabula. Hom. 9. in Ezechiel. Illud exponens: *Fili hominis sta super pedes tuos. Ecce diuina, inquit, vox iacenti Prophetæ iussit vt resurgeret: sed surgere omnino non posset nisi in hunc*

Voluntas nisi Gratia Dei liberetur, & adiuuetur, rectè, pieque viui non potest. Et hoc Diuinum beneficium, nisi eam præueniret, iam meritum eius daretur. Et lib. Enchir. c. 37. *Deus voluntatem bonam, & præparat adiuuandam & adiuuat præparatã.* Et Epist. 134. *Deo inspirante voluisti, & adiuuante potuisti.* Et l. 2. ad Bonifac. c. 9. *Benedictio dulcedinis est Gratia Dei, in qua si nos non præuenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò, nec incipere, nec perficere: quia vt incipiamus dictum est: Misericordia eius præueniet me vt perficiamus, dictum est: Misericordia eius subsequetur me.* Et rursum in Enchir. c. 3. *Vtrumque legitur in sacris eloquiis & misericordia eius præueniet me & misericordia eius subsequetur me nolentem præuenit, vt velit, volentem subsequitur ne frustrà velit.* Et in Psal. 70. *Commendat nobis gratiam Dei: commendat nobis, quia per nosmetipsos nihil sumus: commendat nobis, quia quicquid sumus, illius misericordia sumus.* Et lib. de Grat. & lib. arb. c. 17. *Sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Augustin. lib. de Cor. & Grat. c. 12. *Per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum Gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Et c. 8. *Electi sunt per electionem Gratiæ non præcedentium meritorum, quia Gratia*

Gratia est ilius omne meritum. * Et lib. de Grat. & lib. arb. c. 6. *Cum dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur, illam verò quæ datur in fine, id est, vitam æternam meritis nostris præcedentibus reddi: Respondendum est eis: Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant vt ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua. Si tibi a te ipso non ab alio sunt merita tua; hæc enim si talia sunt mala sunt. Quæ mala sunt non coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt?* Et lib. de Grat. & lib. Arbit. c. 5. *Ne voluntas sine Gratia Dei putetur aliquid boni posse, continuò cum dixisset: Gratia eius in me vacua non fuit: sed plus omnibus illis laboraui; subiunxit, atque ait: Non ego autem, sed Gratia Dei mecum, id est, non solus, sed Gratia Dei mecum. Ac per hoc nec Gratia Dei sola, nec ipse solus: sed Gratia Dei cum illo. Vt autem de Cœlo vocaretur, & tam magnâ & efficacissimâ vocatione conuerteretur Gratia Dei erat sola.* August. l. 1. ad Bonifac. c. 19. *Quã multi subitò Dei occultâ gratiâ*

in hunc Omnipotentis Dei Spiritus intrasset, quia ex Omnipotentis Dei Gratia ad bona opera quidem possumus (vide vt ne ipse quidem conatus sine Gratia possit existere?) *sed hæc implere non possumus, si ipse non adiuuat, qui iubet. Paulus cum discipulos admoneret dicens: Cum metu & tremore vestram salutem operamini: illico quis ipsa bona operaretur adiunxit. Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit: sine me nihil potestis facere.* * Nunc doceat nos Gregorius in merito nostro præcipuas esse Gratiæ partes: & bona opera nostra Deo Authori esse tribuenda, atque adeo nobis non esse de iis gloriandum. Pergit igitur. *Sed in his considerandum, quia si bona nostra sic Omnipotentis Dei Dona sunt, vt in eis aliquid,*

nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? si autem ita nostra sunt, vt Dei Omnipotentis non sint, cur ex eis Omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est, quia mala nostra solummodo nostra sunt; bona autem nostra, & Omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus: sed possimus implere quæ volumus. Præueniente ergo Gratia, & bona volũtate subsequente, hoc quod Omnipotentis Dei Donum est fit meritum nostrum. Quod benè Paulus breui sententià explicat dicens; Plus illis omnibus laboraui. Qui ne suæ videretur tribuisse virtuti quod fecerat, adiunxit. Non autem ego sed Gratia Dei mecum. Quia enim Cœlesti dono præuentus est, quasi alienum se à bono opere agnouit. Non autem ego. Pudeat dicere tam

trahuntur ad Christum? Quis trahitur si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines quod fieri non potest nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Et tract 29. in Ioannem. *Quomodo istam soluimus quæstionem: nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum. Si trahitur, ait aliquis, inuitus venit, &c.* Et respondens ait: *Nolite cogitare inuitum trahi, trahitur animus & amore, &c.* Et, *Nemo venit nisi tractus.* Et, *quomodo voluntate credo si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino*, &c. Et lib. 2. de Peccator. mer. & rem. c. 19. *Quid aliud deprecamur quàm vt aperiat, quod latebat, & suaue faciat, quod non delectabat.* Et lib. de Agone Christ. *Gustemus, quam suauis est Dominus, qui dedit nobis pignus Spiritum in quo sentiamus eius dulcedinem.* Et Sermone 4. de verb. Apost. *Tunc disco, vt faciam, si in tua suauitate doceas me.* Et Psal. 8. *Suauitatem iustitiæ faciendæ dabit tibi, vt incipiat te delectare iustitia.* Non modo sensu, sed verbis cum Augustino consentit Gregorius *Trahi, dulcedine, suauitate, delectatione*, vterque dicit. Vterque motionem & impulsum Gratiæ in dulcedine delectante constituit. Quam delectationem victricem Augusti-

nus appellat. lib. 2. de peccat mer. & rem. lib. de Correpr. & Grat. c. 11. & lib. 1. oper. imperf.

De Gloria, quæ cum merces & præmium & corona Iuſtitiæ & ſit, & eſſe videatur: ſic à Gratia tamen & miſericòrdia profecta, vt vtramque rationem contineat, ſed Gratia primas vendicet: ita ante Gregorium Auguſtinus: & quidem aptiſſimè lib. de Corr. & Grat. c. 13. cum enim Prædeſtinationem nullis meritis nixam, ad Gloriam non ſine mèritis conſequendam relatam expendiſſet, & Gratiam in eligendo, cum iuſtitia in exequendo contuliſſet: ſic ait; *Sanctus Dauid dicit: Qui coronat te in miſeratione & miſericordia. Dicit etiam Iacobus Apoſtolus Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam: vbi oſtendit etiam in ipſo iudicio in quo iuſti coronantur, iniuſtique damnantur, alios cum miſericordia eſſe iudicandos.* Deinde; *Etiam ibi miſericordia Dei neceſſaria eſt, quâ ſit beatus cui non imputauit Dominus peccatum: ſed tum pro bonorum operum meritis iuſto iudicio etiam ipſa miſericordia tribuetur. Cum enim dicitur Iudicium: ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam, manifeſtatur in his, in quibus inueniuntur bona opera miſericordiæ, iudicium fieri: ac per hoc etiam ipſam miſericordiã meritis bonorum operum reddi.* Paulò poſt: *Verumtamen quia & ipſa vita æterna quam certum eſt bonis operibus debitam reddi à tanto Apoſtolo Gratia Dei dicitur: cum* noſtra eſſe opera ſupernaturalia, quòd ea liberi ac volentes facimus, vt æquè ſint à nobis, & à Gratia; atque adeò, quaſi ex propriis Gloriari in aliqua iure poſſimus. Cum Paulus apud Gregorium, merita ſua à ſe aliena faciat, & Gratiæ tota tribuat, quòd ſint à Gratia, ſe tamen ipſo cooperante, perfecta. *Non autem ego*, inquit Paulus. Reddo me Gregorio. *Sed quia præueniens Gratia liberũ in eo arbitrium fecerat in bono, quod libero arbitrio eandem gratiam eſt ſubſecutus in opere, adiunxit: ſed Gratia Dei mecum: Ac ſi diceret. In bono opere laboraui, non ego, ſed & ego.* Adſcribit & finit. *His igitur breuiter contra Pelagium & Celeſtiũ dictis ad exponendi ordinem redeamus.* Ita Gregorius ex Paulo docet præueniri nos Gratia, quam moti

ſequamur, iuuari nos ſequente Gratia, quam comitemur. Quare ex hoc magno Magiſtro diſcimus: neque ſatis eſſe Gratiam præuenientem ſine iuuante, neque iuuante ſine præueniente. Quod ipſum certè docuit Auguſtinus. Tandem quod omnes auidè expectamus exponat; quâ nos virtute Gratia moueat, trahátque citra vim libentes, ac volentes, & libertatem voluntatis, cum efficacia Gratiæ componat: En Gregorij è ſumma certè Cortina Oraculũ ex cap. 2. in Canticum Cantic. *Anima quia virtus ſibi non ſuppetit, in Deum inhians trahi ſe poſtulat dicens: Trahe me poſt te, in odorem vnguentorum tuorum Non currit quia non trahitur, quia quem Diuina Gratia non adiuuat, moleſtia ſuæ corruptionis grauatur.*

Gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ſine vlla dubitatione confitendum eſt; ideo Gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ Gratia contulit homini. Rectè quippe ipſa intelligitur, quæ in Euangelio legitur, Gratia pro Gratia, id eſt, pro his meritis quæ contulit Gratia. Nec minus luculenter lib. de Grat. & lib. arb. c. 8. Solidò. Illa decerpo quibus concludit. *Itaque ſi vita bona noſtra nihil aliud eſt, quam Dei Gratia, ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ noſtræ redditur Dei Gratia eſt: & ipſa enim gratis datur quia gratis data eſt illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodo Gratia eſt: hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium eius eſt Gratia tanquã merces pro iuſtitia: vt verum ſit, quoniam verum eſt, quia reddet vnicuique Deus ſecundum opera eius.* Sequitur c. 9. & quidem ſpecioſiùs. *Gratiam pro Gratia. Ex eius plenitudine accepimus pro modulo noſtro tanquam particulas noſtras vt benè viuamus, ſicut Deus partitus eſt menſuram Fidei, quia vnuſquiſque proprium donum habet à Deo alius ſic, alius ſic, alius autem ſic, & ipſa eſt Gratia: ſed inſuper accipiemus & Gratiam pro Gratia, quando nobis vita æterna reddetur: De qua dicit Apoſtolus: Gratia autem Dei vita æterna: cum prius dixiſſet: ſtipendium peccati mors Merito ſtipendium, quia militia Diabolica mors æterna tanquam debitum redditur. Vbi cum poſſet* dicere

dicere, & rectè dicere stipendium autem iustitiæ vita æterna, maluit dicere Gratia autem Dei vita æterna: vt hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo eius animæ suæ: Qui coronat te in miseratione, & misericordia. Nunquid non Corona pro bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est: Deus est qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate, ideo dixit Psalmus: Coronat te in miseratione, & misericordia; quia eius miseratione bona operamur quibus Corona redditur. Acutè omnino & aptè Augustinus conciliauit locos sacræ paginæ, vbi iustitia meritis respondit, cum iis locis in quib⁹ misericordia & Gratia consonat donis: vt ex vtrisque existat harmonia Meriti & Gratiæ. His gemmis & distinguit & ornat *Coronam Gloriæ.* Quæ cum *Corona Iustitiæ* vocetur a Paulo, quæ meritis redditur à Dauide *Corona Misericordiæ* appellatur. *Qui coronat te in misericordia*, quæ gratis confertur. Quod sanè meriti, gratiæque commercium, ceu gemmarum vinculum peritissimus mercator opum cœlestium Augustinus cognouit. Nec vnâ tantùm pretiosâ contentus Margaritâ, alteram quæsiuit, pretium vt adderet ex consortio gemmarũ geminarum. Nouerat conchas purissimo Spiritus-sancti rore fœcundas, Dauidem, Paulum, Ioannem.

tur. Gratia quippe Diuina nos præuenit, & internorum dulcedinem nobis ostendens de exterioribus nos compungit. Addit: *Iste ergo qui trahitur currit: quia vinculum Amoris libenter sequens, gratiæ roboratus amore sine grauedine obstacula omnia transit. Nec mirum vnguentorum odorem sequatur, quia cum spiritalium donorum suauitas sentitur, quid est in hac temporalitate cuius desiderio Anima sancta sponsa Christi, ne in illa properet, teneatur?* Hæc nimirum illa facies Gratiæ est, quam Augustinus exhibuit: non modo iisdem lineamentis, sed & coloribus expressa ne? an reddita? Nusquam magis grata gratia spectanda proponitur, nusquã gratiosior. Quin & tantum Gratiæ tabulę inest, vt in ea viuere videatur. Verûm, quoniam si nulla sit ex nobis causa Prędesti-

I

nationis; atque eius effectus sit tota Gratia, huiusque nos & virtus prçueniat, & suauitas efficax moueat, nosque nonnisi ab ea præparati, ac ducti & inclinati operemur, timent quidam Theologi libertati, ac meritis, verentúrque ne Gloriæ prçmium, quod merces appellatur, & corona Iustitiæ, inane sit, quòd nostri Iuris non sit, perindéq; se habeant qui plus ac qui minus laborarint: cũ reddi non videatur secundũ opera nostra æternæ illud beatitatis Prœmiũ; quod solent Augustino importunè obiicere: consultum te volumus, Grégori sanctissime, tuque nobis autor esto idoneus, quid haç in re tanta sentire debeamus: & an liceat ab Augustini doctrina de meréndi ratione tradita dissentire. Et quidem ita res-

ingeniosè expiscatus collegit & in Coronam pulcherrimus Gratiæ artifex contulit, vt iustos Gloriâ coronaret. Nouâ locum Ioannis *Gratiam pro Gratia* explicatione, sed germanâ, sed venustâ, sed aptâ exposuit: & apud omnes rectos interpretes gratiam collegit. Auidissimè arripuit Gregorius, arripuit Bernardus, duo lumina Ecclesiæ, duo columina Fidei, duo fulmina hæreticorum. Hoc merum mel, hoc nectar, hanc ambrosiam Apis Diuina non matina in fauum Euangelij Augustinus induxit: quo non homines modo, sed superi etiam delectentur. Ego sanè sic afficior, vt cum ista lego gustum mihi quendam habere videar diuinæ suauitatis. Hac delibutus recolo illa, *Vita æterna ipsa intelligitur, quæ in Euangelio legitur Gratia pro Gratia, id est, pro his meritis, quæ contulit Gratia. Quomodo Gratia vita æterna quæ ex operibus sumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apostolus Gratiam? Gratia autem Dei vita æterna. Intelligamus ipsa bona opera quibus æterna redditur vita ad Dei Gratiam pertinere. Itaque Fratres Charissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est, & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur, sed illa cui datur, tantummodo Gratia est, hæc autẽ quæ illi datur quoniam præmium eius est, Gratia est pro Gratia, tanquam merces pro iustitia, vt verum sit*

quoniam verùm est, quod reddet vnicuique Deus secundum opera eius. Certè, qui hanc interpretationem, vel non intelligit, vel non probat, eius ad omnem non modo concentum, sed & vocem Gratiæ aures obsurduerunt. Et quidem hæc huiusce ratiocinationis esto ab Augustino imposita Coronis. Ita se duo hi Cherubini versis in Propitiatoriũ Gratia vultibus amicè respiciunt: & extentis ingenij alis complectuntur.

pondet Gregor. in Commentario Psal. 7. Pœnitent. *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam.* Quod sic illustrat. *Scilicet*, inquit, *æternam. Misericordia enim Domini ab æterno vsque in æternum super timentes eum. Quòd si illa Sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, vbi erit quod scriptum est. Et tu reddes vnicuique secundum opera sua? Si secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundùm opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim quod secundùm opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, vt cuius apparuerint bona opera, eius sit & retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitę, in qua cum Deo & de Deo viuitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cum Apostolus dicat: Non sunt condignæ Passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quanquam & ex hoc, iure possit misericordia nominari*, (Hic te mihi siste ô Lector erectum ac intentum) *quia pro illis operibus datur, quæ sine præuentu misericordię Dei nemo assequitur. Vnde in Psalmis dicitur: Deus meus, misericordia eius præueniet me. Nisi enim vasa iræ fecisset vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa conuersatio sancta discerneret, neminem à Pœna perpetuæ mortis Iustitia propria liberaret. Constat ergo, quia quibus misericorditer tribuit, vt in hac vita benè operentur, eis*

misericorditer largitur, vt in æterna beatitudine centuplicatò fructu remunerentur. Hæc est Gratia quam pro Gratia dandam sanctus Dei Apostolus perhibet, vt quibus in hac vita datur Gratia sanctificationis, eis ex hac quoque in futuro detur Gratia æternæ felicitatis.

Agnosco in Gregorio Augustinum, eius enim ille folium recitat, dum reddit oraculum, quo docet, merita ita esse nostra, vt non sint ex nobis, atque adeò dona Dei, quod à Gratia, sint profecta esse. Quod sæpè tradit Augustinus: vsus eodem quod nunc repræsentat Gregorius argumento, loco illo Ioannis illustrato: Ex quo constet totum ius nostrum ad Gloriam, quæ Corona Iustitiæ dicitur, Dei misericordiâ niti, qui nos *miserationibus coronat*: quemadmodum ex Dauide probat Augustinus, quòd licet nos liberè operemur, & Gratiam comitemur, nihil dignum in merito nisi ex Gratia existit, qua sublata inanis est industria, & cassum opus. Libertas quidem exigitur ad meritum, sed quidquid iuris illo acquiritur Gratiæ accepto fertur. Quare & donum Præmium est & Gratia, quod Gratiæ redditur: ex qua meriti dignitas existit. Quo nomine vtrumque & meritum, & Præmium Gratia apud Ioannem, à Ioanne alio appellatur. Quam à Christo Seruatore accipimus: de cuius fontibus omnia Dei dona haurimus. Quem locum etsi versent, vexéntque noui Euangeliorum Interpretes, quibus ista quidam minus interpretatio placet, non aliter poterunt commodè interpretari. Atque hic finis esto huius quasi inter Augustinum

Gre-

Gregoriumque concordiæ: quorum quòd idem erat rerum cœlestium ac diuinarum sensus, eadem quoque fuit sententia. Illud animaduertat Lector, velim, quæ in Augustino sunt Capita, ea omnia recipi à Gregorio & probari. In summam redigo. Nullam ex nobis esse causam Prędestinationis. E massa damnata Dei misericordiâ discretos, quos Deo placuit eligere. His media Gratiæ ex Gratia præparata, quæ illos, liberè tamẽ, modo sint adulti, operantes ad Gloriam conducant. Cæteros in eadem massa derelictos, Iusto Dei iudicio: non tamen nisi ex admissis contractisque Peccatis damnandos. Non omnibus Gratiam dari. Fidem esse ostium Gratiæ. Non rectè operari qui caret Fide. Gratiæ efficacem inesse virtutem. Hanc antecedenter præuenire ac mouere voluntatem suauitate inescante ac trahente, sed integra, illæsaque libertate. Deseri à Deo iustè in Pœnam Peccati Peccatores. Merita ita nostra esse vt Dei dona sint. Omnia vero nobis sanguine suo Christum meruisse, non effundendo nisi in reconciliationem Peccatorum, Autor est Gregorius; à quo qui ab Augustino dissentiat, necesse est dissentire.

Finis D. Gregorij.

GEMINA

DIVI BERNARDI

DE GRATIA ET PRÆDESTINATIONE

D. Auguſtini doctrinæ ſententia.

ECQVIS non Diuo Bernardo credat, modo eius de Gratia Chriſti ſit comperta ſententia? Cûm & eius vita & doctrina eandem Gratiam, & moribus, & ſcriptis redoleant. Nam eius vitam omnes qui eam litteris prodiderunt Cœleſtem planè fuiſſe, & Gratiæ ſingularis beneficio inſtitutam, & Dei dono innocentiſſimè actam teſtantur: doctrinam ipſemet non tam humanâ operâ & induſtriâ à ſe comparatam, quàm à Diuino ſpiritu gratis acceptam idoneus autor affirmare ſolitus erat. *Confeſſus eſt enim*, ait in eius vita Gofridus, c. 3. *aliquando ſibi*

Gofridus in vita D. Bernardi.

meditanti, vel oranti sacram omnem, velut sub se positam & expositam apparuisse scripturam. Itaque præiudicium fuerit de Rebus Gratiæ Bernardi iudicium. Anxiè & studiosè Bernardum euolui, quòd magna de tanto viro expectatio solicitudinem creauit animo: ne quid fortè ille aliter, quàm ego ex Augustino didiceram, traderet; quod me certè aliquantulum commoueret, non vt ab Augustino discederem, id enim esset à veritate ipsa deficere, sed quòd si ab eo Bernardus dissentiret, viderer ego mihi aut Augustini mentem minus assecutus, aut certè minus ei contrà Bernardo sentiente, quanquam omninò Augustino assensurus eram, libens, lubénsque sentirem. Tantus mihi in Bernardum Amor; tanta apud me Bernardi authoritas erat. Quanquàm ægrè mihi persuadere poteram, aliam Bernardo, quam quæ Augustino esset, mentem esse posse. Sed ipse me in vtrumque Amor, timidum reddebat, non dubium: non tam caligine mentis, quàm affectu voluntatis, quo fit plerúmque, vt quæ certa habentur ac explorata, quòd magno eorum desiderio tenemur, dubia & incerta videantur. Fateor ingenuè trementem me ac sudantem Bernardum legere aggressum, non quòd antè

non

non legiſſem, ſed quòd non eum mihi hoc animo, neque hanc in rem legendum propoſuiſſem. Eò me ſtatim contuli, vbi de Gratia & libero arbitrio ſcribit ad Vuillermum Bernardus: ratus eo in libro inuentum iri à me quo vel Animo meo requiem, vel tormentum pararem. Vix decem lineas legeram, cum exultaui, & exclamaui. *Noſter eſt Bernardus*; & eruperunt lacrymæ. Hoc quaſi pignore fiduciæ accepto legi illud opuſculum. Cepit me ſtupor quòd id nihil eſt aliud, quàm fuſæ per tot librorum ſpatia doctrinæ Auguſtini compendium. In quo tu non eaſdem modo ſententias, & eoſdem ſacrarum literarum locos, ſed eadem plerunque verba expreſſa reperias. Quid agerem? dubius hæſi. Summam ne facerem! illud compendium eſt. Transferrem-ne? Integrum habes, præſtat legere in Bernardo Bernardum. Omitterem igitur. At quâ mihi fide credat, qui mea legit? Itaque ſedit, aliquas inde non faces, nam fax eſt liber; ſed ſcintillas excutere, quibus in mente Lectoris, ſi modò memor eſt eorum quæ Auguſtinus docuit, tanquam in fomite flamma Auguſtini excitetur. Memineris me ſcintillas elicere: ex his pende reliqua. Igitur. *Quid agit*, quæri-

tur ex Bernardo, *liberum arbitrium?* Reſpondet *ſaluatur. Tolle liberum arbitrium. Non erit quod ſaluetur. Tolle Gratiam, non erit vnde ſaluetur. Opus hoc ſine duobus effici non poteſt, vno à quo fit, alterum cui, vel in quo fit. Deus author eſt ſalutis, liberum arbitrium tantum capax, nec dare illam niſi Deus, nec capere valet niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, quam abſque Gratia dantis. Et ita Gratia operanti ſalutem, cooperari dicitur liberum arbitrium dum conſentit, hoc eſt dum ſaluatur.* An non ex hac fauilla lucem concipis Auguſtini? Accipe aliam. *Arbitrium ſanè liberum eſt, non illa libertate de qua dicit Apoſtolus: Vbi ſpiritus Domini ibi libertas. Eſt enim illa libertas à Peccato, ſicut alibi dicit: Cum ſerui eſſetis Peccati, liberi fuiſtis Iuſtitiæ. Nunc autem liberati à peccato ſerui autem facti Deo. Quis vero in Carne Peccati à Peccato ſibi vindicat libertatem? Hac ergo libertate merito nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium. Ei congruere arbitror libertatem quam dicere*

Auguſt. lib. de Grat. & lib. arb. c. 2. & 3. lib. de Cor. & Grat. c. 12. Epi. 107. lib. 1. Retract. c. 9. lib. de Prædeſt. Sanct. c. 5. lib. de Nat. & Grat. c. 66.

Auguſt. cont. Fortun. d. 2. li. 2. de nupt. & concup. c. 8. lib. de nat. & Grat. c. 67. l. de perf. iuſtit. c. 4. l. 1.

possumus à necessitate. Triplex est nobis libertas à Peccato, à miseria, à necessitate: hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ; In primam restauramur à Gratia: media nobis reseruatur in Patria. Dicatur igitur: Prima libertas naturæ, secunda Gratiæ, tertia vitæ, vel Gloriæ. De hac & de illa, quam diximus à Peccato Christus aiebat: si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Liberum arbitrium liberatore indigere significabat, sed planè qui illud liberaret, non à necessitate, quam voluntatis esse penitus non nouerat, sed à Peccato, in quod tam liberè quam voluntariè corruerat, simúlque à Pœna Peccati, quam incautum incurrerat, inuitumque ferebat. Quam se hic prodat Augustinus cœcus fuerit qui non videat. Elicio aliam. *Libertas à necessitate, nec Peccato, nec miseria, amittitur, vel minuitur. Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam sit captiuitas mentis. Quod autem homines solent conqueri, & dicere: volo habere bonam voluntatem, & non possum, nequaquam huic præscribit voluntatis libertati, sed planè illa libertate, quæ dicitur*

ad Bonif. c. 2. & l. 2. c. 5. & 19. in Enchir. c. 30. in Psal. 107. li. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 6. Epist. 90. Epist. 144. & lib. 1. oper. imperf. & lib. 14. de Ciuit. c. 11.

August. lib. 1. ad Bonif. c. 2. & 8. & in Enchir. c. 30. & lib. de libero arbit. c. 11. & epist. 70. & 211. & lib. de contin. c. vlt. &

lib. de nat. & Grat. c. 57. & li. 12. contra Fauft. c. 9. & epist. 89. & lib. 1. Retract. c. 13. lib. 1. oper. imperf. cont. Iulianum. lib. de Cor. & Grat. c. 13. lib. de Nat. & Grat. c. 43. epist. 105. serm. 13. de verb. Apost. lib. 4. cont. Iul. c. 3. lib. de perfect. iust. c. 2.

à Peccato, se carere testantur. Nam qui vult habere bonam voluntatem probat se habere voluntatem. Non enim vult habere bonam nisi per voluntatem. Quod si voluntatem, & libertatem; sed libertatem à necessitate non à Peccato. Cum autem non valemus quod volumus, sentimus quidem ipsam quodammodo libertatem Peccato esse captiuam, vel miseram, non tamen amissam. Quidni illam quæ admodum perspicua est excutio? *Velle inest nobis ex libero arbitrio. Non etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum, aut velle malum, sed tantum velle. Velle enim bonum & profectus est. Velle malum defectus. Velle verò simpliciter ipsum est, quod vel proficit, vel deficit. Porro ipsum vt esset, creans Gratia fecit. Vt proficiat saluans Gratia facit. Vt deficiat ipsum se deiicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes; Gratia beneuolos. Ex ipso nobis est velle. Ex ipsa bonum velle. Itaque aliud est velle, aliud velle bonum. Simplices affectiones insunt naturaliter nobis, tanquam ex nobis: Additamenta ex Gratia. Velle bonum accipimus*

pimus in visitatione Gratiæ. Itaque libera voluntas nos facit nostros, mala Diaboli, bona Dei. Cæterùm siue Dei simus, siue Diaboli, non desinimus esse & nostri. Sanè Diabolo nostra nos mancipat volũtas. Vt velle nostrum, quod ex libero arbitrio habemus, perfectum habeamus duplici Gratiæ munere indigemus, & vero: videlicet sapere, quod est voluntatis ad bonum conuersio, & pleno etiam, posse; quod est eiusdem in bonum confirmatio. Maior adhuc ex luce sequentibus oboritur. In qua lucet Augustini de Adami in statu integro, deque eiusdem in statu ruinæ libertate & Gratia, verum expressúmq; iudicium. *Nunc locus est peruidendi vtrũ tres illas libertates arbitrij, consilij, complaciti, vel aliis nominibus à necessitate, à Peccato à miseria primi homines habuerint in Paradiso, aut tantum duas, aut vnam solummodo. De prima quidem quæstio nulla erit. De duabus reliquis quæritur. An dicendus est aliquo modo illas habuisse? sed non plenariè. Habet si quidem vnaquæque illarum duos gradus superiorem & inferiorem. Superior libertas*

Auguft. lib. 22. de Ciuit. c. vlt. & lib. de Cor. & Grat. c. 10. & 11. omnino perspicuè. & lib. 11. de Genes. ad litter. c. 4. & in Enchir. c. 106. & 107. lib. de Dono Perseu. c. 7. & rurs. de Cor. & Grat. c. 12.

consilij est, non posse peccare. Inferior posse non peccare. Item superior libertas complaciti non posse turbari. Inferior posse non turbari. Itaque inferiorem vtriusque libertatis gradum simul cum plenâ libertate arbitrij homo iñ sui conditione accepit, & de vtroque corruit, cum peccauit. Deum immortalem? Augustinus hic est. *Corruit autem de posse non peccare, in non posse non peccare: amissa ex toto consilij libertate. Itémque de posse non turbari, in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate: sola remansit ad Pœnam libertas arbitrij, per quam vtique cæteras amisit ipsam tamen amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem seruus Peccati factus perdidit libertatem consilij. Porrò per Peccatum factus debitor mortis, quomodo iam libertatem valebit retinere complaciti? De tribus ergo libertatibus, quas acceperat, abutendo illa quæ dicitur arbitrij, reliquis sese priuauit.* Hic exultaui, impos mei præ lætitia. Nosco in Bernardo meo Augustinum meum. An ille ista Bernardo scribenti dictauit? Gemina sunt quæ adscribit.

August. lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. & 20. in Enchir. c. 30. & 31. lib. de perfect. Iust. c. 4. lib. 1. ad Bonifac. c. 2. apertè.

Lapsus Adamus ex voluntate, non æquè ex voluntate resurgere iam liberum habet, quia etsi datum fuit voluntati posse stare, ne caderet: non tamen resurgere si caderet. Cecidit sola voluntate homo, sed non ex voluntate sufficit & posse resurgere, cum iam etsi velit non possit non peccare. Quid ergo? periit liberum arbitrium? quoniam non potest non peccare? Nequaquam, sed liberum perdidit consilium, per quod prius habebat posse non peccare. Manet ergo etiam post Peccatum liberum arbitrium: etsi miserum, tamen integrum. Et quod per se homo non sufficit excutere à Peccato, siue miseria, non liberi arbitrij signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum priuationem. Iam verò exiliant aliæ scintillæ, quæ necessitatem Gratiæ prodant, & efficaciam, in hac libertate & consilij, & complaciti reparanda. *Habet igitur homo necessarium Dei virtutem & Dei sapientiam Christum qui ex eo quod sapientia est, verum ei sapere reinfundat in restaurationem liberi consilij: & ex eo quod virtus, plenum posse restituat in reparationē liberi complaciti.* Suf-

Augustin. lib. de nat. & Grat. c. 43. lib. 1. oper. imperf. cont. Iulian. & lib. 2. fol. 309. & 428. lib. de nupt. & concup. c. 8. lib. 2. ad Bonif. c. 5. & lib. 3. c. 3. & vltimo & lib. de spir. & lit. c. 3. manifestè.

August. l. 1. ad Bonif. c. 3. & l. 2. c. 5. & l. 4. c. 6. & epist. 107. in Enchir. c. 30. li. de Cor. & Grat. c. 12. l. de nat. & Grat. c. 53. l. 1. Retract. c. 1. & 9. l. de gest. Pelag. c. 6.

ficiat in hoc corpore mortis, atque in hoc sæculo nequam ex libertate consilij peccato non obedire in concupiscentia; ex libertate autem complaciti aduersa non formidare pro Iustitia. Sic profectò Dei in nobis reparamus imaginem, sic antiquo honori illi capessendo, quem per peccatum amisimus, per Gratiam præparamur. Et infra. *Non possumus hic penitus esse sine peccato & miseria: possumus tamen Gratia iuuante nec peccato superari, nec miseria.* Et mox. *Verum cuius ad talia prouocamur exemplo, indigemus & auxilio, quo ipsi videlicet per ipsam Dei sapientiam conformemur, atque in eandem imaginem transformemur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Ergo si à Domini spiritu, iam non à libero arbitrio. Nemo proindè putet ideò dictum liberum arbitrium, quòd æquâ inter bonum & malum potestate aut facultate versetur; cum cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini spiritum.* Hauri vberrimæ lucis fontes ex hoc sole, non iam scintillas excipe. Et quid in nobis efficiat Gratia secundum Augustini doctri-

& 8. epist. 105. & epist. 90. & ad Hilarium ep. 8. Psal. 65. l. 1. cont. Iulian. c. 3. l. 3. ad Bonif. c. 8. l. 2. de nupt. & concup. c. 3. & 8. epist. 89. lib. 1. & 2. oper. imp. cont. Iulianum.

doctrinam intuere. *De libero itaque arbitrio nec extra ipsum quaratur damnationis causa, quod iam non damnat nisi propria culpa: nec ab ipso salutis merita, quod sola saluat misericordia. Cuius quippe conatus ad bonum & cassi sunt, si à Gratia non adiuuentur, & nulli si non excitentur. Caterùm in malum sunt proni, dicente Scripturâ, sensus & cogitationes hominum. Proinde non ei à se, sed de sursum potius à Patre luminum descendere merita putentur. Itaque non liberi arbitrij, sed Domini est salus. Dei sunt procul dubio tam nostra opera, quam eius præmia.* Hic te volo lector. *Operatur ergo illorum salutem, quorum nomina sunt in libro vita.* Nihilo hic minus. Quin & multo attentiorem. *Quid igitur? hoc totum liberi arbitrij opus, hoc eius solum est meritum, quod consentit? Est prorsus. Non equidem quod vel ipse consensus in quo omne meritum consistit ab ipso fit, cùm nec cogitare, (quod minus est quàm consentire) aliquid à nobis, quasi ex nobis, sufficientes simus. Verba sunt non mea, sed Apostoli, qui omne quod boni*

Augustinus in Enchir. c. 30. serm. 12. de verb. Apost. & lib. 3. ad Bonif. c. 8. & & lib. de spir. & liter. c. 30. lib. de Perf. iust. c. 4. lib. 14. de ciuit. c. 11. in epist. ad Galat. lib. de Cor. & Grat. c. 11. 12. & 13. li. 2. de peccat. mer. & rem. c. 5. l. de Præd. Sanct. c. 15. & lib. de Cor. & Grat. c. 11. li. 83. quæst. q. 68. li. 2. de lib. arb. c. 2. & 20. epist. 105. lib. de Don. Perseu. c. 17. & vlt. lib. 3. de Grat. & li. arb. c. 6. li. 1. ad Simpl. q. 2. lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. & 19. lib. de spir. & lit. c. 3. & 15. lib. 2. ad Bonif. c. 10. & l. 4. c. 5. epist. 107. lib. de

esse potest, id est, cogitare & velle, & perficere pro bona voluntate attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonum cogitare, velle, perficere operatur in nobis, primum profectò sine nobis secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos præuenit, immutando etiam malam voluntatem sibi per consensum iungit, ministrando & consensui facultatem foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit. Sanè ipsi nos præuenire nequaquam possumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem saluat, quem non præuenit. A Deo ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum. Verum consensus & opus, etsi non ex nobis, sed non iam tamen sine nobis. Clariùs adhuc Bernardus hoc ipsum. *Gratia liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum, roborat vt perducat ad actũ. Ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à sola Gratia cœptum est pariter ab vtroque perficitur. Non partim*

Cor. & Grat. c.2. lib. de Gest. Pelag. c. 3.

Augustin. lib. de Don. Perseu. c. 6. lib. de Grat. & lib. arb. c. 16. l. 4. ad Bonif. c. 6. lib. de Grat. Chr. c. 16. in Psal. 126. lib. 1. ad Simpl. q. 2. lib. de Grat. & lib. arb. c. 7. lib. de Prædest. Sanct. c. 8. epist. 120. in Psal. 65. & 67. li. de Cor. & Grat. c. 12. epist. 143. lib. de peccat. mer. & rem. c. 19. Homil. 14. c. 5.

Gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa. Atque vt ſcias priores & præcipuas Partes Gratiæ eſſe: addit: *Quid aliud ſonat noſtra oratio; quam illud, ergo neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei? Quod ſanè non ideo dicit, quaſi quis velle, aut currere poſſit in vanum, ſed quod is qui vult & currit, non in ſe, ſed in eo à quo accipit, & velle & currere debeat gloriari. Denique ait: Quid habes, quod non accepiſti? Crearis, ſanaris, ſaluaris. Quid horum tibi ex te homo? Quid horum non impoſſibile libero arbitrio? Qui fecit, quod ſaluaret, etiam dat, vnde ſaluet. Ipſe merita donat, qui fecit quibus donaret.* Ac vt prorſus cum Auguſtino conſentiat, concludit. *Deus coadiutorem hominem habere dignatus eſt. Porrò coadiutorem fecit, cum fecit volentem; hoc eſt ſuæ voluntati conſentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo à Deo voluntas eſt, & meritum. Nec dubium quin*

Auguſt. epi. 107. lib. 2. ad Bonif. c. 9. & 10. & l. 4. c. 6. & l. de Don. Perſ. c. 16. & lib. de Grat. & lib. arb. c. 5. & 17. & lib. 1. oper. imperf. cont. Iulian. & epiſt. 134.

à Deo sit & velle & perficere. Deus igitur auctor est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. Denique quos & iustificauit, non quos iustos inuenit, hos & magnificauit. Cuius quæso flammæ sunt hæ scintillæ? Noris in Bernardo Promethei, at cœlestis, at Diuini Personam, à quo ista fax ex Augustini Sole deprompta, in hunc est librum coniecta. Quidni tu meum iudicium probas, summam hanc esse totius Augustini doctrinæ? An ab eo, an ab illo à quo hausit Augustinus Spiritu acceperit, non nunc disputo, scio tamen inter se eos, non modo sensu, sed ipsa quoque lingua, sonoque verborũ conuenire. Atque hanc ipsam Dei à se traditam doctrinam recognoscit & confirmat Bernardus serm. 82. supra Cant. eius quendam quasi Epilogum ibi proponens, in quem illius libri opes coniecit.

lib. de Prædest. Sanct. & de Cor. & Gratia. tr. 86. in Ioan. lib. de Don. Perseuer. c. 8. in Psal. 30. ser. 16. de verb. Apost.

Bernard. Serm. 8. in Cant.

Quando igitur tanta est Bernardi cum Augustino consensio, ac eadem se tessera commilitones produnt: Age nunc Bernardi pro Augustino Ar-

mis pugnemus; sufficiat nobis ille tela, quibus hostes Augustini conficiamus. Et quemadmodum Bernardus clypeo Augustini se protegit, vt hæreticorum tela refutet. Epist. 78 & 190. Ita nunc ei vicem rependat, & gratiam gratiâ compenset. Quemque Bernardus fortissimum olim malleum contra suos hostes expertus. serm. 80. in cant. ei nunc Achates fidissimus sit, qui tela suggerat. Itaque illud primum esto ex Prædestinatione, quam maxime Augustini aduersarij opugnarunt, quòd nollent illius causam esse liberam Dei voluntatem ex misericordia eligentis ex massa damnata, quos voluit, eosque à cæteris singulari beneficio tuo discernentis, ac ex præposito gratiam iis, qua salutem consequantur præparantis: malintque causam Prædestinationis ex nobis esse, quod ea ratio fuerit electos primum à cæteris discernendi. Quî eos refellat Ber[illegible] videamus. Ille serm. 78. in cant. sic. *Intu[illegible] mecum in hoc tam magnifico opere salutis nostræ tria esse quædam quæ sibi vendicat author Deus, præuenitque in illis omnes auxiliatores ac cooperatores suos: Prædestinationem, creationem, inspirationem. Quarum Prædestinatio ante tempora est, creatio cum tempore, inspiratio in tempore. Sanè secundum Prædestinationem nunquam Ecclesia Electorum penes Deum*

D. Bern. Epist. 78. & 190. Serm. 80. in Cant.

August. lib. de Præd. sanct. lib. 2. de Peccat. mer. & remis. Epist. 105. & 106. lib. 2. ad Bonifac. 7. Epist. 1. ad Valent. lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 10. in Enchirid. c. 95.

non fuit, nunquam non grata extitit, nunquam non dilecta. Benedixit nos, inquit, Paulus in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Tum paucis interpositis. De cætero vnus omnibus per omnia introitus est: Electis dico, & Reprobis, Non enim est distinctio. Omnes peccauerunt, & omnes capitium suæ verecundiæ portant. Quæ igitur causa ex parte Electorum. Pergo. *Propter hoc itaque etsi in rebus conditis iam creata existens Ecclesia, nec sic tamen à creatura vlla inueniri poterat vel agnosci miro vtroque modo interim latens, & intra gremium beatæ Prædestinationis & intra massam miseræ damnationis.* Iò triumphe Augustine. Hoc trabali telo Pelagianus hostis prosternitur. *Massam illam tuam* Bernardus eadem voce ac sensu vsurpat. Vicisti. Erant i[illegible] peccati, sed iam apud Deum in eadem [illegible]issa discreti. Gradus hinc estó ad Gratiam præparantem eos, ac iis ex prædestinationis proposito præparatam. Doceat nos Bernardus An sit ipsa Gratia causa Prædestinationis, an effectus? *Cæterum quam celauerat ab æterno Prædestinans sapientia, & item creans potentia minimè prodiderat, ab initio visitans Gratia in suo tempore reuelauit secundum operationem, quam ideo inspirationem suprà nominaui,*

lib. de Don. Perseuer. c. 14. lib. 1. ad simpl. 9. 2. lib. 14. de ciuit. c. 26. lib. 4. contr. Iulian. c. 8. lib. de nat. & Grat. c. 5. lib. 1. oper. Imp. fol. 179. & lib 2. fol. 347. lib. 3. contr. Iulian. c. 17. lib. de Cor. & Gr. c. 7. lib de prædest. sanct. c. 8. 9. 22. Epist. 105. & 106.

Lib. 2. ad Bonif. c. 7. lib. de Dono perseu. c. 14.

Augustinus. lib. de Correpr. & Grat. c. 11. & 12. & 17. lib de Præd. sanct. 1. 6. 14. 15. 19. lib. de Dono perseu. de 9.

quod de sponsi spiritu humanis infusum spiritibus quippiam fuerit, in præparationem Euangelij Pacis, id est, *parare viam Domino atque Euangelio gloriæ eius ad corda omnium quotquot erant prædestinati ad vitam. Frustrà vigiles laborarent in prædicando si non hæc Gratia præcessisset. Mox addit. Ei namque abscribenda conuersio cuiusq; est: cui dicere necesse habent vniuersi illud de Psalmo; Conuerte nos Deus salutaris noster. Sed non æque illi fortasse inuentionis vocem competenter aptarim, sicut conuersionis. Imò vero sic est. Non est inuenire Domino, sed præuenire & inuenire inuentionē præuentio* excludit. Bellè, aptè. Nam, si ex nobis esset causa Prædestinationis, inuenisset aliquid, quod non præuenisset. Sed ne occinamus Bernardo. *Nouit Dominus qui sunt eius: ait quidam. Ipse vero quid? Ego scio, ait, quos elegerim à principio. Planè, quam ab æterno presciuit, quam elegit, quam dilexit, quam condidit, rationis non erat ab eodem perhiberi inuentam, præparatam tamen ab ipso vt inueniretur fidenter dixerim.* Addamus momenta. *Qui vidit testimonium, inquit, perhibuit, & scimus quia verum est testimoneum eius. Vidi,* inquit, *ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de Cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, isque è vigilibus vnus qui custodiunt ciuitatem. Sed audi ipsum eius Preparatorem veluti digito eam demonstrantem vigilibus, sed sub tropo alte-*

Epist. 105. 106. lib. 1. ad simpl. 9. 2. l. 4. de Trin. c. 11. tract. 86. in Ioan. Serm. 16. de verb Apostoli. lib. 2. ad Bonif. c. 7. lib. 4. cont. Iulian. c. 8. lib de Grat. & lib. arb. c. 18. August. lib. de Cor. & Grat. c. 7. 8. & 10. Epist. 46. & 61. & 105. lib. de prædest. sanctorum. c. 3. & 10. l. 1. de Grat. Chr. c. 12. & 26. in expos. Epist. ad Rom. in Ioan. 105 106. lib. 6. de Gen. ad lit. c. 17. l. 22. de ciuit. c. 2. lib. de Præd. sanct. c. 7. & 15. & 18. & 19. lib. de Dono Perf. c. 23. lib. de Cor. & Grat. c. 12. & 18 lib de Grat. & lib. arb. c. 18. lib. 4. contr. Iulian. 119. Epist. 106. lib. de Ouib. c. 10. in Psal. 30.

lib. de diuer. c. 9. li. de Præd. sanct. c. 10. lib. de Cor. & Grat. c. 9. 12. 13. lib. de Don. Perf. c. 9. & 22. lib. 2. ad Bonif. c. 9. & 10. præclarè. & Epist. 59. in Ench. c. 95. Epist. ad Honor. c. 37. & 39. serm. 7. de verb. Apostoli.

ro. Leuate oculos vestros, ait, & videte Regiones, quia albæ sunt iam ad messem, id est præparata. Ex hoc Pater familias inuitat ad opus operarios: quando iam senserit sic omnia præparata, vt absque multo sui ipsorum labore gloriari & ducere queant, quoniam coadiutores Dei sumus. Quid enim facturi sunt. Nempe sponsam quæsituri inuentæque indicaturi de dilecto. Et non multùm apud illam laborabunt. Adest, Iámque illum tota deuotione requirit: In tantum præparata est eius voluntas à Domino. Denique illa præuenit Prædicatores suos præuenta ipsa percunctans & dicens. Num quem diligit Anima mea vidistis? Benè proinde & inuentam perhibuit ab his qui custodiunt ciuitatem, quæ à Domino ciuitatis præcognitam iam se nouerat, & præuentam: quatenus illi talem eam inuenirent, non facerent. At opponunt. Eam à se ipsa esse quodammodo præuentam, esse præparatam, esse vt aiunt negatiuè dispositam: & vtuntur ea sententiâ *Facienti quod in se est Deus non denegat auxilium.* Quasi id ipsum facere quod est in se, quisquam interdum sine Gratia faciat; atque à se ipso initialiter præparetur. Hos ita refutat Bernardus rosas & lilia spargens. *Sic à Petro Cornelius, & Paulus ab Anania inuenti sunt: nam ambo præuenti à Domino, & præparati. Quid Saulo paratius? qui supplici iam & mente, & voce clamauerat: Domine quid*

August. l. 1. de Grat. Chr. c. 22. & 23. & 25. Epist. 105. & 109. lib. de Præd. sanct. c. 2. & 14. & 18. lib. de

quid me vis facere? Nec minus Cornelius, qui eleemoſynis & orationibus ſuis Domino quidem eas ſibi inſpirante promeruit peruenire ad fidem. Noſti qui hæc legis, quam hic Auguſtinus exultet. *Inuenit quoque Philippus Nathanalem, ſed prius illum Dominus cum eſſet ſub ficu iam viderat: Quæ Domini viſio numquid non Præparatio fuit?* Itaque concludit hoc exitu Bernardus. *Liquet præuentam fuiſſe à ſpiritu ſancto; ab his vero qui cuſtodiunt ciuitatem, inuentam compertámque, quòd verè ipſa ſit, quam præſciuit; & prædeſtinauit ante ſæcula Deus, præparauit que dilecto filio ſuo in delicias ſempiternas in ſeculis æternis, vt ſit ſancta & immaculata in conſpectu eius germinans ſicut lilium & florens in æternum ante Dominum Patrem Domini mei Ieſu Chriſti ſponſi Eccleſiæ.* Colligat alios flores Bernardus, & ex iis tela conficiat: nec enim alia niſi florida conijciet. Sermone I. de ſeptuageſima ſic pugnat.: *Magna mihi conſolatio eſt fratres mei in verbo illo Domini: qui ex Deo eſt verba Dei audit. Propterea enim vos libentes auditis, quia ex Deo eſtis.* Obſerua cauſam illam, & vide, non ideo ex Deo eſſe quia audiunt, ſed ideo audire, quia ex Deo ſunt. *Vnde inuenies ab eodem Ioanne in epiſtola ſcriptum: omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio cæleſtis conſeruat illum. Non peccat*, id eſt, *non permanet in peccato, quia*

Grat. & lib. arb. c. 5 6. & 7 & 8. tract. 3. & 7. in Ioan. in Pſal. 18. 30. 31. 49. 144. lib. de Deus Perſeu. c. 8. & 14. & lib. de Prædeſt. ſanct. c. 14. lib. de Cor. & grat. toto. Enchir. c. 95. l. 1. ad Simpl. 42. l. 2. ad Bonif. c. 7. l. 4. contr. Iulian. c. 19. & l. 5. c. 4. tr. 68. in Ioan. lib. de Præ. deſt. ſanct. c. 17. & 18. lib. 13. de Trin. c. 11. & ſer. 16. de verb. Apoſt. lib de nat. & Grat. à cap. 20. Auguſt. lib. de Cor. & Grat. c. 6. 8. 9. lib. de Præd. ſanct. c. 7. & perſpicuè c. 8 lib. de Dono perſeu. à c. 6. & lib. 1. de Grat. Chr. c. 12. & clarius c. 14. & lib. 2. c. 40. Epiſt. 105. & 106.

conseruat illum, vtique vt perire non poßit ea, quæ falli non potest generatio cælestis. Sicut, non peccat, id est, *tantundem est ac si non peccet pro eo scilicet, quod non imputatur ei peccatum : generatio enim cælestis etiam in hac parte conseruat illum. Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere: Ego de Electis sum : ego de Prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Testante nimirum scriptura: Nescit homo si sit dignus Amore, An odio?* Rursum dat manibus lilia plenis Bernardus. *Inter ea quæ fiduciam præstant, unum illud maximum est : qui ex Deo est verba Dei audit. Nonnullos enim sic interdum audientes inuenies, ac si nihil ad eos omnino pertineant, quæ dicantur. In his ego salutis signa non video. Magis autem vereor ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo : in vobis fratres* (Gratias Deo) *inuenio aures audiendi, nimirum cum in emendatione vestra sine mora appareat fructus verbi,* Bene est. Sat florum est, & abunde aculei inter flores. En aliud ex fasciculo mellitum telum. Serm. 2. Exhortat ad fratres; *Hæc est generatio,* inquit, *quærentium Dominum. Multæ generationes hominum sunt. Prima generatio nec quærens adhuc Dominum, nec quæsita fuit à Domino cum in obliuione mentis, & reatu iniquitatis vnumquemque genuit mater sua. Secunda proinde statim ex aqua & spiritu remedium nobis exhibuit.*

lib. 2. ad Bonif. c. 7. lib. 4. contr. Iulian. c. 8. & l. 6. c. 14. serm. de sanct. Laurentio in Append. & in Psal. 30. & serm. 16. de verb. Apost. & lib. de Ouibus. lib. 5. cont. Iulian. c. 4. Epist. 107. lib. de Dono perf. c. 14. lib. de Cor. & Grat. ac. 7 lib. de gest. Pelag. c. 3. Epist. 59. lib. 2. ad Bonif. c. 9. & 13. lib. 2. Retract. c. 13. in Enchir. c. 95. l. 1. ad Simpl. q. 2. ep. 120. ad Hon. c. 26. August. lib. de præd. sanct. c. 8. & lib. de Dono perseu. c. 11. 12. 24. li. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. de Cor. & Grat. c. 7. & l. de Grat. & libero arb. c. 22. & epist. 105. & 106. in Enchir. c. 98. lib.

& fuit illa generatio, non dum generatio quærentium, sed tamen jam quæsitorum, quod nec scientes adhuc quærere Dominum, nec valentes ipse quæsierit. En Prædestinationis causa, & vocationis, non ex nobis, sed ex Deo. Quid? quod hanc in rem ait. *Gratias ipsi gratia, etsi dici potest plusquam gratuita miserationi, quæ beneficiis obruit, non modo immeritos, sed nimium malè meritos & ingratos.* Quam intimè pungit hæc Apis. *Hęc est generatio quęrentium Dominum. Habent verbum Patris & requirunt. Et quidem Filius Dei non quæsitus haberi forsitan potest, non habitus autem quæri omnino non potest.* Præclare! *Potens est ipse præstare etiam se non quęrenti qui de cumulo Gratiæ & benedictione dulcedinis quærit & præuenit adhuc quærere non valentes. Nemo autem ante Idoneus quærere, quàm habere.* Vbi, vbi sunt qui iactitant à nobis esse initium quoddam Deum quærendi? cum non possimus Deum quærere, nisi ab eo inueniamur ac præparemur. *Quia*, persequitur Bernardus. *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum. Adest ergo qui trahit, & quodammodo nec dum adest, qui non aliò trahit, quam ad se ipsum. Semper necesse est vt Clametis: Trahe me post post te: in odorem vnguentorum tuorū curremus.* Stemus in Gradu Bernarde! hic est Cardo Gratiæ doce, quomodo præueniamur, & excitemur à

2. contr. 2. epist. Pelag. c. 7. & l. 4. c. 6. & l. 4. contr. Iulian. c. 5. & l. 1. peccat. mer. & rem. c. 26. & 27. & lib. 1. de Grat. Chr. c. 2. 26. l. 1. ad Simpl. q. 1. lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12. Epist. 107. lib. 4 ad Bonif. c. 6. lib. de Grat. & lib. arb. c. 16. & 17. lib. de Dono Perseu. c. 15. lib. 2. de. Peccat. mor. & remis c. 17. & 19 lib. de Grat. Chr. c. 24. lib. de Cor. & Grat. 1. c. 14. l. de gest. Pelag. c. 31. lib. de Prædest. sanct. c. 10. tr. 26. in Ioan. præclarè.
Augustinus. lib. de Prædest. sanct. c. 14. & 15. lib. de nat. & Grat. c. 4. 15. & 23. & 31. lib. de Grat. Chr. c. 14. 23. 25. lib. 4.

Gratia. An sit nobis aliqua ratio initialis citrà Gratiam, quâ ipsam excitemus, & incitemus vt veniat? Igitur serm. 50. In Assumpt. B. Mariæ. *Triplicem*, ait, *Gratiam accepimus: vnam quâ conuertimur; aliam quâ in tentationibus adjuuamur, tertiam quâ probati remuneramur. Prima nos initiat per quam vocamur. Et hæc beneplacitum est.* Et serm. 4. de verb. Isaiæ. *Quos prædestinauit hos & vocauit. Initium meum solius Gratiæ est. Et non habeo quid mihi attribuam sine vocatione.* Serm. 21. in Cant. *Trahe me post te. Trahi necesse habet sponsa: nec sanè ab alio, quàm ab ipso qui*, ait. *Sine me nihil potestis facere. Scio me nequaquam posse peruenire ad te nisi gradiendo post te, sed ne hoc quidem nisi adjutam abs te. Ideoque precor vt trahas me post te. Dicatur se trahi quoniam non sufficit ad iustitiam suis viribus: & mox videt quod non sit in homine via eius: sed quemadmodum ei spiritus moderator, prout vult, dispensat, nunc segnius, nunc alacrius quæ retro sunt obliuisci, & ad anteriora se extendere.* Quid ergo iis hominibus faciemus, qui affirmant, facientibus quod in se est ex viribus naturæ, Dei Gratiam non deesse. Non volentis est istud, neque currentis. *Ergo*, inquit *Bernardus cum te torpore, acedia, vel tædio affici sentis, iuuãtis require manum, trahi te obsecrans, donec denuo suscitante* Gratia *factus promptior, alacriorque curras, & dicas: viam manda-*

Retr. c. 9. Ep. 52. 59. & 89 de Gr. & lib. arb. c. 6. lib. de spir. & lit. c. 18. tract. 3. & 7. in Ioan. Epist 105. & 107. lib. de Don. Perseu. c. 8. 16. & 17. lib de Grat. & lib. arb. c. 4. in fragm. 1. serm. ad populum in append. lib. de Cor. & Grat. c. 2. lib. 2. ad Bonif. c. 19.

August. Epist. 91. lib. 4. ad Bonif. c. 9. lib. de Dono Perseu. c. 6. Epistol. 102. ad vitalem. lib. de Grat. Chr. c. 44. & 47. lib. 1. ad Simpl. q. 2. lib. de Grat. & lib. arb. c. 5. & 16. & lib. de Cor. & Grat. c. 5. & 14. li. de gest. Pelagij c. 3. Ps. 34. conc. 1. & in Psal. 126. Augustin. lib. de Prædest. sanct. c. 8. & l. 1. ad Simpl.

mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sic autem quandiu adest gratia delectare in ea, vt non te existimes donum Dei iure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo quasi nunquam perdere possis, ne subitò cum fortè retraxerit manum tu animo concidas & tristior quàm oportet, fias. Si nostrarum virium non est conseruare datam gratiam, quî nostrum erit illam nescio quibus naturæ viribus prouocare? Quare in rem ille serm. 23. *Non omnibus vno in loco frui datur gratiâ & secretâ sponsi præsentiâ, sed vt cuique Paratum est à Patre ipsius.* Prædestinatio fons Gratiæ, & caput. *Non enim nos eum eligimus*, addit, *sed ipse elegit nos & possedit nos & vbi ab eo quisque positus est ibi est. Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio Cælo secretum huius Gratiæ sunt assecuti. Quis nostrum dignè distinguere sufficit has veritates meritorum, vel potius præmiorum.* Abeat quisquis naturâ Gratiam quodammodo metitur. Eò euolet quo hi sunt euecti. Non est volentis, neque volantis. Huiusmodi sunt in hoc sermone non pauca. Certè *Audiam*, inquit serm. 32. in Cantica *quid loquatur in me Dominus Deus. Pacem Pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, sed audimus in nobis, cum mala in corde versamus nostra cogi-*

q. 2. lib. de Grat. & lib. arb. c. 7. & 17. lib. 2. ad Bonif. c. 9. & lib. de Prædest. sanct. a. c. 16. lib. 7. de peccat. mer & rem. c. 17. & 19.

Augustin. lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 19. lib. de Cor. & Grat. c. 2. & Serm. 4. de verb. Apostoli & 11. c. vlt. & Enar. in Psal. 84. & lib. de Spir. & lit. c. 3.

tatio est, si bona Dei sermo est. Sed sunt Bernarde qui dicant: eum, qui credit prædicantis fidem; assensum illum quem præbet quòd liber sit, vti nemo bene Catholicus non affirmat, non prorsus debere Gratiæ, sed sibi; ita vt in eo liceat homini credenti liberé, gloriari; idque probant ex eo quod alter audit eadem, & non credit. Itaque docent hoc discrimen esse libertatis, ac ita esse, vt ille qui credit non à Deo plus eo qui non credit accipiat. Quare in hoc gloriari credentem ratione suæ libertatis posse. Id nectareo halitu venenum diffla. Serm. 65. de Donis Spiritus Sancti. *Prædicator potest monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem Charitatis palato cordis infundere. Vnde Gregorius. Nisi sit intus spiritus qui doceat doctoris lingua exterius in vacuum laborat.* Eius est Bernardus sententiæ cuius est author Gregorius: at hic sentit cum Augustino: Fidem esse donum Dei, atque adeo ad credendum opus esse, vt credentis voluntas Gratiâ præparetur; vt liberè quidem veniat, sed non nisi Gratia tracta veniat: & ita tracta, vt volendo veniat. Vt nihil in nobis sit de quo nobis gloriandum sit. Hinc ille Bernardi sapor, quo inescatur voluntas credentis, vt

Augustinus lib. de Præd. Sanct. c. 5. 8. & 20. & lib. de Dono Perseu. c. 14. expresse, & c. 17. & 21. & lib. 1. ad Bonif. c. 3. & lib. 2. c. 9. & l. 4. c. 6. Ep. 107.

credat. Alijs *mors est in olla.* Sic enim ille vsus hoc loco ad id quod agebat. Deest ille sapor inuitans, & inescans. Non tamen deest condimentum quod satis sit, sed eo tamen non sapit illa, neque eum Cœli gustum præbet, quem alij experiuntur: quibus vita est in olla. Pergat ire Bernard. Serm. 1. de Annunt. B. Mariæ. *Necesse est credere, quod nihil prorsus habere queas operis boni nisi & hoc dederit Deus. De operibus enim bonis certum omninò est, quod nemo hac habeat à se ipso. Deus donat merita.* Opponunt se quidam, aiunt, illam ipsam voluntatem nostram liberam cum bonum volumus ita nostram esse, vt ex nobis sit cum Gratia tamen: atque ex ea posse gloriari citrâ Gratiam: quòd ea certè voluntas Gratia non est. Refutat Bernardus exemplo Virginis. *Quomodo eam Angelus Gratiâ plenam pronuntiat, si quippiam vel parum boni quod ex Gratia non esset, habebat.* Aptè. Insignis Gratiæ Virginis fit injuria, si quicquam ei attribuitur, in quo præter Gratiam gloriari possit. Id moliuntur aduersarij: qui nolint, vt Gratia sit plena, necesse est. Cum illud quodcumque sit quod voluntatis liberæ est, isti Gratiæ non tribuant. Vnde fit vt hoc ipsum ita sit voluntatis, vt Gratiæ non sit.

Augustin. lib. de Nat. & Gr. c. 31. & 32. & lib. de Grat. Chr. c. 14. 17. 31. lib. de Prædest. Sanct. c. 5. & 8. & 20. & lib. de Dono Perseu. c. 14. & 17. & 22. August. lib. de Corrept. & Grat. c. 7. & 12. & lib. de Grat. & lib. arb. c. 8. & 9.

Igitur hac parte non plena gratiâ Virgo. Hi nimirum quærunt in nobis meritum initiale ex nobis. Tu quid Bernarde? *Quærant alij*, inquis Serm. de Natiuit. B. Mariæ, *meritum, nos inuenire Gratiam studeamus. Sola Gratia est, qua saluamur.* *Ne igitur*, ait Ser. 32. in Cant. *Quod Dei est in nobis, demus nobis; putantes Verbi visitationem, nostram esse cogitationem, quoniam de Corde non exiet bonum, nisi quod priùs de verbo conceperit. Sciant inimici Gratiæ Dei vocem, bonum, quod cogitatur, non Cordis prolem existere.* O præclarum! *Tu ergo si uocem eius audis scito, quia à Deo exit & ad cor vadit.* Audis ne ista qui dicis, nos cum credimus ita assentiri, vt gloriari de assensu possimus? Nihil aptius à Bernardo desiderabam. Sed donauit ille quod sit in rem propius. Serm. 67. in Cant. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Cur ita? Nempe vt tunc magis Gratiâ plenam se probet, cum totum Gratiæ dederit. Alioquin quomodo Gratiâ plena si quid habuerit quod non sit ex Gratia. Non est quo Gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Nam si quid de proprio inest, in quantum est, Gratiam illi cedere necesse est. Deest Gratiæ, quicquid meritis deputas. Nolo meritum, quod Gratiam extrudat. Horreo quicquid de meo est, vt sim meus. Nisi quod illud magis forsitan meum*

Augustin. Ser. 13. de verb. Apost. epist. 107. lib. 2. ad Bonif. c. 5. lib. Grat. Christ. c 4. & 15. l. de Grat. & lib. arb. c. 15. 16. 17. ep. 95. Psal. 55. lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 8.

Augustin. lib. de Grat. & lib. arb. c. 8. in Ench. c. 106. lib. 3. de lib. arb. c. 19 & lib. 2. c. 20. lib. 1. Retr. c. 9. li. 4. ad Bonif. c. 3. l. de Spir. & lit. c. 30. Serm. de Tēp. 151. Conc. 1. in Ps. tract. 5. in Ioan. Psal. 99. lib. de gest. Pelag. c. 14.

meum est, quod me meum facit. Gratia reddit me mihi iustificatum gratis, & liberatum à seruitute Peccati. Quò me rapis Bernarde. Ne plura: feror impotens mei. Appendix tui. Diffusa est Gratia in labiis tuis. Neque tam in iis suadæ, quam Gratiæ medulla sessitat. His Catenis melleis Gallus Hircules hostes vincis & trahis sub iugum vel Repugnantes. Quòd si resistere conentur frange capita. Herculi est ad manum quo frangat. Serm. 13. in Cant. *Putas, ô Pharisæe, tu habes aliquid quod non accepisti? Si omnino nihil, ergo nec meritum in te præcessit vllum, vt illa de quibus gloriaris, acciperes. Quod si & fatearis, primo quidem frustrâ inflaris aduersus Publicanum; qui ideo non habet quod tu, quia non accepit vt tu.* Seriò ista pende. Non omnibus eadem, non par omnibus datur Gratia. At illa quæ efficax est, virtute sua valet, non arbitrij est virtus, ab eo refusa in Gratiam, sed à Gratia virtus est redundans in arbitrium, vt ab ea præparatum & ductum libens liberumque agat. Suâ culpâ, vt aiunt, peccat qui Peccat: non tamen suâ virtute Rectè agit qui agit Rectè. Nam si vices vertas, & illi qui Peccat Gratia, quâ fit vt tu non pecces daretur, certè ille non peccaret: & tu si quæ illi obtigit inefficax

Præf. in lib. de doctr. Christ. Ser. 13. de verb. Apost.

Augustin. in Psal. 37. Ser. 94. de Temp. lib. 3. de peccat. merit. c. 5. Serm. 13. de verb. Apost. lib. de Grat. Chr. c. 8. lib. 1. ad Simpl. q. 2. lib. de Dono Perseu. c. 6. Epist. 120. c. vlt. Psal. 65. lib. 4. ad Bonif. c. 6. lib. de Grat. & lib. arb. c. 7. epist. 107.

eam tantum haberes, prorsus peccares. Neque aut hoc aut illud libertati detrahit. Cum & tibi non desit quod sufficit libertati cum Peccas: illi adsit quo Peccatum vincat cum libertate. Hæc est Augustini Patris sententia: hæc Bernardi. Audisti? *Ideo non habet vt tu, quia non accepit vt tu.* Quid reluctaris hæresque. Pergit Bernardus te impellere. *Vide ne non integrè tua dona resignes Deo, & tibi inflectens aliquid de gloria & honore ipsius fraudis merito arguaris, & fraudis in Deum. Si enim de his quæ iactas ex te tibi quippiam fortè arrogares falli te magis, quam velle fraudare crederem, & errorem corrigerem. Nunc vero, quia gratias agendo probas te tibi nihil tribuere, sed Dei esse dona tua merita prudenter cognoscere: Certè cæteros aspernando prodis te, quòd in corde & corde locutus sis, altero commodans linguam mendacio, altero veritatis vsurpans gloriam. Quid respondes Apostolo præscribenti, & dicenti soli Deo, honor, gloria.* Sed est qui obmurmuret. Reprimat illud sermonis 61. in Cant. *Meum proinde meritum miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quandiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus ego in meritis sum.* Qui aliter sapit, desipit. Non ne monet Paulus Beneficia Gratiæ, merita no-

Augustin. lib. de Don. Perseu. c. 12. lib. de Peccat. mer. & rem. c. 5. & lib. 2. c. 19. & ep. 107. lib. de Cor. & Grat. c. 9. & li. de Nat. & Grat. c. 17. 11. 24. & ser. 13. de verb. Apost. lib. de Don. Perseu. c. 6. lib. de Sanct. Vir. c. 41. in Psal. 103. con. 3. tract. 66. in Ioan. & tract. 96. Psal. 36. & 43. lib. de Grat. & lib. arb. c. 6. 7. 8. 9. & lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 12. & 13. & lib. de Præd. Sanct. c. 3. & 4. & 5. lib. de Dono Pers. c. 7.

ſtra, quicquid ad ſalutem conamur, agimus, perficimus à Deo eſſe? Neceſſe niſi à miſerente Deo? *Nunquid*, ait Bernard. in Purificatione ſerm. 1. *non miſericordia & miſeratione multâ opus habet noſtra miſeria? Conſtat*, enim, inquit, Serm. 1. de Annuntiat. *quia ſi nobis ipſis relinquimur, in peccatum ſemper quod nihil eſt declinamur.* Gratia eſt de qua agimus: Gratis datur, ex miſericordia datur. *Bonitas eſt in Deo*, ait in ſententiis Bernard. *qua Gratis velit. Qui petit, duo attendat: vt pro ſuis meritis nihil accepturum putet, ſed de Dei miſericordia quicquid rogauerit impetraturum ſperet.* Non iuris noſtri, non meriti Dominus eſt. Atque hic exulto quod video eodem loco Euangelij vti Bernardum quo vſus fuerat Auguſtinus: eodem vtrumque ſpiritu agente. *Quod ſi murmuret*, inquit, *homo cui de bonitate oculus nequam eſt: Domine reſponde pro me. Imò reſponde pro te: dic calumniatori tibi quippè calumniatur quòd tribuas Gratis. Dic proinde illi, volo & huic nouiſſimo dare ſimiliter. Diſplicet Phariſæo. Quid muſſitas? Ius meum voluntas eſt iudicis. An non licet ei quod vult facere? mihi quidem miſericordia, tibi minimè iniuria fit.* Quis hîc locus noſtræ diſpoſitioni? Aût quæ laboris noſtri ratio habetur ad Gratiam?

Auguſtin. lib. de Dono Perſeu. c. 8. & lib. 2. cont. 2. epiſt. Pelag. c. 7. vide ſup. in Greg. art. 1. ad finem.

Nam si eius aliqua haberetur, vbi plus laboris esset, ibi plus gratiæ esset, necesse foret, & murmur illud solidum operantium & sudantium diem, iustum esset: neque tam murmur, quam iusta querela esset. *Tolle*, redit Bernardus, *quod tuum est, & vade. Exaggera quantumuis merita, melior est misericordia tua super vitas. Fateor non sustinui pondus diei & æstus; sed iugum suaue & onus leue pro beneplacito Patris familias porto. Opus meum vix est vnius horæ: etsi plus præ amore non sentio. Exerceat Iudæus proprias vires (cum hoc expostulatio est) mihi probare libet, quæ sit voluntas Domini bona, & beneplacens, & perfecta. Nam vita in voluntate eius.* Sic aduersus Iudæum hostium Gratiæ personam sustinentem. Serm. 14. in Cant. *Vigilanter itaque*, scribit lib. de Considerat. 2. ad Eugenium Papam *Discerne qualis sis ex te, qualis sis dono Dei. Quin autem vbi fideliter partiens tua tibi, & quæ sunt Dei Deo sine fraude resignes. Ex te mala, bona à Domino esse persuasum tibi non ambigo.* Quid hanc in rem plura? Satis illud sit quo Petrum Abailardum refutat Epistola 190. ad Innocentium Pontificem Maximum. *Finis legis Christus ad Iustitiam omni credenti. Qui factus est nobis iustitia à Patre. Quæ ergo mihi iustitia facta est, mea non est. Si ergo*

Augus. vbi sup. lib. de Cor. & Grat. c. 13. & de Grat. lib. arb. c. 8. & 6.

Augustinus epist. 105. & lib. de Prædestin. Sanct. c. 8. & 10. Ser. 11. de verb. Apost.

August. lib. de Prædest. Sanct. c. 7. Ep. 89. ad Hilar. lib. de Grat. Chr. c. 24. lib.

ergo mea traducta Culpa, cur non & mea indulta iustitia? Et sanè mihi tutior donata, quàm innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum. Illa autem cum sit salutis efficax materiam non habet gloriandi nisi in Domino. Nam & si iustus, inquit, fuerit non leuabo caput, ne videlicet responsum accipiat. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Verte mecum Arma Bernarde, in eosdem virtutem & efficaciam Gratiæ excitantis & præuenientis ita eneruantes, vt ipsi arbitrio effectum ac efficaciam tribuant, atque adeo ab arbitrio Gratia, non à Gratia arbitrium efficacitatem sumat. Quod nolint duci nos & trahi antecedenter à Gratia, quasi libertas cum trahente stare non possit, Quòd quam sit alienum à vero & tu suprà docuisti, & paulo infrà docebis: nosque ex Augustino & Magno Gregorio didicimus: Omitto adscribere quæ de mira Pauli conuersione, adhuc Sauli, scribis Serm. 1. & 2. Sit Paradigma sponsa illa tua Cantic. Serm. 58. *Sponsus dilectam trahere non cunctatur. Non tamen quasi inuitam.* Viden, vt trahi, ferat liberam? *Trahi ab sponso est accipere desiderium, quo trahatur.* Ita est illud Augustini: *Trahitur animus & Amore. Et est desiderium*

4. ad Bonif. c. 6. lib. 1. Retr. ait c. 23. lib. de natur. & Grat. c. 20. & 21. & 39. lib. de Cor. & Grat. c. 11. lib. de Don. Pers. c. 8. & c. 17. præclarè.

Augustinus lib. 1. ad Bonif. c. 19. tr. 29. in Ioan. lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 19. lib. de Grat. & lib. arb.

c.5. lib. de Corre. & Grat. c. 12. & li. de Gra. & lib. arb. c. 16. & lib. 4. ad Bonif. c. 6. Epist. 107. ad Vitalem. lib. de Don. Perf. c. 13.

vehemens, quod eam non tantum surgere, sed & surgere festinanter solicitat. Sic quippè habes, surge, propera, & veni. Veni non vade. Per hoc se intelligens non tam mitti, quam duci: Non suscitatur praterquam velit, quando fit prius, vt velit. In meo sum Regno *fit vt velit.* Hoc ipsum est quod solet Augustinus *fit vt velit, efficitur, vt velit.* Quodque tormentum est aduersariis. Huc spectat & illud: Sermon. 21. *Trahe me post te. Trahe quodammodo inuitam; vt facias voluntariam. Trahe torpentem: vt reddas Currentem, & paulo post: Trahimur cùm tentationibus & tribulationibus exercemur, currimus cùm internis consolationibus, & inspirationibus visitati tanquam in suaueolentibus vnguentis respiramus.* Itaque Tribulatio, quæ sæpè nobis reluctantibus immittitur, Gratia trahens est: quæ tamen in cursum stimulat, in quo lubentes, ac læti versamur. Fuerint hæc præludia & vmbræ. Rem tibi lector exhibet sermone 84. in Cant. Hîc videas in Bernardo pugnantem Augustinum. *Errani sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum. O homo redire vis? sed si in voluntate res est, quid opem flagitas? Palam est, quia vult, & non potest. Vnde voluntas illi? Inde quòd à Verbo visitata jam sit & quæsita: nec otiosa quæsitio quæ operata est voluntatem.* Benè quod Deus

Augustinus epist. 105. lib. de Grat. & lib. arb. c. 16. li. de perfect. iust. c. 10. lib. de Cor. & Grat. c. 2. & 12. lib. de nat. & Gra. c. 43. lib. 1. Retrac.

ipse quærit, & operatur velle. *Sed non sufficit semel quæri. Tantus est Animæ languor. Quid enim si vult. Iacet voluntas, vbi facultas non sufficit. Nam velle adjacet mihi: perficere autem non inuenio. Quid ergo ille de Psalmo quærit. Non planè aliud quàm quæri, quòd non quæreret, nisi quæsitus fuisset, & rursum non quæreret, si quæsitus satisfuisset.* Eamus cùm Bernardo quò nos vocat locus insignis in epistol. 176. *Est qui nolentium quodammodo extorquet assensum, & suo arbitrio etiam aduersas hominum voluntates prout vult seruire compellit.* Tantne est vis Gratiæ? Bernarde. Tanta, & cum huiusmodi sit illæsam relinquit libertatem. Huic sententiæ, quòd affinis est illa lib. 1. de cõsiderat. ad Eugenium Papam. hîc adpingo. *Nemò duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo iuxta Prophetam: Cor lapideum, & dedit Cor carneum. Quid ergo est Cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur.* Pergit ire Bernardus, & plura addere, quæ lege si vacat, & quantâ virtute Gratiæ ad illud auferendum opus sit, tute mihi fatere. Illud palmarium: quod ad necessitatem Fidei vt rectè quis operetur, attinet: ex quo deducitur

c.15. Ps. 106. lib. 3. de lib. arb. c. 18. lib. de Spir. & lit. c. 36.

Augustinus lib. de Grat. & lib. arb. c. 14. & lib. 1. ad Bonif. c. 10. & c. 19. & lib. de Prædest. Sanct. c. 8. & 26. lib. de Grat. Christi. c. 24. & de Dono Perseu. c. 23.

Augustin. lib. de Grat. & lib. arb. c. 14. & 16. propriè & lib. de Prædest. Sanct. c. 8. & lib. de Cor. & Grat. c. 13. & lib. de Grat. Chr. c. 23.

quicquid honesti agitur, præter fidem Gratiamque non fieri, quæ est Augustini sententia. Eadem & Bernardi: Cuius est hoc Serm. 30. in Cant. testimonium. *Si probas nostram de vinea interpretationem, vide etiam consequenter, an rectè quoque dicamus Fidem vitem; virtutes palmites, botrum opus; deuotionem vinum? Si quidem nec palmes absque vite, nec virtus sine Fide aliquid est. Sine fide enim impossibile est placere Deo: fortasse & displicere necesse erit, Denique omne quod non est ex fide Peccatum est.* Quid tam consonum & adhærens Augustini menti? Paulo teste, quo sensu Augustinus vsus, vtitur Bernardus, ac vterque iisdem locis vtitur. Rursum hanc in rem Serm. 51. *Florem Fidem, ait, fructum actum intellige. Nec incongruè, si aduertas quomodò instar floris necessariò præcedentis fructum, bonum quoque opus fide oporteat præueniri. Alioquin sine fide impossibile est placere Deo* Paulo attestante: magis autem æque ipso docente: *Omne quod non est ex fide etiam Peccatum est: Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum.* Fremant ac frendeant aduersarij. Nemo citra fidem, sine aliqua Gratia Rectum quid & honestum agit. Quicquid id erit à Gratia & fide erit. Peccabit qui prorsus destituetur fide. Ita non Augustinus

Augustinus lib. 4. contr. Iulian. c. 3. lib. de fid. & oper. c 7. epist 105. lib. 1. ad Simpl. 9. 2. li. de Præd. Sanct. c. 7. lib. de gest. Pelag. c. 14. lib. 1. de nup. & concup. c. 3. & 4. tr. 25. in Ioan. in Psal. 31. lib. 4. contr. Iul. c. 8. lib. de Grat. Chr. c. 26. lib. 2. ad Bonif. c. 5.

Augustinus modo, & Gregorius, sed Bernardus etiam docuit. Neque hinc sequitur singulos Infidelium actus, & omnes actus Peccata esse: sed Peccatum esse quicquid sine fide aliquâ & Gratiâ faciunt: si quid (quod non est negandum) boni ac honesti faciunt, aliquâ fide & Gratiâ facere. *Nam omne quod non est ex Fide Peccatum est.* Et verò quid de merito Bernardus sentiat, ac de iure ipso ad Præmium gloriæ, & an Augustino consentiat, operæpretium fuerit scire. Audiamus serm. I. in Annunciat. *Non talia sunt hominum merita vt propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquã faceret nisi donaret. Nam omnia merita sunt dona Dei.* deinde: *Deus ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redonat.* Et alibi, Eodem in serm. *Remissionem Peccatorum habere non potes, nisi per indulgentiam Dei, nihil habere operis boni nisi dederit ipse, postremo æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa.* Illustrior adhuc & manifestior est, ac in sententiam Augustini aptior ille locus serm. 5. in Assumptione. *Ascendunt, inquit, sancti non virtute sua, sed auxilio & Gratiâ Dei. Sicut ait Dauid, Beatus vir cuius est auxilium abs te. Ascensiones in corde suo disposuit. Eandem Gra-*

Augustin. lib. de Prædestin. Sanct. c. 5. 8. & 20. lib. de Dono Perseu. c. 14. 17. 22. lib. de Grat. & lib. arb. c. 8. & 9. lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 12. lib. 4. ad Bonif. c. 3. lib. de Spir. & lit. c. 30. lib. de Nat. & Grat. c. 17. lib. de Dono Perseu. c. 6. & 12. lib. 2. ad Bonif. c. 9.

lib. de Cor. & Grat. c. 13. & in hunc locum. Ioan. n. 1.

tiam replicat dicens: Etenim benedictionem dabit legislator. Quo autem pertingat Ascensus subjungit. Videbitur Deus Deorum in Sion. Hæc est merces. Hæc est illa Gratia, quam nobis commendat Ioannes Euangelista dicens: De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et Gratiam pro Gratia. Nihil hic adſcripſero: cum idem eſſe Bernardi & Auguſtini iudicium eadem eiuſdem loci expoſitio demonſtret. Atque vt vltimam huic opuſculo manum imponamus: age ſis videamus quantum Prædeſtinationi Bernardus tribuerit, vt ex ea vocationem, & iuſtificationem electorum ſpectarit, vt ſecundum illud Dei propoſitum præparata ſit Gratia; vt electis omnia cooperentur in bonum, vt nihil in iis meriti aut diſpoſitionis tanquam ratio, nedum cauſa, prædeſtinationem præceſſerit: vt ſint Reprobi derelicti, vt non ſint ex propoſito vocati: atque adeo vt non omnium ſit vocatio, neque verum ſit omnes omnino homines à Deo illuminari, cum non pauci iuſto Dei iudicio, ſed occulto in tenebris originali culpæ debitis obruti maneant & ſepulti. Ac demùm, non tolli hâc quæ germana, & ſecundum Paulum Prædeſtinationis ratio eſt, meritum, neque euerti libertatem. Quo fiet vt nemo

quicquam, quod ad confirmandam ex Bernardo Augustini mentem desideret. Et si autem non pauca hanc in rem suprà, & illstria satis testimonia attulimus, non ab re fuerit alia adducere, quòd magna vis aduersatiòrum in hac ratione Prædestinandi citra causam, & initium meriti nostri neganda sita est, quibus sunt ora prorsus obstruenda: ita, quod Caput totius cum Augustini hostibus disputationis, & ad eam aditum fecit, illud sanè exitum præbeat. Ergo tract. de diligendo Deo. *Multum*, inquit, *meruit de nobis, qui & immeritis dedit se ipsum nobis. Ergo si Dei meritum quæritur, illud est præcipuum, quia ipse prior dilexit nos. Dilexit & gratis, & inimicos.* Huic respondet illa Serm. 2. In Circunf. vox: *Propter hoc circumcisus, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos.* Viden! quantum tribuat Prædestinatis, vt propter eos sit & incarnatum Verbum, & Passum? modo quo Augustinus docuit, vt etsi pro omnibus mysteria sit operatus, non nisi tamen pro Electis efficaciter ad salutem. Simile illud Serm. 3. ad Fratres. *Quotquot Receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri. An non potestas filiorum Dei est ista, quando etiam nobis seruiunt vniuersa? Scie-*

Augustinus Trac. 6. in Ioan. ser. 8. de verb. Apost. lib. de Cor. & Grat. c. 13. lib. 1. de peccat. mer. & remis. c. 26. & c. 31. lib. de Dono Perseu. c. 9.

Augustinus lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 9. & 10. 11. 12. lib. de Prædest.

Sanct. c. 17. lib. 5. cont. Iulian. c. 4. lib. de Dono Perseu. c. 9. & 16. lib. 2. ad Bonif. c. 9. & vlt. & epist. 59. lib. 2. Retr. c. 13.

bat enim Apostolus ipse, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: Quod cum dixisset, solerter addidit: His qui secundum propositum vocati sunt sancti. In quo verbo non te terreat sanctitatis nomen, quando non secundum meritum, sed secundum propositum: non secundum affectionem, sed secundum intentionem sanctos vocat. Ac pergit ostendere, vtrumque malum & culpæ, & Pœnæ iis conuerti solere in bonum Hæret maxime huic loco magna pars serm. 39. in Cant. super illud *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te Amica mea.* Ex quo decerpo hos flores.

Augustinus lib. de Dono Perseu. c. 14. & 17. lib. de Corrept. & Grat. c. 9. tract. 104. in Ioan. lib. 4. contr. Iulian. c. 19. epist. 105. & 107. lib. de Prædest. Sanct. c. 17. & 18.

Cui non placeat ordo ipse donationum? Primùm misericorditer liberatur: secundò dignanter adamatur, tertio benignè abluitur & purgatur: postremò optimi ornamenti accipit promissionem. Et *Amica appellatur: Nam ipse antè appellationem Amicus erat, alioquin non liberasset, quam non Amasset, sed illa beneficio liberationis addicta est, vt esset Amica. Audi confidentem: Non quia dilexerimus eum, sed ipse prior dilegit nos.* Affinia habes Epist. 87. ad Ogerium, & serm. 39. in paruis, & serm. de verb. Sapient. Illa clariora Epist. 146. ad Burchardum: *Confiteor tibi Pater Domine Cæli & terræ: Quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater. Quia sic placitum est*

Augustinus lib. de Grat. & li. arb. c. 6. & 8. & 9. lib. de Dono Perseu. c. 13. & 14. lib. de

est ante te. Tuo placito sunt id quod sunt, non suo merito. Nec enim inuenis merita, sed preuenis. Omnes peccauimus, & egemus praeueniri. Nec illa minus ferm. 84. super Cant. *Quæsiui, ait, sponsa, quem diligit anima mea. Nempe huc te prouocat anticipantis benignitas illius qui te & prior quæsiuit, & prior dilexit. Minimè prorsus, nisi prius quæsita quæreres, sicut nec diligeres nisi dilecta prius. Non in vna tantum benedictione, sed in duabus præuenta es, dilectione & quæsitione. Dilectio causa quæsitionis: quæsitio fructus Dilectionis.* Pro cumulo affero locum. In quo summa quædam sit omnium quæ à me sunt paulo ante proposita: quique omnes prorsus quæstiones de quibus cum aduersariis disceptamus contineat, cúmque Augustino expediat. Est vero ille Epist. 107. ad Thomam de Beuerla. *Qui spiritu Dei aguntur hi filij sunt. Nec paterno prorsus arcendi consilio. Clamat vnigenitus: Qui habet aures audiendi audiat. Et quoniam dignos non inuenit sensus, quibus Patris committat Arcanum texit parabolas turbis, vt audientes audiant, & videntes non intelligant. Cæterùm amici seorsim audiunt: vobis datum nosse mysterium Regni Dei. Quibus & loquitur. Nolite timere pusillus Grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Qui sunt hi? vtique quos præsciuit & prædestina-*

Prædest. Sanct. c. 10. 14. 17. epist. 107. ad vitalem. lib. de Cor. & Grat. c. 7. 10. 12. 13. & 17. & serm. 16. de verb. Apo. lib. 8. de diuersis. c. 9.

Augustinus lib. 2. de peccat. mer. & remiss. c. 29. lib. 5. contr. Iulian. c. 4. epist. 107. lib. de Cor. & Grat. c. 7. 9. 14. lib. de Præd. Sanct. c. 8. & 16. & 17. lib. de Dono Perseu. c. 9. 10. 12. lib. 2. contr. 2. ep. Pelag. c. 9. & vlt. & ser. 7. de verb. Apost. lib. 1. de

uit conformes fieri imaginis filij sui. Magnum, secretumque innotuit consilium. Nouit Dominus qui sunt eius. Sed quod notum erat Dei manifestatum est hominibus. Hic te volo. *Nec alios sane dignatur tanti participatione, mysterij, nisi eos ipsos, quos suos præsciuit, & prædestinauit.* Igitur Rem tantam subtrahit Reprobis, concedit Prædestinatis. Planè. *Nam*, inquit, *quos & predestinauit, hos & vocauit. Quis enim sane nisi vocatus ad Dei accedit consilium? Quos autem vocauit, hos & iustificauit.* Ergo quosdam non ita vocat. Sanè. Hic clamant aduersarij: neminem non vocari, neminem non illuminari, omnium esse vocationem, omnium lucem: propè est vt dicant esse *Omnium Fidem.* Non audent tamen dicente Apostolo *Non omnium est fides.* Solem aiunt esse Christum qui illuminat *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Omnem prorsus, aiunt, etiam infantes ipsos in media barbarie natos, & ante Christum natos. Quod Pelagianos, cùm sic acciperent, compulit dicere infantes carere peccato originali, cum aliter ill[illegible] possent, quibus Sacramenti co[illegible]. Respondeat Bernardus. *Oritur quippe sol non is qui quotidie oriri cernitur super bonos, & malos, sed qui timentibus Deum prophetica pro[illegible] promittitur, solis ad consilium vocatis: vobis, [illegible]*

peccat. mer. & remis. c. 21. & 22. lib. 4. cont. Iulian. 1. 8. Augustinus hic ad locum Ioannis & perspicue in Enchir. ad Laurentium c. 103. ep. 107. lib. de Præd. Sanct. c. 8. & lib. de Dono Perseu. c. 12. & lib. de cor. & Grat. c. 13. & 15. & lib. 2. ad Bonif. c. 6. & lib. 6. cont. Iulian. c. 14. & ep. 107. ad Vitalem, & lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 18. serm. 37. de diuers. lib. 21. de Ciuit. c. 24. lib. de Cor. & Grat. c. 7. & 15. lib. 1. ad Simpl. q. 2. lib. de Præd. Sanct. c. 17. & 18. epist. 105. 106 107. lib. de Grat. & lib. arb. c. 6. lib. de Dono Perseu. c. 14 tract. 60. in Ioannem.

quit, *qui timetis Deum orietur ſol iuſtitiæ:* Solis Bernarde? Quid de cæteris? *Manentibus*, inquit, *in tenebris filiis diffidentiæ, euadit in nouam hanc lucem lucis filius de poteſtate tenebrarum.* Igitur aliter illuminat ſol iſte corporeus quem videmus, aliter ille Diuinus, quem non videmus. Pergat dicere Bernardus. *Sic ad ortum ſolis iuſtitiæ ſacramentum abſconditum à ſeculis de prædeſtinatis & beatificandis emergere quodammodo ex abyſſo æternitatis dum quiſque vocatus per timorem, iuſtificatus per Amorem præſumit ſe quoque eſſe de numero Beatorum, ſciens nimirum quia quos iuſtificauit, illos & magnificauit.* Eſt quippe vnde deprehendatur Prædeſtinatio: ſignis quibuſdam certis ac propriis tanquam radiis ſolis illuſtrantis: Qui ſi omnibus irradiarent æqualiter, qui poſſent hęc ſigna conſtare? De iis hic latè Bernardus. Tum ait. *Iam apparet in lumine tuo ô inacceſſibilis lux, quid boni penes te etiam cum malus eſſet, miſerum maneret homunculum. Amat proinde non immeritò, quia Amatus eſt ſine merito. Amat ſine fine, quia ſine principio ſe cognoſcit Amatum. Prodit in lucem ad miſeri conſolationem magnum conſilium, quod ab æterno latuerat in ſinu æternitatis. Præſens namque iuſtificatio & Diuini eſt conſilij reuelatio, & quædam ad futuram gloriam præparatio. Audi de prædeſtinatio-*

ne, quòd ipsa sit præparatio. Percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. An omnibus facta est eadem præparatio? Sileant ergo qui nolunt Prædestinationem causam esse & gratiæ & meriti nostri, sed contra meritum nostrum esse quoddam initium ac verè causam Prædestinationis: quam hac ratione nobis subiiciunt, eiusque ac Gratiæ dignitatem euertunt. Vnum superest doceamur à Bernardo, quis sit locus merito in tanta Gratiæ & necessitate, & potestate, & dignitate. Etsi enim id iam præstiterit ille in iis quos adduximus ex libro de Grat. & lib. arbitr. locis, iuuat tamen hic rursum audire, vt & aures nostræ, & Animus eâ quasi Harmoniâ Gratiæ & meriti suauius conquiescant. Itaque illud præstat illustri loco Serm. 4. de verbis Isaiæ, pulchrè interpretans habitum Seraphinorum in senas se alas partim explicantium partim implicantium. *Opertis*, inquit, *capite, & pedibus apparet corpus medium: Considero siquidem quasi quoddam caput, corpus, & pedes meos in verbis Apostoli quibus ait: Quos præsciuit, hos & Prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui: & quos Prædestinauit, hos & vocauit: quos autem vocauit, hos & iustificauit, & quos iustificauit, hos & magnificauit. Itaque initium meum [illegible] gratia est,*

Augustinus Epist. 106. & 107. tract. lib. 8. in Ioan. lib. de Prædest. Sanct. c. 10. & 17. & 18. lib. de Dono Perseu. c. 9. & 14. lib. 1. 9. 2. ad Simpl. lib. de Cor. & [illegible]

& non habeo quid mihi in prædestinatione attribuā sine vocatione. Non sic sanè ab opere iustificationis alienus sum: operatur & illud Gratia: sed planè mecum, vides ne quemadmodum Seraphim in medio appareat aliquatenus. Porrò consummatio quidem & ipsa totius Gratiæ est: nec est mihi in hac parte, vel cum ea, siue in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator. Velat itaque Seraphim caput suum duabus pennis, si & veraciter cognouerit, & humiliter fateatur, quia misericordia eum sola præuenerit. Ita de Seraphinis Cherubinus noster Bernardus. Qui hoc nobis mel, imò & Ambrosiam in fauis scriptorum de Gratia suorum confectam nectare verborum conditam instillauit. Hoc nobis ille vere Angelus è Cælo vbi didicit Mannâ deduxit: ac in eo verum diuinæ Gratiæ gustum præbuit. Si cui illud ad palatum non facit, is erit ex iis qui Ollis potius Ægyptiarum carnium proni ventris ingluuie immergere sese malit, quàm Pane illo Angelorum suauissimo pasci. Vix à Bernardo meo auellor. Sed opus est auelli, etsi non sine magno sensu doloris. Quod instituti mei est, moneo vbique in suis operibus Bernardum Augustini Magni certe consilij Angeli doctrinam sapere: quòd quiuis qui stupentis non sit palati, ac vtrunq; degustet

Grat. c. 7. & 10. & 12. & 17. & Ser. 16. de verb. Apost. & lib. 5. contr. Iulian. c. 4. lib. 2. ad Bonif. c. 9. & 13.

deprehenderit. Mei iudicij de his quæ hic ex coniecimus præiudicium fuerit, vt ſicut in iis quæ Gratiæ Dei ſunt fidem lectori meam præſtiti, ita in aliis quæ ad alia diuina ſpectant myſteria, eandem ſi opus eſſet prorſus præſtarem. Quod ſi cui videor Amore Auguſtini minus ſincerè iudicare, legat is vnicam Bernardi Epiſtolam, quæ eſt 190. In qua Errores Petri Abaylardi confutat. Qui vt verbis Bernardi vtar: *Cum de Trinitate loquitur, ſapit Arrium; cum de Gratia, ſapit Pelagium: cum de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium:* ac me incorruptè iudicaſſe comperiet. Et vero crediderim gratum me Auguſtino meo feciſſe, quòd ei Bernardum doctrinæ ſocium ac ſenſuum eorundem amicum dederim, quòd ſicut eiuſdem Auguſtini doctrina à Sede eſt Apoſtolica, & recepta, & laudata: ita Bernardi quoque diuinitus hauſta ſapientia ab eadem fuit Alexandri ore III. Sede tot elegiis nobilitata: Extant vera illa & in Bullam Canonizationis eius, & in duabus Epiſtolis ab Alexandro, altera ad Ciſtercienſes, altera ad Claravallenſes datis. Hoc eò item adſcripſi, ne quis nouæ huius ſcholæ Theologus, cum videat à me ſibi pro Auguſtino opponi Bernardum: cuius ego tanto ſtudio curâque ſen-

tentias perquiſiui, tanta fiducia objeci reſpondere audeat, quod olim mihi non ignobilis huius inſtituti magiſter, Bernardū contra quàm ſentiebat ille, fortiter opponenti reſpondit : Non multum ſe calculum Bernardi morari, quòd ille in ſcholis Ariſtotelis verſatus non fuerit. Ad cuius ego reſponſum fateor exarſi, ac erumpentibus præ dolore lacrymis iſta reddidi : Ergo neq; Paulo tibi, neque Ioanni, ac ne Chriſto quidem adhibenda fides fuerit; quòd non fuerint in huiuſmodi ſcholis verſati: obmutuit ille: ego indignans aliò ceſſi : & finio.

Cum adhuc in pralo eſſet opus, incidi in librum typis recentibus cuſum : in quem Auguſtini & Proſperi, ac Fulgentij doctrina coniecta: quæ, quòd trium vna & eadem prorſus erat, Triadi nomen operi aptè fecerat. Itaque liber Trias ab huiuſmodi argumento inſcriptus. Eripuit ab ore Author vocem: eâ me non cauſâ vincit. Gratulor Authori inuentum. Lectores moneo : vtrumque noſtrum Triada repræſentaſſe: at hoc intereſſe: quòd Authoris Trias plus vnitatis habet, quàm Trinitatis : mea contra plus Trinitatis, vnitatis non minùs. Nam cùm Proſper & Fulgentius diſcipuli Auguſtini fuerint: cùm docent, ab eo diuerſi non ſunt: atque adeò vnus & idem Doctor habendus.

Quo certè nomine, quidam suspectam reddere illorum sententiam solent: quòd vnum cũ Augustino sint:perinde ac nihil inter eos intersit. Atque hæc mihi omnino, causa fuit ab eorum sentẽtiis abstinẽdi: quòd vidi hoc ipsum ab aduersariis objectum iri. Equidem quos adduxi Patres, & Augustino socios dedi, eorum à nemine authoritatem eleuari posse existimo: Quòd idem tribus est sensus. Produc eos: vnus alteri, & alter tertio refertur, ac in referendo apparet esse diuersos. Si conferas: idem prorsus sentire comperias, sensu conuenire, relatione differre. Quare relati terni: collati vnus deprehenduntur. En gemina ratio Trinitatis: & germana vnitatis. At ego re contentus, nomine abstinere malui. Nec inuectum ab alio reprehendo. Id vindico, siue in hac, siue in illa Triade Authorum, semper in Augustinum Patris personam quadrare. Quod vti Pater ab alio non est, ac ab illo vti Principio, ac Fonte aliæ personæ (seruatâ nascendi & procedendi ratione) sunt, vnde innascibilem Theologi appellant: ita Augustinus ab aliis habere doctrinam non potuit, cum illi ab eo vel acceperint, vel potuerint accipere: vt ille apud nos Fons & Principium doctrinæ, quo maximè refert Patrem, esse videatur.

FINIS.

ERRATA.

In I. *Tract.*

Page 16. lin. 22. *Gatholica*, l. *Catholica.* Pag. 21. l. 19. *ex et*, *dele et*. Pag. 25. lin. 14. *ex albo*, *l. alto.* P. 2. 5. 1. *Gratia*, *l. Gratis.* p. 28. 6. *aduernio*, l. *aduenio.* p. 33. 3. *informam*, l. *informem.* 16. 23. *Aly*, l. *aliis.* p. 34. l. 14. *lentio*, l. *sentio.*

In II.

Pag. 18. lin. 14. *jaddant*, lege *addant.* p. 4. 16. *nostra*, l. *nostre.* p. 88. 16. *conenpiscenta*, l. *concupiscentia.* p. 127. 5. *potuerat*, l *posuerat.* p. 144. 7. *non poteſt operando*, l. *non poteſt non operando.* p. 148. 9. *ex eo*, l. *ex eâ.* p 178. l. *ad malum*, l. *ad vnum.* p. 199. 20. *vt hic*, *& hic.* p. 202. 17. *voentem*, *s. volentem.* p. 235. 9. *indicantur*, l. *indicatur.* p. 300 4. *prædestinari*, l. *prædestinati.* p. 307. 4. *Tanlem*, l. *tandem.* p. 225. 13. *cuius tanta*, l. *cuius cùm tanta.* p. 128. 10. *vtrum*, l. *verum.*

In III.

Pag. 3. lin. 20. *morti*, l. *morte.* p. 23. 8. *eligent*, l. *elegerit.* p. 30. 13. *decedentium probabat*, l. *decedentium exemplo probabat.* p. 67. 20. *Agihominis*, l. *agi hominis.* p. 78. 8. *informa*, *infirma.* p. 92. 19. *contentionem*, l. *consensionem.* p. 115. 8. *restisisse*, l. *restitisse.* p. 129. 13. *tam*, *l. eam.*

In IV.

Pag. 2. lin. 12. *litas*, dele. p. 3. vlt. *sequi*, l. *loqui.* p. 6. 27. *moliuntur*, l. *demoliuntur.* p. 22. lin. 21. col. 2. *Humanus ſum*, l. *sermo.* p. 24. vlt. *ſint*, l. *ſine.* p. 28. 11. *elucat*, l. *eleuet.* p. 32. 8. col. 1. *innanie*, l. *inuantem.* p. 53. *ei nunc*, l. *is nunc ei.* p. 58. 2. *sicut*, l. *sicut.* p. 6. lin. 15. *abs ſe*, l. *abs te.* p. 82. lin. 1. *ex*, adde *eo.*